1
19-66

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala a
Estante 23
Tabla
Número 48

4 - a. 1 -

- 7 -

i17806653

Del Coll.o de la Comp.a de Jesus de Granada

FERDINANDI QVIRINI SALAZAR, E SOCIETATE IESV,

ELECTI PRIMVM EPISCOPI MALACENSIS,

deinde Archiepiſcopi de las Charcas, Conſiliarij Regij in ſupremo S. Generalis Inquiſitionis Senatu,

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS,

ALLEGORICO SONO, ET PROPHETICA, MYSTICA,

Hypermiſtica expoſitione productum.

TOMI DVO.

PRODIT NVNC PRIMVM.

LVGDVNI,
Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLII.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA



ILLVSTRISSIMO
AC NOBILISSIMO DOMINO,
D. GVILLELMO
CHARRIER,
ABBATI DE LA CHAASE,
D. IVSTI OBEDIENTIARIO
AC CANONICO, ET CLERI
LVGDVNENSIS ORATORI
MERITISSIMO.

NON poterat auſpicatiora diuino huic Epithalamio lumina, Regum ſapientiſſimus aucupari, quàm tua (Præſul Illuſtriſſime) qui prudentiſſimo virtutum cum doctrina coniugio effeciſti, ne priſcis temporibus aut Salomonicam hæc ætas ſapientiam inuideat, aut infulatæ dignam purpuræ deſideret pietatem. In te ſuo velut è cœlo verè Regiam ſapientia explicat maieſtatem, fulgore eo ſanè quidem gratiori, quòd nullis

nullis infuſcata vitiorum tenebris puro in te lumine ſemper enituit, qui ſapientiam virtutibus vectigalem feciſti, cæcamque duxiſti ſapientiam, cui pietas cognata virtutum omnium luce non affulgeret. Aures quærebant diuinis aſſuetas carminibus Regia hæc Hebraicæ ſapientiæ Cantica, eruditas pariter & ſacras nacta ſunt, cùm incurrerunt in tuas. Imò tu diuinum illud ipſe Canticum es, quod ex bene temperata variorum laudum multitudine, mutuâque rerum conſenſione exiſtere tradidit Auguſtinus. Antiqua tuæ gentis claritas eo pridem ſe ſtatuit loco, vt non Lugdunum modò noſtrum, vicinaſque prouincias, ſed totam ſuo iam lumine perfuderit Galliam. Ex ea ſiquidem Præſides ſapientiſſimos Iuriſprudentia, Abbates Illuſtriſſimos Eccleſia, Quæſtores integerrimos Æraria Regia, Moderatores vrbium prudentiſſimos ſapientia politica accerſiuere; adeò vt vel ipſa fateatur inuidia, vni cœlum familiæ tam liberaliter indulſiſſe, vt illuſtre rerum laudabilium compendium eſſe videatur. At hoc ſtupendum nobis accidit, quòd transfuſum à gente ſplendorem, & virtutum infulatarum fulgore, & variarum luce ſcientiarum ita caſtigaueris, vt dubium tuis admiratoribus facias, vtro lumine clariùs effulgeas. In te exornandum

amico

amico prodigæ benignitatis diſſidio conſpirant omnia; at tu profuſas in te dotes, tranſmiſſaque certatim decora, ita componis, vt mutua radiorum in ſe incurrentium refractione temperata, concentum efficiant ſuauiſſimum, non ad aurium quidem, ſed ad cordium delicias, cœlique ſtuporem. Non potuit ergo caſtiſſimum hoc ſponſi cœleſtis Epithalamium auguſtius conſecrari, quàm tuo in animo: hoc eſt, in ſacro virtutum Auguſtali, nec glorioſæ huius caſti laboris æternitati conſultius prouideri, quàm illibatæ patrocinio ſapientiæ, hoc eſt, tuæ. Bene profectò collocatas à me impenſas tum intelligam, cùm æternum hoc obſequij in te mei authoramentum gratum tibi eſſe cognouero. Viue, & faue.

Amplitudinis tuæ

Seruus addictiſſimus,

PETRVS PROST.

Facultas

PETRVS PROST.

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

ANTONIVS MILLIEVS, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. à Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, permittit PETRO PROST Bibliopolæ Lugdunenſi, vt librum cui inſcriptio eſt, *Ferdinandi Quirini Salazar Canticum Canticorum Salomonis*, &c. ad ſex proimos annos imprimere, ac diuendere liberè poſſit. Datum Lugduni 15. Iunij anni 1542.

ANTONIVS MILLIEVS.

NOS Benedictus Puys, Doctor in Theologia, Caput Capituli, & Canonicus inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicetij Lugdunenſis, Vicemgerens in Officialatu Primatiali Galliarum. Vidimus hanc interpretationem *Ferdinandi Quirini de Salazar Canticum Canticorum Salomonis*, quam laudamus tanquam ſanam & eruditam. Datum Lugduni die decima Iunij 1642.

BENEDICTVS PVYS.

Approba

Approbatio Vicarij Generalis.

PRODEANT igitur fœlicibus cœleſtis Sponſi, ſacræque Sponſæ auſpiciis in lucem, Doctorum in Theologia approbationibus & encomiis commendatæ *in Cantica Canticorum digniſſimæ interpretationes R. P. Ferdinandi Quirini de Salazar, è Societate* IESV, viri in omni ſcientiarum ſcriptorúmque genere verſatiſſimi, in rimandis ſacrarum Scripturarum variis ſenſibus, ſanæ ſanctorum Patrum doctrinæ cohærentibus, ſubtiliſſimi, in inueſtigandis abſtruſioribus myſteriis emunctiſſimæ naris: prodeant, inquam, & prælum ſubeant ad maiorem Dei gloriam, & in publicum commodum, annuentibus non modò nobis, ſed & vel impensè expetentibus. Lugduni 5. Idus Iunij 1642.

DE VILLE Vicar. Gener. Subſtit.

VEV l'approbation du ſieur De Ville, le Procureur du Roy n'empeſche que le liure mentionné en ladite approbation, compoſé par le Reuerend Pere de Salazar, ſoit imprimé par le ſieur Pierre Proſt, auec les defenſes en tel cas requiſes, & acouſtumées. Fait à Lyon ce onziéme Iuin, mil ſix cens quarante deux.

I. PROST.

SOIT fait ſuiuant les concluſions du Procureur du Roy. Fait ce onziéme Iuin, mil ſix cens quarante deux.

AVSTREIM.

COM

COMMENTARIVS IN CANTICA Canticorum.

ISAGOGE.

CAPVT PRIMVM,

De Titulo, vel inscriptione huius libri.

PRÆFIGITVR huic libro tituli loco eiusmodi inscriptio שיר השירים אשר לשלמה *Sir haserim aser Liselomoh*, quod noster conuertit, *Canticum canticorum Salomonis.* In quibusdam Latinis codicibus legimus, *Cantica Canticorum.* quam lectionem sequutus est Chaldæus, Rupertus *in Prologo huius libri*, Nazianzenus *orat.* 40. *in sanctum Baptisma*, Gregorius Magnus *in Præfatione*, Hieronymus *in cap.* 1. *epistol. ad Galat.* & sæpe alibi, Ambrosius, D. Thomas, Beda, & alij quamplures. Non vnum de hac inscriptione interpretum iudicium. Rupertus primam huius tituli obtulit rationem ad hunc modum: quia cùm pleraque cantica in Scriptura sacra occurrant, quibus diuersa celebrantur Dei beneficia, *hoc certè*, (verba sunt Ruperti) *rectè dicitur Canticum canticorum, quia quod in eo canitur, beneficium est omnium beneficiorum*, quia nimirum Incarnatio Verbi Dei occinitur, quæ omnia Dei beneficia complectitur, ac circunscribit. Itaque hunc librum Canticum canticorum dictum existimat hic author cum ordine ad alia sacræ paginæ cantica, quia quoddam recolat beneficium, cuius reliqua omnia beneficia, quæ in aliis carminibus celebrantur, figuræ sunt, simulachra, & imagines: ita vt quemadmodum illud beneficium summam exhibet aliorum beneficiorum, ita etiam hoc Canticum compendio quodam colligat, contineátque reliqua cantica.

Origenes *in Præfatione Commentarij*, Gregor. Nyssenus *homil.* 1. *in Cantica*, D. Athanasius *in Synopsi*, Hieronymus *in cap.* 1. *epistol. ad Galatas*, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, D. Thomas, Apponius, & alij *in præludijs suorum commentariorum*, conferunt etiam hoc Canticum cum reliquis sacræ Scripturæ cantionibus; atque ideò *Canticorum canticum* dictum volunt, quia omnia illa elegantiâ, nitore, ac nobilitate longo interuallo superat. Sed quanta sit huius carminis præstantia supra reliqua carmina, expressit Nyssenus *loco citato*, his verbis: *Hoc discimus in hac inscriptione, quòd quantum à canticis externæ sapientiæ distant Sanctorum cantica* (scilicet Moysis, Deborę,

Isaiæ, & aliorum,) *tantum superat canticorum sanctorum mysterium, quod est in Cantico canticorum. Quo quid amplius ad mentis comprehensionem nec inuenire, nec capere potest auris humana, nec natura.* De hac præstantia aliquid dignius confert Apponius: *Quod Canticum* (ait) *ita intelligitur omnibus præcellere canticis, sicut Dominus noster assumptus homo Apostolis, Patriarchis, vel Prophetis, aut quæcunque illæ sunt cœlestium potestates, vt sicut Rex regum, & Dominus dominantium est Christus, ita & Canticum canticorum super omnia cantica, quæ à Prophetis cantata sunt, tituletur.* Colligunt præmissi Patres, conflantque similes alias locutiones ex libris sacris petitas. hæc sunt, *Sancta sanctorum*, Exod. 26. *Sabbatha sabbathorum*, Leuit. 6. In translatione Septuaginta, *Opera operum*, Numer. 4. *Sæcula sæculorum*, ad Galat. 1. & alia his similia. D. Athanasius hæc duo *Sancta sanctorum*, & *Cantica canticorum*, consimilia esse affirmans inde libri huius præstantiam venustè aucupatur. *Canticum* (ait) *canticorum hoc dicitur, propterea quòd nullum aliud post ea, quæ hîc canuntur, expectandum est. Et sicut in lege erant sancta, & post sancta, Sancta sanctorum: post verò Sancta sanctorum nullus alius interior locus habebatur; ita post alia cantica Canticum est canticorum: post Canticum verò canticorum non est interior aliqua, vel recentior expectanda nunciatio.* Philo Carpathius conferens vlteriùs illas duas formulas *Sabbathorum sabbatha*, & *Cantica canticorum*, sic addit: *Nam vt Sabbatha sabbathorum maiorem quietem futuræ felicitatis, atque bonorum, quàm quæ ex præsentibus bonis esse potest, mysticè declarant; ita & hæc ipsa Cantica canticorum maiorem voluptatem*, &c. vide ibi plura.

Recentiores Hebræi putant istud, quidquid est, tituli, aut inscriptionis nequaquam inditum huic poëmati, collatione facta cum aliis sacræ Scripturæ canticis: sed iuxta modum loquendi Hebræis familiarem ad notandam absolutè illius præstantiam dictum *Canticorum canticum*, sicut *Sancta sanctorum* significant locum sanctissimum, & *Sabbatha sabbathorum*, Sabbathum celeberrimum, & maximè solemne.

Cæterùm quamuis hæc fortasse idonea sint, tamen libentiùs assentior Nazianzeno *in Orat. 40. in sanctum Baptisma*, vbi sic ait: *Vt enim quædam Sancta sanctorum vocantur, & Cantica canticorum, quòd scilicet latiùs pateant, & plura comprehendant*, &c. nimirum eapropter librum istum *Cantica canticorum* inscriptum putat, quia non est vnicum tantùm simplex canticum, sed plura cantica in vnum quasi corpus collecta. Huic sententiæ etiam adstipulatur Rupertus, qui cùm præfatum titulum vnà cum Nazianzeno sic extulisset, *Cantica canticorum*, sic statim subscribit: *Quare autem non singulariter Canticum, sed pluraliter Cantica canticorum? Ad hanc percunctationem viam respondendi parat considerata subdistinctio quatuor periocharum*, &c. Putat enim Rupertus librum istum in quatuor periochas, id est, actiones, aut scenas partiendum esse, ita vt singulæ singula cantica componant, atque ideò Cantica canticorum appellari. Cæterùm siue legatur de singulari, *Canticum canticorum*, siue de numero multitudinis, *Cantica canticorum*, eodem modo interpretandum existimo, ita vt significetur vnum canticum non simplex, perpetuum, & continuum; sed ex multis canticis diuersis, atque discluſis compactum, & contextum eo modo, quo infrà sequenti cap. dicemus.

Additur in titulo *Salomonis*, Hebraicè לשלמה *Liselomoh*. ad verbum efferendum est *Salomoni* in datiuo. Hinc nescio quis ex Rabinis suspicioni indulgens ausus est pronunciare librum istum non fuisse à Salomone conscriptum, sed à quopiam alio vate, & Salomoni dicatum. Sed tamen omnium Patrum, atque interpretum conspiratio Salomonem huius carminis scriptorem pronuntiat. Id verò non ex titulo, aut inscriptione comprobandum puto, sed ex antiqua omnium sæculorum traditione, ac persuasione, quæ hanc veritatem ad nos vsque transmisit. Nam quamuis ex nudo idiotismo responsum peti possit; illud enim *Liselomoh*, quod aliqui per casum dandi efferendum docent, potest etiam germanè conuerti, *secundùm Salomonem*, quod perinde est ac, *Salomonis*. Tamen siue casum dandi, siue casum gignendi teneamus, parum abest, vt putem non tam significari authorem huius poëmatis, quàm subiectum illius, hoc est, personam, de qua sermo est. Ita docere videntur Nyssenus *homil. 1. in Cant.* & Philo Capathius *in Præfatione*; hic enim sic habet. *Nam neque hæc Cantica canticorum ita præscripta sunt, quia à Salomone facta, sed quæ casu possidendi Salomonis esse dicuntur. Is enim Salomon, vti nostis, Pacificus interpretatur, propterea quòd omni viro Christiano pacifico, & tranquillo, nullo prorsus vitio perturbato, hæc Cantica canticorum scripta esse tradantur.* Sed longè meliùs Gregor. Nyssenus, qui cùm legisset,

giſſet, *Canticum canticorum, quod eſt Salomoni*, in dandi caſu, (quam lectionem ſequitur etiam Origenes, & alij Patres Græci,) putat ea inſcriptione notari carmen iſtud Salomoni, vel potiùs Chriſto Domino (qui Salomonis cenſetur vocabulo) dicatum, & ſacratum fuiſſe ad eius nuptias celebrandas. Quod nequaquam mirum videri debet, cùm in ipſo Cantici curſu non ſemel id nominis ſponſo tribuatur. cap. 4. *Venite, & videte Regem Salomonem*, &c. & cap. 8. *Vinea fuit Pacifico.* Hebraicè *Salomoni*, &c. Concinit autem hoc cum modo vulgari inſcribendi eiuſmodi carmina nuptialia. Theocritus enim ſic habet : *Epithalamium Helenæ* ; & Claudianus : *Epithalamium Honorij, & Mariæ.* Catullus, *Epithalamium Pelei, & Thetidos*, & alij. quæ inſcriptiones ſignificant eiuſmodi poëmata in eorum nuptiis decantata fuiſſe. Ergo ad eundem modum *Canticum canticorum Salomonis*, erit vtique carmen in Salomonis, id eſt, Chriſti Domini nuptiis dictum, cantatumque. Et quidem ob eam fortaſſe cauſam, cùm in aliis Salomonis vaticiniis non modò perſonæ, ſed etiam parentis, & patriæ dignitatiſque nomen præſcribatur, (Prouerbia enim ſic præfantur : *Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Iſraël.* Eccleſiaſtes verò ſic auſpicatur : *Verba Eccleſiaſtæ filij Dauid Regis Hieruſalem.*) Adde etiam cùm id ipſum in aliorum vatum prophetiis præmitti conſtet, ſcilicet nomina parentum, ſæpe etiam patriæ, & dignitatis, ſeu muneris obiti, vt apud ſingulos videre eſt, (Iſaias enim ſic præfatur : *Viſio Iſaiæ filij Amos*, &c. Hieremias, *Verba Hieremiæ filij Helciæ, de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth.* Ezechiel. *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem*, &c.) Huic tamen carmini nomen tantùm Salomonis præfigitur, cætera omittuntur, vt vel ſic conſtaret, id nomen non tanquam authoris vocabulum in operis aditu, & fronte præponi, ſed tanquam eius perſonæ, cuius nuptiæ, connubiaque panguntur. Accedit etiam alia coniectura ex Pſalm. 40. quod eſt etiam carmen nuptiale, & non ſolùm inſcribitur, *Canticum pro dilecto*, ſed in primo etiam verſu ſic præfatur. *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* quaſi proprium ſit nuptialium carminum in fronte ſua perſonam præferre, cui ſacrantur.

Scio ex Patribus aliquos rationes myſticas adieciſſe, propter quas in hac inſcriptione, & titulo omiſſum fuerit, tum parentis, tum patriæ, tum etiam dignitatis geſtæ nomen. Origenes enim ſic ſcribit: *In pluribus Salomonem Chriſti typum ferre vel ſecundùm hoc quòd Pacificus dicitur, vel ſecundùm quòd Regina Auſtri veniit à finibus terræ audire ſapientiam illius, non puto dubitandum.* Et ſubinde paucis intercalatis. *Competenter ergo in hoc libello, qui de amore ſponſi, & ſponſæ erat ſcribendus, etiam pro hoc neque filius Dauid, neque Rex, neque aliud horum, quod ad corporeum pertinere poſſit intellectum, ſcribitur ; vt meritò de eo perfecta iam ſponſa dicat. Quia etſi aliquando cognouimus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus ; ne quis putet eam corporeum aliquid amare, aut in carne poſitum, ne macula aliqua amori eius credatur induci.* Erudita ſanè, ac pia ratio, ſed parum ſolida. Nam deinde in ipſo poëmatis ductu Rex quidem non ſemel nuncupatur, & matrem quoque ſuam non ſemel commemorat ſponſa, vt videbimus *cap. 4. verſ. 3.* Item Solymitanæ puellæ vtriuſque etiam meminerunt, cùm aiunt, *Filiæ Hieruſalem venite, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* D. Bernardus alteram rationem accommodat, ob quam Salomon in hac Præfatione Regis vocabulum ſuppreſſerit : nimirum, quia vbi de vero, ac perfecto amore ſermo eſt, timori locus non fieri debet, (*perfecta enim charitas foras mittit timorem.*) Ea propter (inquit) à Regis nomine abſtinet Salomon, quia huius nominis maieſtas terrorem affert. Rurſus alius aliquis addere poſſet, Regis nomen ideò ſuppreſſum, quia eſt imperij, & præſtantiæ nota : amor autem æquabilem quandam amantium conditionem poſcit. Sed neutrum probo. nam cur eam ob cauſam Regis nomen non exprimeret in fronte libri, quod deinde paſſim vſurpat in corpore? Neque etiam Regis nomen æqualitati illi, quæ amori veluti fundamentum ſubſternitur, derogare poterat : quando quidem ſponſa ad Regis nuptias aſcita regiæ maieſtatis, & poteſtatis ſocia eſſe inciperet.

Meliùs ergo, atque accommodatiùs dici exiſtimo nomen illud *Salomonis*, quod in titulo appingitur, non vatem ſcriptorem, vel authorem huius poëmatis notare, ſed perſonam, cuius nuptiæ occinuntur. Ac ne putaremus ipſiuſmet Salomonis connubia cum Pharaonitide (vt quidam perperam volunt,) aut cum Abiſach Sunamite (vt alij malunt) hiſtoricè decantari, de induſtria omiſit ſuæ perſonæ proprias notas, ſcilicet parentes, patriam, & dignitatem regiam, id tantummodo præſcribens quod

erat mysticum, & ad Christum significandum maximè accommodatum, scilicet *Salomonis* vocabulum, quod Pacificum sonat, de cuius nominis vi, ac potestate aliàs dicemus. Absit enim vt putem alicuius connubij à Salomone olim initi historiam, etiam quoad corticem, & sonum litteræ hîc commemorari: sed cum D. Augustino *in lib. 8. de Genesi ad literam*, omnino sentiendum puto, vbi asserit huius libri narrationem genus esse locutionis rerum figuratarum, non autem gestarum. cuius generis sunt non pauca apud Euangelistas, qui sæpe inducunt parabolarum loco narrationes, non quidem historicas rerum aliquando gestarum, sed figuratas ad rei propositæ declarationem excogitatas, & inuentas.

CAPVT II.

In quo genere carminis, aut poëmatis versetur istud Canticum.

PERCONTATIO prior de qualitate huius Cantici postulat, vt proprias illius notas vestigemus. In primis enim omnium ferè interpretum conspiratio cum D. Hieron. *in Prologo lib. Iob*, tradit librum istum à Salomone carmine fuisse conscriptum, atque adeò mensura, & Rhythmo constare. Et sanè de veterum Hebræorum carminibus multis agunt authores quidam: sed res est plena tenebrarum, & hactenus nulli comperta. Quapropter relicta vestigatione metri, ac numerorum, in qua alij frustrà, & sine vsu aliquo desudarunt, illud mihi sumo, hunc librum esse carmen, aut poëma à Salomone vatidico spiritu conscriptum.

Cùm autem carminum, ac poëmatum sint valdè diuersæ species, ad quamnam speciem istud referri debeat, constituere oportet. Recentiores quidem interpretes Eclogam esse voluerunt, quia nimirum Salomon stylo ludit bucolico, & drama instituit inter pastores. Quòd si obiicias illis pleraque in hoc carmine misceri nuptialia, quæ videantur à natura illius poëmatis abhorrere. Respondent, Virgilium etiam in suis Eclogis pastorum nuptias, & amores ceciniisse. At ne quidpiam in hoc carmine non bucolicum, & ex syluis petitum agnoscere cogantur, omnia, quæ politicam, & vrbanam vitam sonant, ita deprimere, & quasi abiicere contendunt, vt à syluis, & pascuis non abhorreant. Nam quòd Salomon in hoc carmine inducitur, ita quidem accipiunt, vt non Salomonem Regem, sed adolescentem aliquem Hierosolymitanum significet hoc nomen: nam שלמה *Selomoh* ex שלם *Salem* (quod fuerat olim Hierosolymæ vocabulum) fluxisse docet Hieron. *in cap. 3. Ioel.* Atque adeò consectariè dicunt nomen *Sulamitis* Hierosolymitanam puellam notare. Addunt etiam Regis nomen, quod alicubi etiam occurrit, non esse dignitatis nomen, sed coniugij: nam nouis sponsis nomina Regis, & Reginæ dari solita, colligunt ex Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis.* sic Septuaginta. Hieron. verò conuertit: *Stetit coniux*, vbi etiam maritus Regis nomine insignitur. *Dico ego opera mea Regi.* Ad hæc Isaias *cap. 57.* inuectus in Hierusalem, quòd ad idola defeciisset, exprobrat illi, quòd sponsi loco idolum accepisset. *Ornasti* (inquit) *te Regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua*, &c. vbi Regem accepit pro sponso. Fortasse autem noui sponsi tum Regis, tum Reginæ nomen propterea ferebant, quia per illos dies, quibus nuptiæ agebantur, sertis, coronisque redimiti Reges imitabantur, aut quia in nuptialibus epulis præsides, ac sympositarchas agebant: hos autem Regum nomine olim censeri solitos, dicam infrà *cap. 1. vers. 4.* Ad hunc modum alia atque alia, quæ politica, & vrbana apparent, in hoc Cantico demittere satagunt præfati interpretes, ne à syluis, syluanâque vitâ longiùs abire videantur.

Cæterùm autores isti aberrant prorsus, affirmantes hoc Canticum esse eclogam, pastoritiam scilicet odem, siue drama bucolicum; atque adeò sine vsu aliquo operam suam ludunt, verba illa, quæ maiestatem sonant, extenuare, & ad humilia abiicere contendentes. Nam licèt *Salomonis*, & *Regis* vocabula forsan ea ratione extenuare fas sit: tamen quî poterit inter syluana, & bucolica censeri currus genialis, lectica purpureis tapetibus strata, cedro, auro, & argento affabrè elaborata. Descriptio item sponsi, quæ tota in expingendo viuis coloribus Rege regalibus insignibus decoro,

coro, ac ſplendido impenditur *cap.*5. & alia id genus permulta,quæ abhorrent prorſus à ſyluis, & paſcuis. Quapropter ego in eam ſententiam diſcedo, vt exiſtimem ſponſum ſponſámque non tanquam paſtores, ſed tanquam Reges induci, & nuptias item non paſtoritias, ſed regias planè ſtylo ſublimiori deſcribi. Id verò ſuadetur duplici ratione. Prior eſt,quia ſimilitudo ex regiis aſcita connubiis aptior eſt ad ſignificandas nuptias Chriſti, & Eccleſiæ. Poſterior verò ſic habet,quia Patres, & alij interpretes huius libri, paſſim docent Salomonem in hoc Epithalamio Pſalmum 44. quem pater ipſius Dauid olim cecinerat, ſibi imitandum propoſuiſſe. In illo autem Pſalmo regales nuptiæ panguntur, vt ex ipſo textu conſtat. Nam quod alij contendunt etiam in eo Pſalmo per *Regem ſponſum*,& per *Reginam ſponſam* accipiendam eſſe, coactum nimis eſt, atque alienum; ſunt enim multa alia in eo Pſalmo, quæ his nominibus verum Regem,ac Reginam notari euincunt. Quòd ſi aliqua in hoc Cantico ad ruſticam,& ſyluanam vitam ſpectantia nonnunquam miſcentur, ideò eſt,quia res amatoriæ eo ſtylo aptiùs, imò & ſinceriùs, & candidiùs explicantur: tum etiam, quia apud Hebræos Regibus,& paſtoribus nomen commune eſt, propter ſimilitudinem vtriuſque muneris, & curæ. Nemo enim neſcit, quàm ſit Prophetis familiare, & ſolenne, Principes, ac Reges Paſtorum nomine compellare. Adeundus Philo Iudæus, qui hac de re copiosè agit in libro de Agricultura, & ſæpe alibi. Eapropter ſponſa aliquando de ſponſo, tanquam de paſtore loquitur; & ſponſus item, ſeu paſtor, ac ruſticus aliquando dicit, aliquando agit, vt ex decurſu noſtri Commentarij infrà conſtabit; ſed tum maximè *cap.*1. *verſ.*7. *& cap.*2. *verſ.*17. vbi illud adnotabimus, tunc ſolùm tanquam paſtorem ſponſum induci in hoc Cantico, cùm in fine vnius, & alterius Epithalamij ex matutinis ab ſponſa diſcedere fingitur, vt meridiem alibi agat, rediturus ad veſperum, vbi etiam dicemus aptiſſimè hoc fingi ex perſona Regis, qui etiam inter nuptiarum ſolemnia non deerat adminiſtrationi Reipublicæ, & ciuium, quos veluti paſtor greges regebat. Propterea enim in his horis,quas nuptialis celebritas reliquas faciebat,ad ea,quæ ſui muneris erant,agenda diſcedere dicitur ſub ea ſimilitudine paſtoris ad greges ſuos paſcendos ſecedentis.

Ergo dicendum eſt,iſtud poëma ex genere ſuo eſſe Epithalamium, & nuptias verè Regias in eo pangi, & decantari. Hoc nomine illud cenſent D.Ambroſius paſſim, Athanaſius *in Synopſi*,Baſilius ad illa verba Iſaiæ,*Cantabo dilecto meo*,&c.Nazianzenus *orat* 40.Origenes, Beda, & D.Thomas, Philo Carpathius,Iuſtus Orgelitanus,& alij. Huc ſpectat illud Drepantij Flori Poëtæ:

Quid loquar inſigni tumidum Salomona cothurno,
Qui thalamos Chriſti pſallit, & Eccleſiæ.

Similia cecinit Rodulphus Epiſcopus Aurelianenſis,qui libros Salomonis percenſens ſic addit,

Tertius Eccleſiæ thalamum, Chriſtíque perornat.

Adde etiam Adamantium Origenem,qui Prologum ſui Commentarij ſic auſpicatur: *Epithalamium libellus,id eſt,carmen nuptiale*,&c. vbi affirmat Græcos Epithalamiorum condendorum artem à Salomone arripuiſſe.Inter quos Theocritus vſque adeò Salomonem æmula quadam imitatione ſimulauit,vt non tam imitator,quàm fur,& peculator nuncupari debeat. Legendus ex noſtris doctiſſimus P.Gaſpar Sanchez *in Prolegomeno* 5.vbi pleraque Theocriti loca ex *Idyllio* 15. *&* 18. Salomonis Cantico ad vnguem expreſſa fusè probat.

Huius autem poëmatis deſcriptionem,quod *Epithalamium* dicitur,id eſt,nuptiale carmen,quaſi ſuper thalamos dictum,eiúſque materiam, ſeu theſim,eam certè paucis complexus eſt D.Auguſtinus *in Pſalm.*44. vbi ſic ait: *Solent dici ab ſcholaſticis carmina quædam vxores ducentibus, & nubentibus, quæ vocantur Epithalamia, & quidquid ibi cantatur, ad honorem cantatur ſponſi, & ſponſæ.* Leges verò illius tradit Franciſcus Robortellus *in Poëticam Ariſtot.* ſed abſolutiſſimè omnium Iulius Cæſar Scaliger *in ſua Poëtica lib.*3.*cap.*101.

Epithalamia ſcripſerunt Theocritus *Idyllio* 15.*&* 18. Philoxenus Poëta,qui(vt tradit Athenæus)cecinit Hymenæum in nuptiis Deorum,quod non extat. Muſæus cantauit Leandri nuptias: Seneca Iaſonis, & Medeæ: Sidonius Apollinaris duo alia cecinit: Statius Stellæ,ac Violantillæ: Claudianus Honorij,& Mariæ. Auſonius contexuit carmen nuptiale ex centonibus Virgilianis.Catullus duo Epithalamia perſonuit, alterum Iuliæ,& Manlij; alterum Pelei, atque Thetidis. neſcio an alij alia. Et qui-

dem ita putandum, posteriores omnes ex Theocrito hymenæi occinendi formam expressisse. Cùm autem Theocritus ex Salomone eandem hauserit, omnes Salomonis discipulos appellare integrum est.

CAPVT III.

Vtrùm Canticum istud contineat vnicum, ac simplex Epithalamium, an plura? vbi agitur de compage, & structura totius libri, & ritus nuptiarum antiquis Hebræis solemnes exactè traduntur.

COMMVNIS sententia fert, carmen istud vnicum esse Epithalamium, tamen quibusdam scenis, aut dramatis constat. In his verò partiendis, ac metandis non vna interpretum sententia. Nam inter recentiores interpretes alij ex tribus, alij ex quinque actionibus, aut scenis conflatum tradunt. Rupertus in quatuor periochas secandum esse dicit, quæ per illam semel, iterum, atque iterum repetitam clausulam discludantur. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósque camporum, ne excitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et sanè erudita satis, atque doctrinæ plena est ista partitio: quamuis enim Rupertus scopum non omnino defixerit, tamen proximè ad illum accessisse puto, vt statim parebit.

Epithalamiorum apud veteres alia matutina, alia vespertina.

§. I.

VT igitur meam de hac re sententiam adscribam, præmittere oportet duo fuisse olim Epithalamiorum, seu Hymenæorum genera: alterum quidem matutinum, alterum vespertinum. Matutinum ad sponsos excitandos; vespertinum autem ad eosdem in soporem inducendos. Ita tradit Theocriti scholiastes ad Epithalamium Helenæ *Idyllio* 18. Franciscus Robortellus *in Catullum*, qui citat etiam Dionysium Halycarnassæum *in Rhetoricis*. Illud ergo, quod vespere canebatur (vt ait scholiastes Theocriti) dicebatur καταχοιμητικὸν, id est, *somni inductiuum*, vel (si licet dicere) *consopitorium*. Alterius verò, quod ad auroram canebatur, nomen erat ὄρθειον, id est, *matutinum*, vel διεγερτικὸν, id est, *excitatorium*. Vtriusque meminit Statius Papinius *in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ*, vbi multos nuptiarum ritus paucis complectitur, his verbis.

—— Redeunt animo iam dona, precesque,
Et lachrymæ, vigilesque viri prope limina questus,
Asteris & vatis totam cantata per vrbem,
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu.

Quem locum scholiastes sic explicat, ex eo nimirum stellam inductam ad nuptias, quia occurrebant iam memoriæ Epidipnia ante cœnam, atque Epithalamia, Hymenæique de nocte ad somnos conciliandos, & sub ortum Solis ad excitandum cantati, quibus eius laudes celebrandæ erant. Sed luculentiùs id videre est in Florilegio Epigrammatum Græcorum *lib.* 3. *cap.* 12. quod inscribitur εἰς γυναῖκας, id est, *in mulieres*, *Epigrammate* 5. vbi Meleager sic cecinit. subiicio verba ex Græcis fideliter expressa.

Iam enim vespertinæ Nymphæ in valuis biforibus resonabant
Tibiæ, & thalami resonabant ianuæ.
Matutinum verò planctum resonabat, & Hymenæus
Tacens luctuosum planctum coniungebat.
Ipsæ verò & lucem præibant in thalamo faces,
Et extinctæ ad inferos demonstrabant viam.

De Clearista sermo est, quæ eadem nocte obiit, qua nupsit. Quid inde? Profectò inde factum, vt puellæ ac virgines, quæ ad vesperum Epithalamium cecinerunt, matutino tempore cùm iterum ipsis ad cantum redire opus erat, pro cantu questum redderent, atque Hymenæus tacitus rem obseruaret. lege Philippum Brodæum *in*

præfatum

præfatum Epigramma. Denique illuſtriſſima ſunt ad hanc rem illa Theocriti verba, quibus Epitalamium Helenæ puellæ cantatrices abſoluunt.

Expergiſcimini ſub auroram, neque obliuiſcamini,
Redibimus & nos, vbi primùm cantor
E cubili ſuo intonuerit, ſuſtollens pulchrè pennatam
Ceruicem.

Sunt autem ex vtroque genere Epithalamia apud authores. Nam id quod de Helena cecinit Theocritus, ex præſcriptis verbis veſpertinum eſſe conſtat. Veſpertinum etiam eſt apud Catullum Epithalamium Pelei, & Thetidos, quod formam Epithalamij induit ab illis verbis,

Aduęniet tibi iam portans optata maritis
Heſperus.

Et apud Senecam Medeæ, ac Iaſonis Hymenæus veſpere dictus fuit, ſic enim infert:

Et tu quæ gemini prævia temporis
Tardè ſtella redis ſemper amantibus.
Te matres auidè, te cupiunt nurus
Quamprimùm radios ſpargere lucidos.

Veſpertinis quoque annumerandum illud Claudiani *de nuptijs Honorij, & Mariæ*, quod ſic infit,

Attollens thalamis Idalium iubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus, &c.

Matutinum verò Epithalamium eſt illud, quod in nuptiis Iuliæ, & Manlij dixit Catullus, quod ita auſpicatur:

O Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe,
Cinge tempora floribus
Suaueolentis amaraci.
Excitúſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula, &c.

Sed quod caput eſt, vtriuſque Epithalamij, tam veſpertini inducentis ſomnos, quàm eius, quod ad auroram ad excitandum canebatur, veſtigia ſunt in ſacris litteris. In primis enim Pſalmum 67. quod aliqui Epicinium eſſe volunt, ex noſtris P. Gaſpar Sanchius Epithalamium eſſe multis probat, & conficit. Hic ergo Pſalmus, ſi verè Epithalamium exiſtit, duplici quidem conſtat Hymenæo; alio quidem matutino, & alio veſpertino. Vel certè ea, quæ ad vtrumque pertinent, permiſcuit Pſaltes, vt infrà dicemus. Ad matutinum ſpectat prior Pſalmi pars: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius*, & alia, quæ ſubnectit, vt ex dicendis infrà §. 3. ampliùs conſtabit. Ad Hymenæum veſpertinum pertinent ea, quæ de cœna nuptiali dicuntur: *Iuſti autem epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Et quæ ſub finem Pſalmi attexit, *Præuenerunt Principes coniuncti ipſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Statim ſubnectit Pſaltes: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, vbi per mentis exceſſum ſoporem, & ſomnum cum pleriſque intelligo. Itaque affirmat iuuenculas tympaniſtrias ſomnum conciliaſſe Benjamin, id eſt, illi tribui, quæ Deo tanquam ſponſa ſponſo copulata inibi dicitur. Quia nimirum alludit Dauid ad illa verba *Deuteronomij* 33. quæ in benedictione Benjamin profatus eſt Moyſes: *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur*, &c. Matutinum verò Epithalamium, me iudice, eſt Pſalmus 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*, &c. Quod ideò matutinis annumerandum puto: tum, quia nulla in illo ſomni fit mentio (ea enim, quæ ad ſomnos ſuadendos pangebantur, ſemper in ſomnos deſinebant, vt ex dicendis conſtabit;) tum etiam, quia, vt infrà *cap.* 4. non leuibus argumentis conficiemus, deſcribitur ſponſi, ſponſæque proceſſus pompicus in templum ad ſacrificium nuptiale perſoluendum, quod ſecunda nuptiarum die matutino tempore peragebatur. Cæterùm vt de numero horum Canticorum ſtatuere poſſimus, ex antiquis nuptiarum ritibus aliqua præfari oportet.

Quæ personæ interessent nuptijs, & earum munera, & à quibus canerentur Epithalamia.

§. II.

QVOD si inquiras à quibus dicerentur, aut canerentur Epithalamia in nuptiis? Dico in nuptiis aliqua personarum genera intercedere solita, quæ ad eorum celebritatem pertinebant: scilicet sponsus, & amici eius, sponsa etiam, & pediſſequæ adolescentulæ; adde etiam virgines, quæ lampades præferebant, quas à pediſſequis puellis diuersas fuisse non dubito. De sponsi amicis occurrit sæpè mentio in plerisque locis sacris, ex quibus eorum munera aucupari licet. Ergo prima horum amicorum functio erat sponso assistere, & ad quælibet ex imperio illius peragenda præstò adesse. Huc spectat illud Ioan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Id sibi vult illud, *stat, & audit*, id est, assistit, & paret, seu audiens est eius imperio. Secundum munus amicorum erat sponsum comitari, & sponsam stipare tunc, cùm sponsa ex domo parentum educta de nocte traducebatur in domum coniugis sui. colligitur hoc ex illo 1. Machab. 11. *Eleuauerunt oculos, & viderunt, & ecce tumultus, & apparatus multus, & sponsus proceſsit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.* Tertiò istiusmodi amici cœnabant apud sponsum, erantque principes conuiuæ. habes id *Iudicum* 14. de nuptiis Sanson, & Thamnathensis mulieris. *Deſcendit pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Sanson conuiuium: sic enim iuuenes facere consueuerant. Cùm ergo ciues loci illius vidiſſent, dederunt ei sodales triginta, vt essent cum eo. Quibus locutus est Sanson: Propono vobis problema, quod si solueritis intra septem dies conuiuij*, &c. Quartò, ad amicos etiam sponsi spectabat vota facere. Erant enim aliquæ inter reliqua nuptiarum solemnia de more vota. Nam consulentis pudori sponsæ, ne fortè si omnino sponte, vltroque nuptiis assentiri videretur, id impudentiæ, aut intemperantiæ tribui posset, præmittebat sponsus amicos suos, qui illam precibus, doniſque lentarent, & ad consentiendum sponso adducerent. Isthæc vota inter reliquos nuptiarum ritus numerauit Auguſt. *de Geneſi ad literam lib.* 11. *cap.* 41. vbi sic ait: *Niſi fortè sponsa erat à patre tradenda, & spectanda votorum solemnitas, & conuiuij celebritas*, &c. Illustre etiam ad hanc rem est testimonium Ambrosij *in sermon.* 8. vbi sic fatur. *Solent autem homines, sicut mos est, in suis votis, hoc est, nuptijs, cantare, & saltare. Vnde & nos habemus votiuas nuptias, vota enim nostra celebrantur quando Christo Eccleſia copulatur.* Itaque Ambrosius propter vota, & preces quæ antè præmitti solebant ipsismet nuptiis, *votorum* nomen inditum dicit, atque inde etiam, me iudice, fluxit peruulgatum apud nostrates nomen, *Bodas*. De his votis accipiendus est Claudianus *in Epithalamio Honorij, & Mariæ*, vbi ex persona Honorij sic cecinit.

——— *Faſtigia ſupplex*
Depoſui, geſsique procum de limine ſacro.
Oratum miſi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent, &c.

Oratum lego, non *ornatum*, vt codices quidam mendosè habent. Statius quoque *in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ.*

——— *Redeunt animo iam vota, preceſque,*
Et lachrymæ, vigileſque viri prope limina queſtus.

Mitto alia ex prophanis. Ex diuinis suppetit illud *Psalm.* 44. quod de eiusmodi votis exponendum est. *In muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Sic enim aliqui locum istum efferendum docent, ita vt illa verba, *& filiæ Tyri*, ad superiorem versum referant. Et quidem *diuites plebis* appellat vates populi proceres, & heroas, quos Rex ad sponsam misisse fingitur, vt ipsi nuptias oblatis muneribus suaderent. Id sibi vult illud, *Vultum tuum deprecabuntur*, &c. vt infrà *cap.* 1. *ver.* 10. & 11. latiùs dicemus.

Aderant etiam nuptiis pediſsequæ puellæ. harum erat munus Reginam Regi nubentem præeuntem sequi. De his sermo est *in lib. Eſther cap.* 2. vbi inter alia, quæ ad nuptias illius pulcherrimæ adolescentulæ comparata, expeditaque dicuntur, numerantur etiam puellæ septem. *Et præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & ſeptem puellas ſpecioſiſsimas de domo Regis, & tam*

ipſam,

ipſam, quàm pediſſequas eius ornaret, atque excoleret. De his etiam puellis ſermo eſt *in Pſalm.* 44. vbi ſic habes : *Adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius adducentur tibi.* quæ D. Hieronymus ſic extulit. *Adducetur Regi: virgines poſt eam*, &c. nimirum ipſa ſponſa ad Regem adducetur, & poſt illam incedent virgines pediſſequæ. Has verò pediſſequas puellas diſtingui ab his virginibus, quæ lampades in nuptiis præferebant, ſuadetur ex eo, quòd pediſſequæ virgines à tergo poſt nuptam puellam ibant, & cum illa ex gynæceo, vel fœminarum domo progrediebantur. Aliæ verò eidem iam iam in domum ſponſi ſui pergenti obuiam fiebant; ſic enim habes Matth. 25. *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ.*

Denique illud in ancipiti eſt, vtrùm ab his, an ab illis virginibus Epithalamia canerentur, an etiam ab amicis ſponſi. Certè apud prophanos aliquando inducuntur Hymenæum canentes ipſi ſponſi ſodales, aliquando virgines. Seneca *in Medea*, & Statius *in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ*, iuuenes inducunt canentes. Theocritus *in Epithalamio Helenæ Idyllio* 18. duodecim virgines pediſſequas inducit Epithalamia tam veſperi, quàm manè dicentes. Catullus etiam Hymenæum virginibus dat *in Epithalamio Iuliæ, & Manlij*, ſic enim habet.

Vos item ſimul integræ
Virgines, quibus aduenit
Par dies, agite, in modum
Dicite, ô Hymenæe Hymen, &c.

Scriptura ſacra vtriſque, tam virginibus, quàm viris tribuere videtur in Pſalm. 67. *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Sed tamen hoc puellarum pediſſequarum proprium magis fuiſſe exiſtimo, vt infrà *cap.* 1. *verſ.* 4. non perfunctoriè probabo.

Quid ageretur ante nuptias, & de gynæceo, ſeu parthenone.

§. III.

EX his, quæ in ſuperiori §. diximus, liquet ſatis inter nuptiales ritus numerari vota, ſeu preces, quibus amici ſponſi oblatis muneribus conſenſum virginis deprecabantur. de qua re vberiùs dicam infrà *cap.* 1. *verſ.* 10. & 11. Hæc enim vota ante nuptias in omnibus tam priuatorum, quàm Principum, aut procerum nuptiis præmittebantur. Addo etiam nunc ad hæc vota facienda non modò ſponſi ſodales, ſed etiam ſponſum ipſum venire ſolitum ad ſponſam, ita quidem, vt ſponſus peteret nuptias : amici autem eius ſuaderent virgini, vt illi petenti annueret : nec ſuaderent tantùm precibus, ſed etiam donis, ac muneribus oblatis. Cùm autem ad eum modum vota faciebant tum ſponſus, tum ſodales ſponſi, videndam primùm ſe præbebat ſponſa, quæ eatenus latuerat. Ideo enim Hebræi virgines ſuas ante nuptias עלמות *ghalamoth*, id eſt, clauſas, vel obſeratas appellabant, quia ad nuptias vſque ſeruabantur incluſæ. Neque verò tunc faciem aperiebat virgo ſponſo, aut amicis eius, ſed virginali peplo velata ad ipſos prodibat, vt infrà dicemus. Quia verò eam tunc primum videre licebat, ideo ea, quæ tunc ipſi offerebantur munera, dicebantur ἀναγλυπτήρια, id eſt, *reuelatoria* (vt tradit Cœlius *lib.* 21. *cap.* 26.) vel θεωρήϊα, à verbo θέω, id eſt, *video* (teſte Varrone,) vel ὀπτήρια, à verbo ὄπτω, id eſt, *aſpicio* (vt autor eſt Pollux,) vel denique ἔδνα (vt docet D. Gregor. Nyſſenus *Hom. in Cantic.* affirmans eo nomine à Græcis cenſeri donationes ante nuptias.) Hinc autem intelliges vim eorum verborum, *In muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* id eſt, tunc cùm primò te videre licuit oblatis muneribus deprecati ſunt, vt ſponſo petenti nuptias, acquieſceres.

Illud præterea Regibus proprium, vt eas, quas ſibi copularent, non paruo tempore in gynæceis includerent, vt inibi ad futuras nuptias excolerentur. Plenam gynæcei deſcriptionem habes *in lib. Eſther cap.* 2. vbi ſic textus. *Mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas, & virgines, & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum fœminarum, & tradant eas in manu Egei, qui eſt præpoſitus, & cuſtos mulierum regiarum*, &c. Manebant autem puellæ, quæ ad regias nuptias aſſumendæ erant, in eiuſmodi domo per annum, vt ex eodem libro colligi videtur.

ſic

UNIVERSITARIA DE GRANADA

sic enim habes. *Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad Regem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur.* Hunc ad morem transferunt nonnulli illa Comici verba,

Dum molliuntur, dum comuntur, annus est.

Vbi quidam perperam legunt, dum *moliuntur*, per simplex l, cùm legendum sit, *molliuntur*. Ex hoc more D. Hieronymus ostendit fieri quidem potuisse, vt Sarai Abrahæ coniux à Pharaone adamata, nec tamen violata fuerit. Nam postquam Hieronymus meminit Esther, sic scribit de Sarai. *Itaque potuit accidere, vt Sarai, postquam placuerat Regi, dum per annum eius ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & postea Pharao sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu manente.*

Per id tempus quod virgines in gynæceis ducebant ad curandam pulchritudinem, & ad sese excolendas, adhibebant vnguenta, & pigmenta plurima. constat hoc ex eodem libro Esther, vbi sic habetur: *Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino,* (hoc enim vnguento molles, ac leues carnes reddi, & maculas detergi, ac deleri putabant,) *& alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* De puellis etiam in gynæceo agentibus, & futuras Regis nuptias expectantibus (nisi fallor) loquitur Vates Psalm. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* vbi domus eburneas fœminarum ædes appellare videtur. Ad hæc Propheta Ezechiel *cap.* 16. vbi de Hierusalem tanquam de noua nupta sermonem habet, eam à Deo in gynæceo excultam, & expolitam dicit, his verbis: *Et lauite aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxite oleo.* Denique Isaias de eadem Hierusalem ad idola deficiente, sic scribit cap. 57. *Et ornasti te Regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua.* id est, ad instar puellæ in gynæceo degentis, vnguentis, & pigmentis omnibus te excoluisti, vt Regi, hoc est, idolo (hoc enim Regis nomine compellat,) placere posses.

Denique in gynæceis puellæ, quæ ad regias comparabantur nuptias, cibis lautioribus, & delicatioribus vtebantur: his enim pulchritudinem perfici putabant. Constat etiam hoc ex libro Esther, vbi sic habetur: *Esther quoque inter cæteras puellas ei* (id est, Egeo) *tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei,* (id est, Regi) *& inuenit gratiam in conspectu illius, & præcepit eunucho, vt acceleraret ei mundum muliebrem, & traderet ei partes suas.* Sed quid *partium* nomine intelligatur, non constat. Interpretes vulgò cibos lautiores, ac delicatiores, qui Esther in dies singulos donabantur, accipiendos esse affirmant. Vnde aliqui sic restituerunt hunc locum: *vt traderet ei cibos suos.* Iosephus *lib.* 11. *rerum Iudaicarum,* historiam sic percenset. *Itaque vni eunuchorum commendata, tractata est apud eum delicatissimè, & ornamentis, atque vnguentis pretiosissimis, quibus Principes fœminæ corpus curare solent, quotidie delibuta.* Huc spectat etiam illud Ezechielis 16. *Similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum.* mitto alia.

Denique postquam ad eum modum post annum exculta, ac curata erat puella in gynæceo, inde ad palatium Regis transferebatur. Itaque in regiis connubiis traductio virginis non proximè ex domo parentum, sed ex gynæceo, aut parthenone fiebat. Hæc verò gynæcei cultura tunc vel maximè adhibebatur, cùm puella aliqua rustica, aut ex infima conditione assumebatur ad nuptias regias. Erat enim hoc antiquis illis Regibus solenne, etiam obscurioris generis virgines, si quando placuerant, iusto matrimonio sibi sociare, (vt videre est in Esther, & aliis.) Quapropter Ezechiel *cap.* 16. vbi Hierusalem tanquam humilem, vilem, ac degenerem valde puellam Deo summo Regi copulatam scribit, nihil ex his, quæ in parthenone fieri solebant, ab ipso Deo omissum fuisse dicit, quod Hierosolymæ non exhiberet. Hæc igitur, quæ de gynæceis hactenus dixi, memoriâ retinenda sunt: inde enim aditus huius libri reseratur, & pleraque difficilia satis loca lucem accipiunt, vt ex dicendis infrà in repræsentatione textus, & in decursu nostræ interpretationis patebit.

De velamine ac reuelatione sponsæ.

§. IV.

ANtequam de numero dierum, quos veteres Hebræi nuptiis impendebant, & de his, quæ singulis diebus peragi consueuerant, verba faciam, operæ pretium duxi aliqua

aliqua de antiquo velaminum, & palliorum vſu apud Hebræos dicere: eſt enim res cæca, & tenebris plena.

In primis ergo ex Scripturis ſacris id mihi colligere videor, omnes fœminas liberas pallio, atque velo vti ſolitas apud Hebræos. Dixi autem de induſtria, omnes liberas fœminas: nam velaminis ablatio ſeruitutis, atque amiſſæ libertatis nota fuit. Huc ſpectant verba illa *Iſaiæ* 47. quæ non parum negotij faceſſere ſolent interpretibus, vbi Babyloni captiuitatem minitans ſub perſona cuiuſdam puellæ ſeruituti addictæ ſic ſcribit Propheta, *Tolle molam, & molle farinam, denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum*, &c. quem locum Septuaginta ſic extulerunt: *Detege velum tuum, diſcooperi humerum.* quaſi dicat, detege capitis velamen, quod eſt ſeruitutis inſignis nota, & humerum etiam pallio tectum diſcooperi mancipij in morem, vt ſcilicet onera leuare poſſis. hanc eſſe exiſtimo germanam huius loci expoſitionem, quam infrà *cap. 4. v. 1.* rurſus libræ committam.

Reliquas autem fœminas liberas velamine vti ſolitas conſtabit cenſu facto. Nam virgines primum pallio velabant faciem ſuam. colligere id licet ex illo *Geneſ.* 24. vbi de Rebecca, quam ſeruus adducebat Iſaac, ſic ſcribitur: *Rebecca quoque conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, & ait ad puerum: Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum noſtrum? Dixítque ei: Ipſe eſt dominus meus. At illa tollens citò pallium, operuit ſe.* Sed dicet quiſpiam, velamen iſtud, quod ſibi tunc impoſuit Rebecca, non fuiſſe virginum, ſed nuptarum; quia nimirum tunc illud ſumpſiſſe fertur, cùm ſponſum futurum conſpexit. Cæterùm ne id credam, ſuadent ea, quæ paulo pòſt dicam, ex quibus conſtabit velamen nuptiale olim nouæ nuptæ ab ipſo marito tradi ſolitum.

Rurſus velo vtebantur etiam meretrices, cùm in ſemitis deſidebant procos ſuos expectantes. comprobat hoc hiſtoria Thamar *Geneſ.* 38. de qua ſic habet textus ſacer: *Quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu, ſedit in bitio itineris. Quam cùm vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur.* Vnde verò hæc ſuſpicio Iudam inceſſit? Non aliunde certè, niſi, quia ipſam in ſemitis deſidentem, & theriſtro faciem ſuam amicientem conſpexerat: vtraque enim erat certa nota proſtitutionis. Vide quæ infrà dicemus *cap. 1. verſ. 7.* ad illa verba, *Ne vagari incipiam*, &c. quæ ex originibus ſic efferenda ſunt: *Ne ſim quaſi velata*, vel *tecta.* Quod perinde eſt, ac ſi dicat: Ne per ſemitas vaga incedens, & faciem pallio amictam gerens, impudens aliqua meretricula vulgò æſtimer.

Denique velum geſtabant nuptæ. Huc ſpectant verba Regis Abimelech ad Sarai vxorem Abrahæ, Geneſ. 20. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris, mementoque te deprehenſam*, &c. Paulus etiam 1. ad Corinth. 11. *Mulier debet habere velamen ſuper caput ſuum, propter Angelos.* Sic enim olim in vulgatis licebat legere, vbi modò legimus, *debet habere poteſtatem ſuper caput ſuum.* Nam velum illud, quo nuptæ caput tegebant, à Græcis dicebatur ἐξουσία, id eſt, *poteſtas*, quia poteſtatem viri in vxorem notabat.

Quòd ſi roges, inter eiuſmodi pallia virginum, meretricum, atque nuptarum quid diſcriminis intercederet? non eſt facile id aſſignare. Ex noſtris P. Hieronymus de Prado de hoc diſcrimine ſic decernit: Virgines (inquit) faciem, ac totum corpus velo tegebant, vxoratæ cætera præter faciem: meretrices habitum virginum mentitæ ſe totas etiam peplo contegebant. Cæterùm in hac coniectura illud omnino probo, quod de virginibus, ac ſcortis dicit, ſcilicet vtrarumque pallium prorſus adſimile fuiſſe. Nam meretrices cùm non poſſent in matronarum cenſum referri, virgines habitu, ac notis imitabantur: quemadmodum etiam hodie apud noſtrates. Alia verò, quæ ſubdit, non ſatis probo. Primò diſplicet omnino differentia illa, quam præfatus author inter vxoratas, & virgines inducit, affirmans has quidem faciem velo obnubere ſolitas, illas non ita. Nam ad Sarai, quæ coniugata erat, ſic Abimelech: *Hoc erit tibi in velamen oculorum*, id eſt, ad tegendam faciem. de energia horum verborum ſtatim dicam. Rurſus illud etiam non ſatis arridet, quod ait, peplum, ſeu velamen ſiue virginum, ſiue nuptarum, ſiue meretricum, ita fuiſſe promiſſum, vt totum corpus amiciret. Meam ergo ſententiam de forma, ac differentia fœmineorum velaminum ex ſacris Scripturis (quoad fieri poſſit) petitam paucis aſſertionibus ſubſcribam.

Primò de menſura fœminei velaminis extat ſententia Tertulliani *in lib. de velandis virginibus, cap. 16.* vbi ſic fatur: *Mitris enim & lanis quædam non velant caput, ſed colligant à fronte quidem protecta, qua propriè autem caput eſt, nuda. Aliæ modicè linteolis*

(credo

(*credo ne caput premant*)*nec ad aures vsque demissis,cerebro tenus operiuntur. Miserear si tam infirmo auditu sunt, vt per tegumen audire non possint. Sciant, quia totum caput mulier est. Limites, ac fines eius eò vsque porriguntur, vnde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio,vt ceruices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt,quas subiectas esse oportet,propter quas potestas supra caput haberi debet. Velamen iugum illarum est.* En tibi mensuram velaminis muliebris,quam præscribit Tertullianus his verbis,tam de nuptis, quàm de innuptis agens: vt nimirum eò vsque descendat, quò comæ mulieris solutæ, ac passæ pertingunt. Et sanè hanc fuisse apud veteres nuptialis flammei mensuram tradit Franciscus Robortellus ad Poëticam Aristot. ait enim flammeum ex summo vertice ad papillas, vel ad lumbos vsque pendere solitum. Neque alia est fœmineæ comæ passæ, ac fluentis mensura: atque adeò velaminis muliebris longitudinem apud antiquos non aliam fuisse puto, nisi eam,quam habent mantelia, quæ apud nostrates vulgò dicuntur *Mantellinas*, sic dictæ,quia nimirum ad manus ipsas tegendas perueniunt, vt noui quidam Hispanicarum vocum æstimatores commenti sunt. Id verò non parum etiam confirmatur ex verbis Isaiæ nuper citatis: *Tolle molam,& mole farinam, denuda turpitudinem tuam,discooperi humerum.* pro quibus Septuaginta habent: *Detege velamen tuum*, id est, retege velum fœmineum, quo caput, humerósque tegis: ea enim erat veli longitudo,quo omnes liberę,atque ingenuæ fœminæ vtebantur,siue virgines essent,siue nuptæ.nam longioris pepli vsus deinde sæculis labentibus inuentus est.

Secundò, quantum coniectura assequi possum,existimo virginum, atque nuptarum velamina non quidem magnitudine, sed forma dissimilia olim fuisse: nam virginum pallia erant crassiora, atque adeò omnino cæca, & obscura: ita nimirum, vt virgo pallio tecta nec videre alios,nec videri ipsa posset. At verò nuptarum velamen erat subtilius,ita vt per ipsius retia,& maculas alios intueri ipsis liceret, & ipsas etiam tantisper,quamuis obscurè,quantum veli subtilitas patiebatur, conspicere integrum esset. De virginalis veli forma Tertullianus suprà *cap.* 14. 15. *&* 16. vbi tale virginibus velamen sumere suadet,quod earum facies omnino virorum obtutibus eripiat;atque adeò spissum, & cæcum; de hoc enim sic ait: *Virgo vela caput,omnes in te ætates periclitantur,indue armaturam pudoris,duc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue,qui nec tuos emittat oculos,nec admittat alienos.* Accinit etiam D. Ambrosius in lib. 1. de Pœnit. cap. 13. *Quòd si tegmine caput virgo velat,ne temerè aut videatur,aut videat, dum enim caput velatur, vultus absconditur*,&c. De tenuitate velaminis, quo vtebantur nuptæ, non pauca occurrunt apud prophanos authores. Lucanus enim *libro 2. de bello ciuili*, sic lusit:

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Pende illa verba,*leuiter tectura pudorem*; significatur enim veli subtilitas,qua vix genæ tegebantur. Seneca *in Octauia.*

—— *vidit attonitus tuam*
Formam Senatus, thura cùm superis dares,
Sacráque grato spargere aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput.

Accedit etiam Claudianus,qui *in Fescenina,de nuptijs Honorij,& Mariæ*,sic cecinit:

Iam produnt lachrymas flammea simplices.

nimirum præ summa subtilitate. De hac subtilitate veli nuptialis exponendus etiam D. Ambrosius *de institutione virg.* vbi quasdam virtutes cum nuptiali flammeo componens inter alia sic fatur: *Hæc sunt indumenta virtutum, quibus culpa contegitur, innocentia reuelatur.* Iam tenes horum verborum energiam. Ambrosius enim flammei formam descripsit,quod quia subtile erat,partim celabat sponsæ faciem,partim eandem retegebat, & videndam offerebat, ideò addidit illa verba, *quibus culpa contegitur, innocentia reuelatur.* vide loci contextum. Sed quod caput est, hæc flammei,seu veli, quo nuptæ vtebantur, subtilitas colligitur ex Scriptura sacra *Ezechielis* 16. vbi inter alia sic sponsus ad sponsam, *& indui te subtilibus.* In primitiuis est, *& velaui te* משי *mesi.* & quidem pro illa voce *mesi*,Septuaginta reddiderunt inibi τριχαπτον.de qua sic D. Hieronymus in eum locum: *Cùm diligenter inquirerem, quid sibi vellet vocabulum* trichapti, *quod Septuaginta transtulerunt, nec etymologiam possem reperire sermonis, tandem didici à Septuaginta fuisse compositum* (*rebus enim nouis noua adinuenienda sunt vocabula*)

vocabula) *quod nimirum tantæ ſubtilitatis fuerit, quòd pilorum, ſeu capillorum tenuitatem habere videretur,* (*Græcè enim τείλος capillos ſonat.*) *vnde ego volens tenuitatem exprimere, pro trichapto* ſubtilibus *tranſtuli.* Hæc Hieronymus. cuius ſententiam ſequitur noſter Prado, qui addit Prophetam in eo loco agere de nuptiali flammeo, quod vſque adeò ſubtile erat, vt ſtamina, ex quibus textum erat, tenuiſſimos crines imitari viderentur. Nec abhorret ab hac ſignificatione vox, משׁ *meſi*, quæ in originibus ſubeſt. Aliqui enim illius etymologiam curioſiùs rimantes, docent propriè, & germanè ſignificare ſericum filum, ea ſubtilitate, qua ex bombycino aqua præfruida immerſo ab initio trahitur, ac redorditur. Fluit enim hæc vox ex radice משׁה *maſah*, quæ propriè ſignificat aliquid ex aqua trahere, vt obſeruant Hebræi. Nam cùm ter in Scriptura tantùm occurrat, ſemper eam ſignificationem habet. Exod. 2. verſ. 10. *& vocauit nomen eius Moyſes* (Hebr. מישׁה *Moſeh*, ex eadem radice,) *dicens: quia de aqua traxi eum.* 2. Reg. 22. verſ. 17. *Et extraxit me de aquis multis.* Pſalm. 17. verſ. 17. eandem iteratò ſententiam repetit Dauid. *Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis.* Quapropter cùm bombycinum, vt in fila ducatur, calida aqua infundi, & inde trahi ſoleat, neque enim aliter redordiri poteſt; ideò ab ea radice dictum eſt *meſi*; atque adeò nomen iſtud in præfato Ezechielis loco velum ſericum ſignificat ſubtiliſſimum, ea tenuitate contextum, qua fila bombycina ab initio trahuntur. Ergo cùm ait Ezechiel in perſona ſponſi, *& indui*, ſeu *velaui te ſubtilibus*; vel, vt reddunt Septuaginta, *circumdedi te trichapto*, perinde eſt, ac ſi dicat. Impoſui tibi flammeum, aut velum nuptarum proprium, velum ſcilicet ſubtile, ac prætenue.

Occurrit etiam apud eundem Ezechielem *in eodem cap. ver.* 13. eadem vox *meſi*, pro qua Septuaginta iterum conuerterunt τείλαπλα; Hieronymus verò *polymita*. Sic enim habet ſacer textus; *& veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus.* Septuaginta verò, *& amictus tui byſſini, & trichapta, & verſicoloria.* Dicebatur autem polymita veſtis, quæ multis, ac diſcoloribus liciis contexta erat. Sic Plinius lib. 8. cap. 48. *Plurimis verò licijs contexere, quæ* polymita *appellant, Alexandria inſtituit.* Et ſanè id nominis non abhorret à forma nuptialis flammei. Nam quamuis apud gentes flammei color eſſet luteus, (hinc enim eſt illud Lucani,

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

& ſcholiaſtes antiquus Iuuenalis: *Flammeum erat ſanguineum, propter ruborem cuſtodiendum*; vt nimirum flammeum ruborem ipſum ſuo colore imitans, pudorem, quem virgo ad nuptias afferebat, diſſimulare, ac tegere meliùs poſſit;) tamen crediderim apud Hebræos nuptarum pallia fuiſſe polymita, id eſt, verſicoloria, & varia. Ab his enim potius, quàm ab Ethnicis Chriſtianos velaminis formam, quo in nuptiis ab initio Eccleſiæ naſcentis ſemper vſi ſunt, accepiſſe puto. Quod D. Iſidorus *de Eccleſiaſt. officijs lib.* 2. affirmat varium fuiſſe ex candido, ac purpureo colore contextum: atque inibi horum colorum ſymbolicas ſignificationes adſcribit. Addo etiam de hoc velaminis genere vario, ac polymito, quo nuptæ amiciebantur, accipi poſſe illa verba Pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Deſcribitur enim (niſi fallor) in eo loco ſponſa flammeo nuptiali velata, ita vt præcipuam ſui decoris gloriam, ſcilicet faciem, ceruicem, vbera, & ſuperiora omnia velamine illo verſicolore, ac vario tegeret, & quæ pallio tenus erant, tantùm reuelaret, ac detegeret. hæc enim inferiora, quæ à lumbis, & deorſum pendebant, appellat Propheta *fimbrias aureas.* Itaque ſenſus eſt. Maxima pulchritudinis pars huius Reginæ latet, eripiturque oculis: nam pallio vario, & polymito circumamicta veſtis aureæ fimbrias, & oram tantùm oſtentat.

Tertiò ex his, quæ hactenus poſui de differentia pallij nuptarum à virginum, aliquid vlterius colligo; ſcilicet virgines, quæ craſſo, & minimè ſubtili, neque oculis peruio vtebantur velo, ſi quando in publicum procedere opus erat, ita faciem velare ſolitas, ne ipſæ ab aliis viderentur, vt tamen oculum aliquem liberum dimitterent, quo ipſæ viderent. At verò nuptas, cùm prætenue, peruiumque oculis velamen geſtarent, illud certè ſupra faciem expandere ſolitas, ita vt oculos etiam obnuberent. Suadet hoc in primis ipſorum velaminum diſſimilis forma: nam cùm pallium nuptarum ita eſſet ſubtile, vt per ipſius retia ad incedendū, & regendos greſſus ſatis videre ipſis liceret: propterea illud ſuper oculos etiam ipſos demittere poterant. Virginum verò pallium, cùm eſſet craſſum, omnino & cæcum, ſi quidem ſupra oculos etiam ipſos expanderetur, omnem incedendi, vel proximos quoſque agnoſcendi, obtene-

bratis luminibus, copiam adimeret. Ea propter quoties ipsis in apertum progrediendum erat, reliquis omnibus velatis, alterum saltem oculum liberum, & intectum dimittere oportebat. Huc spectat id, quod tradit Tertullianus suprà de Arabicis virginibus. *Iudicabunt* (inquit) *vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, sed faciem totam ita tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm faciem totam prostituere.* Et quidem Tertullianum ibi de Arabicis puellis, ac virginibus ante nuptias sermonem habere docet Rhenanus. Vlteriùs etiam huius antiqui moris in Scriptura sacra aliqua vestigia expressa sunt. Mitto Isaiam *cap.* 3. qui in Hierosolymitanas virgines inuectus propterea illas seueriùs carpit, quòd oculis malè innuerent. *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant.* Ideo enim earum lasciuiam obiurgat, quia nimirum oculis, quos pallium tantummodo liberos dimittebat, abutebantur ad nutus impudicos, & turpes. Nam statim inter reliqua ornamenta, quæ se illis ablaturum minatur, numerat pallia theristra: ita vt inde suspicari liceat eas etiam, cùm pallio velatæ incedebant, oculum aliquem liberum habuisse, quo ad lasciuos nutus abuti possent. Succedant memoriæ illa verba Abimelech ad Saram Abrahæ vxorem. *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocunque perrexeris.* Missas facio aliquas huius loci expositiones minus idoneas. Non enim assentior his, qui in caput 16. Ezechielis volunt sensum horum verborum esse, veluti si quis apud nostrates diceret, *Mil reales he dado à tu marido estos te seruiran para tocas.* Neque etiam Delrio, aut Cornelio subscribo, qui cùm doceant hæc verba de nuptiali flammeo esse accipienda, sic sensum instituunt. *Hoc erit tibi in velamen oculorum*, &c. id est, Ego veluti paranymphus te viro tuo vxorem velatam, & flammeo tectam in manus do, & insuper ad dotem superaddo siclos mille. quasi dicat. Iam non maritus, sed nuptiarum tuarum legitimarum paranymphus esse volo, vt marito tuo legitimo te velatam tradam. Hæc (inquam) non probo; quia posterior expositio non est accommodata. Si enim Abimelech Saram legitimam Abrahæ vxorem esse iam compererat, quam iam inde à longo tempore duxerat, quónam pacto se denuò earum nuptiarum paranymphum offerret? Prior autem interpretatio aliena est: nam verba ipsa textus sacri satis produnt Abimelechum tunc, cùm Saræ id suasit, vt ex accepto pretio pallium coëmeret, aliquid, quod sibi erroris causam & occasionem dederat, auertere voluisse, ne aliis similis aberrandi causa suppeteret.

Quid ergo dicendum? Ego sanè sic rem euenisse credo. Cùm Abrahamus, Saraque ita apud se statuissent, vt Sara per dissimulationem quandam non vxorem Abrahami, sed sororem præseferret; oportebat quidem, vt Sara depositis tunc propriis nuptarum notis, virginum insignia assumeret: atque adeò nuptiale flammeum in virginum pallium permutaret. Incedebat ergo Sara pallio amicta virgineo, faciem quidem velans crassiori illo pallio, alterumque saltem oculum liberum, apertumque gerens, vt nuptias dissimularet: hic enim erat virginum proprius habitus. Propterea delusus Abimelech, qui eam virginem innuptam ratus, coniugem sibi assumere voluit. Ergo cùm dolus, atque error inuotuisset, ne alteri similis aberrandi occasio subesset, subiecit Abimelech, *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexeris.* quasi dicat. Ex pretio quod coniugi tuo reddidi, licebit tibi proprium nuptarum velum, seu flammeum coëmere: velum, inquam, illud subtilius, quod vxoratæ fœminæ supra oculos expandere solent, vt in quamcunque partem discesseris, eo vtens nulli vlteriùs similem erroris occasionem exhibeas. Ex his autem (nisi fallor) lucem accipit D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinianum.* vbi expendens illa verba, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* sic addit. *Quod dicit, huiuscemodi est: Non repudio nuptias, habes & sinistrum oculum, quem tibi dedi, propter imbecillitatem eorum, sed magis mihi dexter virginitatis oculus placet.* Nam quid causæ subest, inquies, propter quam oculus dexter virginitati, sinister verò nuptiis tribuitur? Ego quidem ita reor, ideo dextrum oculum virginitati accommodari, quia hunc tantummodo liberum & apertum virgines gerebant; sinistrum verò prorsus celabant. Per nuptias verò fiebat, vt puellæ sinistrum etiam oculum proderent, sub flammeo tamen prætenui, modo iam dicto; ea propter oculus iste nuptiis à Hieronymo adiudicatus est.

Vlteriùs etiam obseruatione dignum est illud. Nam *Ruth* 2. legimus fœminam illam cùm postularet nuptias Booz, sic ipsum effatam. *Ego sum Ruth ancilla tua, expande pal-*

lium

lium tuum ſuper familiam tuam, quia propinquus eſt. & apud Ezechielem *cap.* 16 ſic ſponſus ad ſponſam, *& tranſiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam.* Plures ergo autumant in his locis ſermonem haberi de velo, ſeu flammeo nuptiali, quo nuptæ facies tegebatur: atque mariti proprium fuiſſe dicunt præfatum velum ſuper ſponſæ faciem obtendere. Non aſſentior; quia, vt nuper dixi, de flammeo nuptiali loquitur infrà Ezechiel illis verbis, *Indui te ſubtilibus.* Ruth etiam in eo loco non alio certè, niſi pallio, quo ipſemet Booz opertus erat, ſe poſcit obnubi, vt textus ipſe perſpicuè oſtendit. Alij exiſtimant apud veteres in vſu fuiſſe tunc, cùm ſponſa ſponſo tradebatur, ſcilicet deſponſationis tempore, velum deſuper ſuſpendere, quod vtrumque coniugem tegeret, quale ab Hiſpanis vulgò dicitur, *Pallio ocielo.* Sic Elias in Thesbi, qui de iſto velo, ſiue pallio exponit illa verba Iſaiæ cap. 7. *Et ſuper omnem gloriam protectio*; atque inde in vſum abiiſſe dicit verba illa *nubere*, & *obumbrare*, quæ paſſim coniugiis accommodantur. Cæterùm neque id probo: nam, vt iam dixi, verba illa Ruth de pallio ipſo capienda ſunt, quo ipſe Booz in area ſeſe contexerat poſt epulas ad dormiendum. Deinde etiam verbum illud *obumbrare*, cùm ad nuptias transfertur, ſponſo accommodari conſueuit, eiuſque proprium eſſe dicitur ſponſam vmbra ſua tegere. Ex hoc enim loquendi modo fluxit illud Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* id eſt, ſponſi vices, parteſque compenſans abſque viri opera diuinam, humanamque prolem ex te ſuſcipiet, & apud noſtrates qui vxorem ducit, vulgò dicitur, *que la cubre.* Itaque non ſponſus, ſponſaque ſub eandem vmbram venire dicuntur, vt Elias voluit, conopœum illud, ſeu velum deſuper expanſum excogitans, ſed ſponſa mariti ſui vmbram recipere vulgò iactatur. Quapropter veroſimilius puto apud Hebræos inter cæteros nuptiales ritus id etiam olim ſolemne fuiſſe, vt ſponſus puellam, quam ducebat, pallij, quo ipſe tegebatur, ala, vel ora obnuberet. cuius ritus ſignificationem infrà *cap.* 1 *verſ.* 16. copioſiùs pertractabo. Morem autem illum ab Hebræis tranſlatum Ethnicos etiam imbuiſſe comprobant ſatis illa Euripidis verba apud Stobæum, *Cùm ſub egregij viri pallium veneris, reliqua ſtudia viro ſinito.*

Quapropter his prælibatis meam de vſu pallij, ſeu velaminis in Hebræorũ nuptiis ſententiam paucis aperiam. Noua nupta in prima nuptiarum nocte tradebatur ſponſo pallio tecta, non alio quidem, niſi illo, quo virgines vtebantur: pallio, inquam, craſſiori, & cæco, quod faciem puellæ omnino celabat, & dextrum tantùm oculum liberum dimittebat. Quod quidem ſuadetur primò ex illo *Geneſis* 24. de Rebecca, quæ viſo eminus Iſaac, cui ea nocte tradenda erat, *Tollens citò pallium, operuit ſe.* quod pallium ex his eſſe, quibus virgines vtebantur, vulgò interpretes docent. Et ex eo etiam probatur, quia nuptiale velamen, aut flammeum à marito donabatur ſponſæ, vt ſtatim dicemus. Id verò nondum recipere potuerat Rebecca à ſuo Iſaac. Deinde etiam colligitur ex nuptiis Liæ, & Iacob *Geneſis* 29. ex quibus conſtat Iacob prima nuptiarum nocte, in qua ipſi fuerat tradita, non ſatis Liam agnouiſſe vſque ad heſternam diem. Sic enim habes, *Ad quam cùm de more fuiſſet ingreſſus facto mane, vidit Liam.* Si autem Lia in ea prima nocte, cùm tradita eſt, nuptiale flammeum iam tunc geſtarat, quod erat valdè ſubtile, ac tenue (vt ſuprà diximus) poſſet certè à Iacob inter epulas, aut ſub epulis, quæ ea nocte à Labano lautiſſimè exhibitæ ſunt, de facie agnoſci, ac dolus deprehendi. Denique præcipua huius rei comprobatio ſumitur ex eo, quod nuper dicebam; quia nimirum proprium nuptarum pallium vxori dare erat partium mariti apud Hebræos, quod ſatis colligitur ex illo loco *Ezechielis* 16. ſuprà à me explicato, *Indui te ſubtilibus.*

Quapropter cùm ex dictis conſtet ſponſam ſponſo à parentibus velatam tradi, fateri oportet id velum, quod ſponſa ad nuptias afferebat, non aliud fuiſſe, niſi illud, quod virgines geſtare ſolebant. Id autem velamen virgo ſeruabat vſque ad manè heſterni diei, in quo primùm faciem aperiebat ſponſo, vt infrà dicemus. Tunc verò depoſito illo pallio virginum proprio, accipiebat ab ſponſo flammeum nuptiale, ſcilicet velum illud ſubtilius, de quo nuper diximus, quod faciem, ceruicem, humeros, & reliqua vſque ad pupillas, ſeu lumbos tegebat: ita tamen, vt propter ſummam tenuitatem, quamuis ſubobſcurè, hæc ipſa membra, quæ velum celabat, ab his, qui cominùs erant, conſpici poſſent. Quando autem, & quomodo ſponſa inter nuptias velamen deponeret, & faciem aperiret, dicam infrà §. 6. vbi de his, quæ per ſingulos nu-

ptiarum dies agi solebant,copiosè dicemus. Hæc autem, quæ de velamine tam virginum,quàm nuptarum hîc compendio dixi,attentissimè obeunda,& memoriæ fideliter committenda sunt; quia ex illis plura istius libri satis obscura loca lucem accipiunt,vt infrà in repræsentatione textus per excursum demonstrabo.

Quot diebus agerentur nuptiæ apud Hebræos.

§. V.

RVrsus vt de numero Canticorum, quibus libellus iste compactus est,luculentiùs constet,præmittendum est apud Hebræos nuptias non vno, sed aliquot diebus agi solitas. Nam *Tobiæ* 8. duas hebdomadas in nuptiis Annæ celebrandis positas docet sacer textus *Geneseos* 29. Iacob, & Liæ nuptiæ intra hebdomadam actæ sunt. Ita enim Laban ad Iacob: *Imple hebdomadam dierum huius copulæ*,&c. *Iudicum* 14.vbi de nuptiis Sanson, & Philistinæ puellæ sermo est, totidem diebus nuptialia peracta dicuntur. nam sic habet, *Proponam vobis problema, quod si solueritis intra septem dies conuiuij*, &c. Cæterùm an esset hæc temporis mensura certa, quæ in nuptiis ex consuetudine ponebatur,examinare oportet. Dico ergo Hebræos de more suo quinque dies in nuptiis agendis,celebrandisque exterere solitos. Quinque verò dies ita enumerandos puto,vt tres dies medij sint solidi,atque integri; primus verò à vespere inchoëtur, in quo fiebat traductio sponsæ: quintus autem primum manè contineat, in quo parentes sponsæ licta iam apud sponsum filia, sese referebant in domos suas, & alij,quotquot nuptiis interfuerant, dimittebantur. Id certè apud gentes in vsu fuisse planè colligitur ex his, quæ tradit Brissonius *in opusculo de nuptijs*. Quamuis enim non pauci authores, qui nuptiarum agendarum dies numerant, tres tantummodo percensere soleant: tamen ita censum instituunt, quia excludunt prorsus vesperam primi,& manè quinti diei.

Et sanè Hebræos præfatum quinque dierum numerum in nuptiis ponere solitos constat primùm ex eorum rituali, idque hodie in eorum Synagogis seriò obseruari didici ex illius gentis doctissimo, ac peritissimo Magistro, qui hac super re à me consultus vlteriùs etiam docuit apud Iudæos illud etiam ex veteri ritu obseruari, vt nuptiæ inchoëntur tertia Sabbati, id est,in die Marti sacra, seu feria tertia ad vesperam (tunc enim fit traductio sponsæ in domum mariti,) perueniántque vsque ad Sabbatum,atque eo die primo manè absoluantur. Id verò,vt accepi,statim intelligere cœpi locum illum satis difficilem *Iudicum* 14.de mensura dierum,quibus nuptiæ Sanson, & Philistinæ puellæ celebratæ fuerunt. Nam Scriptura sacra sic habet: *Locutus est eis Sanson: Proponam vobis problema,quod si solueritis intra septem dies conuiuij*.sic habet vulgatus codex: tamen ex originibus ad verbum sic restituendum, *quod si solueritis intra septimam dierum conuiuij*. Sanson ergo problema suum, aut griphum Philistinis proposuit, cúmque priores nuptiarum dies iam abiissent, Philistini sententiam necdum assecuti venerunt ad vxorem Sanson. Cape verba textus sacri: *Nec potuerunt per tres dies propositionem soluere. Cúmque adesset dies septimus, dixerunt ad vxorem Sanson: Blandire viro tuo*, &c. An non textus specie tenus incohærens videtur? Verba enim id sonant. Post tres dies conuiuij, in quibus Sansonis problema dissoluere non potuerant, iamiam instabat dies septimus. Quomodo enim post tres dies iamiam imminebat septimus? Adde etiam aliquid incohærentius. Cùm Philistini ad mulcendam,tentandámque Sansonis vxorem veniissent,hæc certè eorum blanditiis, minísque inducta, Sansonem pellicere cœpit, vt sibi propositum griphum referaret. Textus verò sic habet: *Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum, tandémque die septimo cùm ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicauit ciuibus suis: & illi dixerunt ei die septimo ante Solis occubitum. Quid dulcius melle, & quid fortius leone*, &c. Habes iam nodum: si enim Philistini instante die septimo conuiuij ad Sansonem pertentandum vxorem eius concitarunt, quî fieri potuit, vt totis septem diebus conuiuij apud ipsum vxor fleret. Nodum istum Herculeum optimè omnium dissecuit Abulensis, & ex illo Vatablus (nescio an alij,) qui affirmant diem septimum hîc nequaquam appellari septimam nuptiarum lucem, sed hebdomadæ, nempe Sabbatum, quod erat septimus, atque vltimus septimanæ dies apud Hebræos. Itaque sensus integri loci sic conformandus est: *Proponam vobis problema,quod si solueritis intra septem*

dies

dies conuiuij, &c. Hæc propoſitio ænigmatici problematis facta eſt primo nuptiarum die. ita docet communis interpretum conſenſus. Ergo cùm ait, *intra dies ſeptem conuiuij*, perinde eſt ac ſi dicat, intra ſeptimanam illam, in qua conuiuium, vel nuptiæ agebantur: nimirum ex die, in quo griphus à Sanſone iactatus fuerat, ad vſque Sabbatum expletum. Quæ expoſitio quadrat in primitiua, quæ ita ad vnguem efferri poſſunt. *Quod ſi ſolueritis intra ſeptimam dierum conuiuij*, id eſt, ante expletam diem ſeptimam hebdomadæ, in qua hoc nuptiale conuiuium agitur. Subdit ſtatim. *Nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſoluere, cumque adeſſet dies ſeptimus.* Septimus, inquam, hebdomadæ (ſcilicet Sabbatum) qui erat quartus conuiuij. Quod penitus callentes ſeptuaginta Interpretes, vt omnem æquiuocationem, & amphibologiam remouerent, ita extulerunt, vt eſt in Vaticanis. *Et non potuerunt indicare problema per tres dies. Et factum eſt in die quarta, & dixerunt vxori Sanſon*, &c. Itaque pro illis verbis, *cumque adeſſet dies ſeptimus*, Septuaginta reddiderunt, *& factum eſt in die quarta.* Hęc vt teneas, cogitare oportet Hebręos Sabbata ſua à veſpere ſtatim poſt meridiem numerare ſolitos. Hinc eſt illud, *A veſpere in veſperum celebrabitis Sabbata veſtra.* Nil certius. Quid inde? Certè vtraque lectio ſic concordiæ reddenda eſt. *Et factum eſt in die quarta*, ſcilicet conuiuij, ac nuptiarum matutino tempore, *cùm adeſſet iam dies ſeptimus*, ſcilicet hebdomadæ; nempe Sabbatum, quod eo ipſo die ad veſperam incipiebat. Puta igitur hac die (quæ erat nuptiarum quarta, hebdomadæ verò ſexta pridie ante Sabbatum.) hac, inquam, die, primo manè Philiſtinos vxori perſuaſiſſe, vt à Sanſone problematis ſolutionem exquireret. Cùm verò dicitur, *ſeptem igitur diebus conuiuij flebat ante eum*, ne puta totos ſeptem dies ipſam illachrymaſſe, ſed per id tempus, quod reliquum erat hebdomadæ; nimirum à veſpere illius diei poſt meridiem, inde enim auſpicabatur dies ſeptima. Cui expoſitioni inſeruit etiam textus Hebraicus, quem ita verbum ex verbo exprimere licet. *Septima igitur dierum conuiuij flebat ante eum*, &c. Ergo cùm veſperam illam ſeptimæ diei flendo intriuiſſet, tandem impetrauit à ſuo coniuge, vt ænigma aliis obiectum intra illum ipſum diem ſibi aperiret. ſic enim habes. *Tandemque die ſeptimo, cùm ei eſſet moleſta, expoſuit*, id eſt, eodem die ſeptimo ante Solis occubitum. Acceptam verò problematis interpretationem vxor ocyùs detulit Philiſtinis: illi verò intra eundem diem ante Solis occubitum Sanſoni griphum ediſſeruerunt. Septuaginta pro illis verbis, *& illi dixerunt in die ſeptimo ante Solis occubitum*, &c. ſic reſtituerunt, *& dixerunt ei viri ciuitatis in die ſeptima, antequam oriretur ſol.* ſed vim horum verborum poſtea dabo.

Hæc expoſitio ſuadet, ad illa *Geneſ.* 29. verba vt redeam, vbi de nuptiis Iacob, atque Liæ ſermo eſt. Nam cùm Iacob Labani patrui ſui dolum comperiſſet, ſcilicet Liam ſuppoſitam ſibi pro Rachel, iterum poſtulauit Rachelem. Cui pater ſic occurrit. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſeruiturus es mihi*, &c. quæ verba non ita intelligo, quaſi Labanus voluerit ſeptem integros dies prioribus Liæ nuptiis impendi debere; ſed vti nuptiæ illæ inchoatæ procedente hebdomada, nimirum feria tertia ad veſperam, ad extremam hebdomadæ diem, id eſt, ad Sabbatum vſque expletum perducerentur. hanc vim habet illud, *Imple hebdomadam huius copulæ*, id eſt, permitte, vt abſoluatur hebdomada, in qua nuptiæ iſtæ auſpicatæ fuerunt. quod concinit omninò cum eo more, quem vſque hodie in ſuis Synagogis obſeruant Iudæi, vt ſuprà dictum eſt.

Vide etiam, an ex hoc modo numerandi nuptiarum dies lucem accipiat S. Ioan. Euangeliſta *cap.* 3. vbi ſic habes, *& die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Nam difficile valdè eſt diem aſſignare, ex qua hic trium dierum numerus deriuetur. Nam ſi ad ſuperiora redeamus, poſtquam Euangeliſta deſcripſit legationem Iudæorum ad Ioannem in vna die factam, ita ſubnectit. *Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit*, &c. Et ſubinde poſtquam narrauit Baptiſmum Chriſti in Enon apud Iordanem, ſubinfert. *Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem*, &c. Et poſtquam deſcripſit vocationem duorum fratrum, Andreæ, ac Petri, ſtatim addit. *In craſtinum voluit exire in Galilæam.* Habes iam quatuor dies: primam ſcilicet, in qua legatio ad Ioannem ſuſcepta eſt: ſecundam, in qua Chriſtus baptizatus eſt: tertiam, in qua Petrus, & Andreas vocati ſunt: quartam, in qua Chriſtus ex Bethania ab Enon in Galilæam contendit, vbi facta eſt Philippi vocatio, & cum Nathanaele à Chriſto ſermo initus. Deinde verò ſubiicit Euangeliſta. *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Certè ſi dies iſte cum ſu-

perioti numero contexatur, non tertius, sed quintus potiùs dici deberet. At dices, censum dierum ab eo deriuari, in quo legatio facta fuit: ita quidem, vt iste dies excludatur, ita nimirum, vt enumeratio fiat ab eo die (vt dici solet) exclusiuè. Cæterùm præterquam id non satis probo (constat enim alias dierum enumerationes in Scriptura sacra ita perfici, vt extremi dies, à quibus deducuntur, minimè excludantur. quale est illud, *& tertia die resurget.* Nec non etiam illud, *Destruam templum hoc, & tribus diebus reædificabo illud.* Adde etiam illud, *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus*;) tamen licèt istum cæteris adimas diem, relinquuntur nihilominus quatuor dies: atque adeò non tertia, sed quarta dici debuit.

Occurrit noster Maldonatus, & nodum istum dissoluere contendens asserit illud, *In crastinum autem voluit exire in Galilæam.* nec non illud, *& die tertia nuptiæ factæ sunt,* &c. de eadem omnino die accipi debere. Sed non assentior, primò, quia reliqui interpretes, etiam Rupertus, quem ipse sibi sequendum proponit, tanquam diuersos dies numerant. Secundò, quia vt Euangelista vocationem Christi ad nuptias in eandem diem incidisse significaret, non diceret, *tertia die*, sed *illa die.* quemadmodum nuper dixerat idem Ioannes de discipulis Baptistæ: *Venerunt, & viderunt, vbi maneret* (scilicet Christus,) *& manserunt apud eum die illo.* Denique vix credi potest Christum illa ipsa die ab Enon circa Iordanem, vbi fuerat baptizatus à Ioanne, in Bethsaïdam primum contendisse, ibi enim facta est vocatio Philippi, & sermo habitus cum Nathanaële, (non enim alibi Philippum, & Nathanaëlem, vtrumque Bethsaïdensem inuenisse credendus est, nisi in Bethsaïda.) Inde verò in Cana Galilææ contendisse, quæ vrbes erant inter se valde dissitæ, illásque mare Galilææ interiacens discludebat, ita vt spatium illud vix ac ne vix quidem à velocissimo aliquo viatore vna die percurri possit.

Quapropter consectariè ad ea, quæ hactenus diximus, puto in hoc Ioannis loco, per *diem tertiam* significari sequentem diem, quæ à legatione Iudæorum ad Ioannem omnino erat quinta: hebdomadæ autem tertia. Itaque cùm audis, *tertia die nuptiæ factæ sunt*, per tertiam diem intelligere debes tertiam Sabbati, id est, tertiam hebdomadæ feriam, à qua incipere solebant nuptiæ: sic enim omnia aptè, & ad amussim cadunt. Nam cùm legis apud Ioan. *In crastinum voluit exire in Galilæam*, puta eo die Christum ab Enon, vbi fuerat baptizatus, in Bethsaïdam contendisse, ac inibi Philippum vocasse, & cum Nathanaële sermonem traxisse. Deinde verò cùm legis, *& die tertia nuptiæ factæ sunt*, puta eundem Christum sequenti die, quæ erat quinta post legationem, & tertia hebdomadæ, matutino quidem tempore à Bethsaïda in Cana perrexisse: vespere autem inibi ad nuptias cum discipulis suis inuitatum fuisse. Atque ea ratione intelliges Euangelistam, quasi data opera illud adiecisse; *& die tertia*, ad notandum diem, in qua nuptiæ auspicari solebant. Ad hanc nostram interpretationem proximè accedit Gaudentius Episcopus Brixiensis *sermone* 19. ad Neophytos, de quo infrà dicemus.

Ex his constat nuptias apud Hebræos per dies quinque celebrari solitas. Numerabantur autem sic. Primus dies erat tertius hebdomadæ (qui iuxta solemnem Hebræorum loquendi modum dicebatur *tertia Sabbati*,) nimirum dies Mercurij: in hoc autem die auspicabantur nuptiæ ad vesperam. Tres dies sequentes, scilicet quarta, quinta, & sexta Sabbati, erant solidi, atque integri. Quintus dies erat ipsummet Sabbatum, in quo perficiebantur nuptiæ primo manè. Hinc autem lux affertur septuaginta Interpretibus, qui in illo loco *Iudicum* 14. pro illis verbis, *& illi dixerunt die septimo ante Solis occubitum*, sic restituerunt, *In die septimo ante Solis ortum.* est enim vtriusque lectionis concordia facilis, ex dictis. Nam cùm per diem septimam intelligi debeat Sabbatum, idque inciperet à vespera superioris diei post meridiem, vt suprà dictum est, vtraque lectio constans erit, si nimirum dicamus Philistinos ænigmatis solutionem detulisse ad Sanson in prima Sabbati vespera post meridiem: sic enim verum erit vtrumque, eos scilicet aperuisse propositum griphum Sabbato ante Solis occubitum, & ante Solis ortum. Nam cùm Sabbatum incipiat à vespera superioris diei, prior est in illo occubitus, quàm ortus Solis. Quapropter dicendum vulgatum interpretem horam assignasse, in qua declaratio ænigmatis delata est Sansoni: at septuaginta Interpretes finem, seu terminum, quem pacto suo ab initio defixerant, translatione sua expressisse. Nam cùm pactionis forma hæc esset, vt intra septem conuiuij dies problema dissoluentes solutionis præmium ferrent; Septuaginta prædictam

dictam ſolutionem ante ſeptimum nuptiarum diem, id eſt, ante Sabbatum expletum, à Philiſtinis factam lectione ſua ſignificarunt. perficiebantur enim nuptiæ Sabbato matutino tempore, vt ex dicendis infrà amplius patebit.

Quid agerent Hebræi per quinque nuptiarum dies iam numeratos.

§. VI.

CVm ex dictis conſtet, Hebræos quinque dies in nuptiis celebrandis ponere ſolitos, ea ratione, qua à nobis enumerati ſunt, quidnam per id tempus agerent, veſtigare oportet. Primò illud compertum, atque exploratum eſt, per illos dies, quibus agebantur nuptiæ, ſingulis noctibus exhiberi conuiuium, ac cœnam nuptialem. Et quidem nuptialia ſympoſia apud Iudæos cœnas fuiſſe veſpertinas, vel potiùs nocturnas, nulli notum non eſt, & pluribus ſacræ Scripturæ locis liquet. Apocal. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Matthæi 22. *Simile eſt regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo*, &c. Pro quo Lucas ſic habet. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Mitto alia prophana. Videndus Stuckius *de conuiuijs nuptialibus lib. 1. cap. 3.* Has verò cœnas ſingulis noctibus, quibus nuptiæ agebantur, exhiberi ſolitas, colligere licet ex præmiſſo loco *Iudic. 14.* vbi dies nuptiarum appellantur dies conuiuij. Sic enim habes. *Quod ſi ſolueritis mihi intra dies ſeptem conuiuij.* Et rurſus, *Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum.* Quapropter cùm quinque dies nuptiarum ea ratione, qua à nobis recenſiti ſunt, clauderent quatuor veſperas, vel noctes, neceſſe erat, vt quatuor eſſent geniales cœnæ.

Prima dies nuptiarum.

Præter cœnas, quæ communes erant illis diebus, quædam erant vniuſcuiuſque diei propriæ, ac peculiares actiones.

Prima die matutino tempore virgo, aut puella, quæ ad nuptias regias aſſumenda erat, in gynæceo, aut parthenone, vbi diutiùs fuerat, ſeſe adornabat, expingebat excolebatque ad proxima connubia. Et ſimilem ad modum virgines pediſſequæ, quæ ipſam à tergo inſequi debebant, ſeſe curabant, expoliebantque, vt ſponſam ſtiparent. de qua re ſuprà §. 2. & 3.

Rurſus eo etiam die veſperi ante traductionem tam ſponſus, quàm amici eius vota faciebant, de quibus etiam *in eo* §. 3. non pauca ſeruimus; ſponſa enim tunc primum in apertum prodibat, pallio quidem, vt virginibus de more erat, faciem velatam habens, & alterum tantùm oculum liberum gerens. Tunc ſponſus nuptias petebat: ac ne videretur virgo omnino ſponte nuptiis acquieſcere, idem ſponſus amicos ſuos ſummittebat, vt ipſam precibus, doniſque oblatis ad conſenſum flecterent, de his votis interpretanda ſunt verba Pſalm. 44. *In muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* ex quibus & ex aliis quæ dicemus *cap. 1. v. 10.* conſtat ſponſam ſponſi ſodalibus vota fundentibus faciem reuelare ſolitam, quam poſtmodum cùm ſponſo tradebatur dicto modo velabat. Vbi autem ſponſa votis, doniſque allecta conſenſum præbuerat, aderat ſtatim ſponſus, & profundo iam veſpere ſub noctem traductio, ſeu tranſlatio ſponſæ fieri incipiebat. hæc omnia comperta ſunt ex dictis §. 3. & 4.

Transferebatur autem ſponſa curru geniali pereleganti ſubuecta, vt infrà *cap. 1. verſ. 9.* fusè probabo; atque virgines aliæ à pediſſequis diuerſæ obuiam factæ lampades præferebant. de quo ritu ſuprà §. 2. nonnihil diximus, & infrà *cap. 1. verſ. 4.* plura ſubiiciemus.

Hæc verò prima tranſlatio ſponſæ, cùm Rex, aut ex Proceribus aliquis connubia iungebat, non fiebat proximè in domum ſponſi, ſed in villam, aut fundum extra vrbem. Nam ſolemne admodum fuit antiquis nuptias ſuas in hortis ac nemoribus agere, atque inibi nuptialia conuiuia exhibere. Comprobat hoc conuiuium Aſſueri in nemore exhibitum pro nuptiis Vaſthi Reginæ in libro Eſther *cap. 1.* Huc etiam ſpectat illud 1. *Machabæorum 9.* vbi ſic habes. *Poſt hæc verba nunciatum eſt Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam vnius ex magnis Principibus Chanan, cum ambitione magna.* Addit autem Scriptura Simonem cum ſocijs in ſaltu delituiſſe, atque inde ex inſidiis cunctam illam turbam

nuptias stipantem aggressos, magnam in Cananæos stragem edidisse. quæ verba non ita capienda, vt significent sponsam illam ex Madaba in aliam vrbem traduci, aut deferri: nam si aliam in vrbem deportatam diceret Scriptura sacra, nomen illius vrbis exprimeret, sicut eius etiam nomen adscripsit, ex qua pompa egressa est. Sed omninò putandum prædictam translationem, aut deportationem sponsæ iuxta morem gentis factam quidem ex Madaba, & ex parentum domo in prædium, aut villam aliquam vrbi proximam, vt ibi nuptiæ agerentur. Quapropter cùm ad eum modum nuptialis illa pompa in syluas progrederetur, integrum fuit Simoni Cananæos ex insidiis inuadere. Ex hoc etiam ritu lucem accipiunt illa verba Oseæ cap. 2. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* qui locus de translatione sponsæ in hortos, & syluas, explicandus est nobis infrà *cap.* 10. huius Isagoges. Vide ibi plura. Et sanè mos iste agendi nuptias in hortis, ac nemoribus apud Ethnicos etiam solemnis fuit. Iuuenalis *Satyra* 10. de nuptiis Messalinæ & Claudij Imperatoris, ita scribit.

—— *Dudum sedet illa parato*
Flammeolo, Tyriusque palam Genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo.

Aristophanes etiam in Pace in extrema actione nuptias exhibet, atque inter alia sic scribit.

Linguis quippe fauendum est, atque huc opus adducere Nympham,
Et ferre faces, & populum omnem gaudere deinde iubere.
Nunc omnia vasa iterum portanda in agros, omnisque supellex, &c.

Accinit etiam Tullius alibi citandus.

Secunda dies nuptiarum.

Secunda die matutino tempore sponsa detegebat faciem marito suo. Nam, vt constat ex dictis suprà §. 5. apud Hebræos more comparatum erat, vt filia traderetur sponso noctu pallio tecta, ita vt ad sequentem vsque diem sponsæ faciem intueri sponso non liceret. Id verò quidquid est moris, & consuetudinis antiquæ, planè colligitur ex historia nuptiarum Iacob, & Liæ *Genes.* 29. vbi sic habes. *Qui* (id est, Laban) *vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias, & vespere Liam filiam introduxit ad eum* (scilicet ad Iacob.) *ad quam cùm ex more Iacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam.* Hinc natæ expostulationes, & querelæ Iacob cum socero suo Labano. Sanè difficile videbatur, soceri dolum per totam nuptiarum noctem latere potuisse Iacob, ita vt inter nuptiales epulas, & inter alia, quæ ea nocte gerebantur, Liam ex facie non agnosceret. Propterea igitur Iacob deludi potuit, quia more comparatum erat, vt sponsæ maritis noctu traderentur velatæ, ita vt nec illos affari, nec faciem eisdem aperire solerent vsque ad sequentem diem. de qua re vberiùs dicam infrà *cap.* 2. *vers.* 14.

Tertia dies nuptiarum.

Tertia die matutino etiam tempore deferebantur sponsi in templum, vti Deo se sisterent, & gratias ex animo habentes consueta libamina, aut sacrificia offerrent. Quis enim neget hoc Hebræis solemne fuisse? An ipsi id obsequij vero Numini non persoluerent nubentes, quod Ethnici falsis diis exhibebant? Minimè gentium. Imò potiùs putandum Gentiles morem istum pium, quemadmodum alios nuptiales ritus ab Hebræis hausisse. De sacrificiis nuptialibus Gentilium lege plura apud Alexandrum *lib.* 5. *Genialium cap.* 6. Brissonium *in opusculo de nuptijs*, Rosinum *de Antiquitatibus Romanorum*, & alios quamplures. Sacrificia autem sua persoluebant Gentiles postridie nuptiarum, vt colligere licet ex Macrobio *lib. Satur. cap.* 15. Cùm verò audis postridie nuptiarum ab Ethnicis connubialia sacra fieri solita, cogita hæc non proxima die post tradutionem sponsæ, quæ vesperi fiebat, sed post illam alia sequenti peragi consueuisse. Id enim sibi volunt verba Macrobij. Ex quo colligitur Gentiles, Hebræosque etiam in tempore sacrificandi conueniisse. Hebræos autem sacrificare solitos in nuptiis suadent etiam verba *Tobiæ* 8. vbi Raguel videns duos coniuges, scilicet

licet Saram filiam, & iuniorem Tobiam incolumes in lecto pariter dormire, sic addidit: *Fac eos Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre.* Et quidem precatur Raguel illis verbis vitam, & incolumitatem duobus sponsis, vt liceret ipsis nuptialia libamina persoluere, cùm ad patriam redirent. quem locum infrà *cap.4. vers.7.* iterum libræ tradam. Accedit etiam coniectura ex *Psalm.44.* vbi sponsi in templum adductio describitur. *Adducetur Regi, virgines post eam: adducetur in lætitia & exultatione, adducetur in templum Regis* (sic lego cum Hieronymo.) Quorsum verò ad templum adducenda dicitur? certè ad sacrificandum. Quomodo autem his verbis per repetitum illud verbum, *adducetur*, duplex sponsæ illius (quæ Regi copulata dicitur) adductio notetur, altera in Regiam, altera in templum, inibi pluribus conficiam. Hæc autem traductio, seu processus duorum in templum erat certè diurna, imò matutina, adde etiam glorioſa, & pompica. Ad quam, me iudice, alluſit Dauid in Psalm. 18. cùm ait, *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* quibus verbis Sol oriens, vel appetens primo manè cum sponso componitur è thalamo nuptiali in publicum procedenti. Neque verò comparatio fit cum sponso tunc cùm de nocte assumptam è domo paterna sponsam in domum transferebat suam (vt quidam commenti sunt,) quasi Sol radiis suis illustris, ac splendidus similitudinem præbeat sponsi facibus ac luminibus stipantibus vndique splendescentis, ac micantis; quia hic processus ex thalamo nuptiali factus dicitur, *sicut sponsus procedens de thalamo suo.* Thalamum autem nuptialem nec sponsus, nec sponsa ante traductionem ingrediebantur. Quapropter collatio fit cum progressu illo, quo sponsus matutino tempore cum sponsa simul ferculo vecti maxima cum pompa, & venditatione gloriæ in vrbem, & templum sese transferebant ad liba nuptialia persoluenda: hic enim progressus è thalamo prodibat, & ad Solis ortum matutinum notandum accommodatior exiſtit.

Adde etiam aliam coniecturam ex *Psalm.21.* cui titulus est in vulgatis, *Pro susceptione matutina*; in primitiuis autem, *Pro ceruamatutina*; sic enim extulit D. Hieronymus, vbi per ceruam ex nostris P. Gaspar Sanctius nouam nuptam capiendam esse ex eo suadet, quia apud Hebræos desponsationis tempore vir sponsam suam ceruam compellere solebat, vt liquet ex eorum Rituali, quod latinitati reddidit Genebrardus: tum etiam, quia id nominis vxori dedit Salomon Prouerb. 5. *Ceruagratißima, & gratißimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore*, &c. Si ergo præmissa expositio non displicet, atque adeò in eo titulo per *ceruam* nouam nuptam intelligere integrum est, cùm aliàs constet plures Psalmorum titulos ex his rebus acceptos, quarum causa in templo canebantur, vt locupletissimi interpretes docent, veritati admodum simile est *Psalm.21.* inscriptionem illam propterea inditam, quia tunc occini consueuerat in templo, cùm *cerua matutina*, hoc est, noua nupta matutino tempore templum adibat cum sponso ad sacrificia nuptialia persoluenda. Et quidem pleraque continet Psalmus ille satis appositа ad eam rem, scilicet ab illis verbis: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Ecclesiæ laudabo te*, &c. vt propterea ad vota sua persoluenda ingredientibus meritò decantari potuerit. Si autem non displicet, addo etiam Psalmum 5. qui ita inscribitur, *Pro ea, quæ hæreditatem consequitur*, non ineptè ad eundem sensum allici posse. Nam quæ est ista quæ hæreditatem consequitur, nisi noua nupta ad familiam viri transiens, & bonorum illius compos effecta? Cui expositioni subseruit magna antiquorum interpretum turba, quæ per eam, quæ hæreditatem assecuta est, docet accipiendam esse Ecclesiam, quam Christus repudiata Synagoga sibi copulauit, & bonorum suorum consortem fecit. Quàm verò idoneus sit ille Psalmus, vt sponsis ad eum modum templum ingredientibus ad vota, & sacrificia soluenda decantaretur, legenti constabit: sed de hac re infrà *cap.3. vers.1.* & 7. pluribus agam.

Addendum est in hoc tertio die ita sponsum, sponsamque in templum vectari solitos, vt sponsus apertus omnino, & detectus palam prodiret, vt omnibus conspicuus esset: sponsa verò flammeo nuptiali tecta, ac velata. Sed vide an id etiam ex sacra Scriptura excipere liceat. Ego quidem in ea sententia sum, vt putem Psalmum 44. quem suprà inter Epithalamia matutina numerandum dixi, sic à Propheta compositum, quasi in hac tertia nuptiarum die pangendus esset: continet enim (me iudice) integram descriptionem istius pompici progressus in templum. In quo illud ad præsens notandum, sponsum quidem detectam, & apertam faciem præferentem depingi; sponsam verò flammeo tectam, & velatam in eo Psalmo produci. Eapropter appositè

admodum

admodum Propheta cùm eos sibi sub ea specie proposuisset, sponsum quidem detectum, sponsam verò velatam, sponsi quidem faciem decoram expinxit. *Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis*, &c. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna* (obserua hic per excursum vim vocis originalis: nam pro illis verbis, *intende, prosperè procede*, &c. D. Hieronymus transtulit, *& in decore tuo prosperè ascende*. Subest autem in primitiuis verbum רכב *racab*, quod significat propriè *currum*, aut *feretrum stratum inscendere*; inde enim רכב *recheb*, id est, *currus*, aut *feretrum*. Ex quo colligitur illud *procede* accipiendum esse de hoc processu pompico in templum, quem feretro vecti faciebant sponsi.) De sponsæ verò facie nihil miscet Propheta, sed vestem tantummodo describit, quam solam tunc videre licebat. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*. & deinde subtexit, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate*. Contemplabatur enim Propheta sponsæ faciem flammeo contectam: atque adeò dicit præcipuam illius pulchritudinem non in vestibus, ac reliquo ornatu spectandam esse, sed in facie interna, cuius aspectum liberum flammeum tunc eripiebat. Sed de huius loci sententia dixi vberiùs suprà §. 4.

Id verò apud Ethnicos etiam solenne fuisse, vt sponsa flammeo velata ad templum veniret, colligere licet ex Seneca *in Octauia*, vbi sic cecinit:

—— *Vidit attonitus tuam*
Formam Senatus, thura cùm superis dares,
Sacrasque gratò spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput;
Et ipse lateri iunctus atque hærens tuo.

Ad hæc in altero ex his quinque diebus, qui nuptiis impendebantur, puella, quæ ad regias nuptias præ cæteris assumebatur, ab sponso Rege regali corona redimiri solebat. Colligitur ex hoc libro Esther *cap.* 2. vbi sic habes: *Et adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuítque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecítque eam regnare in loco Vasthi, ac fecit conuiuium præparare pro coniunctione, ac nuptijs Esther.* Itaque inter nuptiarum solemnia numeratur etiam coronatio Reginæ. Huc etiam fortasse spectauit Propheta Ezechiel *cap.* 15. vbi agens de Hebræorum republica sub sponsæ symbolo, ac nomine, ita ait: *Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* & infrà: *Et decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum.* Ergo cùm in his nuptiarum diebus locus fieri debeat huic coronationi sponsæ, quæ Regi nubit, ego quidem in ea sententia sum, vt putem hac ipsa die tertia post libamina, & hostias Deo persolutas, sponsam à suomet sponso corona, aut diademate donari solitam. Rationes autem quibus inducor ad id existimandum, adscribam fusiùs infrà *cap.* 4. *vers.* 8. nunc verò ex pluribus vnam hîc perstringam. Quia, vt tradit Carolus Paschasius *de coronis lib.* 10. *cap.* 8. Regum coronæ inter res sacras censebantur: atque adeò Reges à Sacerdotibus; Reginæ verò à suismet maritis, tamen præsente aliquo Dei Antistite ac Mysle, coronas accipere solebant. Quapropter putandum est eo ipso die, quo alia sacra, & religiosa peragebantur, id etiam præstitum, quod inter sacra recensebatur. His autem persolutis, ac perfectis, vesperi tota illa nuptialis pompa ex vrbe in villam, & hortos redibat, atque inibi nuptialis cœna repetebatur.

Quarta nuptiarum dies.

Quarta die sponsi ex villa, & syluanis ædibus rursus vrbem repetere solebant matutino tempore, atque ea die sponsa, quæ hactenus soli sponso aperuerat faciem, detracto flammeo vrbem ingrediebatur, & se se cunctis visendam offerebat. quem ad ritum alluśit (me iudice) Esdras *lib.* 4. *cap.* 7. vbi sic ait: *Ecce tempus veniet, & erit quando venient signa, quæ prædixi tibi, & apparebit sponsa, & appareſcens ostendetur, quæ nunc subducitur terra.* Loquitur autem de Ecclesia, ducta similitudine ab sponsa, quæ altero nuptiarum die flammeo depositò faciem reuelabat, atque omnibus intuendam se offerebat. cuius loci longiorem expositionem dabimus infrà *cap.* 5. *vers.* 4. Denique eo die ad vesperum sponsi ex vrbe iterum repetebant agros, & sub noctem, quartum conuiuium nuptiale exhibebatur.

Quinta nuptiarum dies.

In quinto denique die matutino tempore omnes, qui ad nuptias vocati venerant, dimittebantur. Adde etiam quòd tota nuptialis pompa ex syluis, atque hortis ad vrbem in ipsas sponsi ædes, & palatia recurrebat: tunc verò mater sponsæ sese referebat in domum suam, lictámque in domo coniugis filiam deserebat. Et sanè matrem sponsi nuptialibus interesse solitam non ambigo, quia illius partes erant sponsam in cubiculum, & thalamum inducere; fortasse etiam & thalamum parare, & ornare. quod non obscurè colligitur ex illo *Tobiæ* 7. vbi de nuptiis iunioris Tobiæ, ac Saræ ita legimus. *Vocauítque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum, & introduxit illuc Saram filiam suam, & lachrymata est*, &c.

Hæc igitur omnia, quæ hactenus præfatus sum, siue de duobus Epithalamiorum generibus, scilicet matutino ad excitandos, & vespertino ad inducendos in soporem sponsos; siue de quinque nuptiarum diebus, & de his, quæ in illis transigebantur, quamuis ex aliis Scripturæ locis lucem non paruam accipiant (vt constat ex dictis,) tamen ex hoc Canticorum libro cum primis illustria, ac præclara redduntur: ita enim ad amussim quadrant, vt de illis ambigere non liceat.

Canticum hoc octo Epithalamijs constare, quatuor vespertinis, & totidem matutinis, probatur.

§. VII.

CArmen istud ea propter Cantica canticorum appellatum diximus suprà *cap.* 1. quia non est vnum simplex, continuum ac perpetuum canticum, sed plura cantica, in vnum librum, seu volumen conflata, & contexta. Iam nunc asserò illud ex octo diuersis canticis, seu Epithalamiis coalescere, quorum quatuor vespertina sunt, ad inducendam in soporem sponsam; quatuor item matutina, ad eandem excitandam. In vespertinis Epithalamiis obseruandi tibi sunt fines, ac videbis quatuor vespertina semper eodem modo desinere; nam vbi de cœna nuptiali dictum est, statim sponsa somno victa dicitur; atque adeò tria post aliqualem commemorationem nuptialis cœnæ clauduntur illis verbis: *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*; vnum verò illis verbis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et sanè adiuratio ista puellarum, hanc quam præmisimus matutinorum ac vespertinorum Epithalamiorum sectionem & partitionem perspicuè cohibet. Ita enim ait sponsus: *Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* quibus verbis puellis cantatricibus, quæ hymenæum concinebant, silentium imperat sponsus, præscribitque vt cantum differant in horas matutinas; hanc enim vim habet illud, *donec ipsa velit.* quod non aufert, sed differt cantilenam.

In quatuor verò matutinis Epithalamiis obseruanda tibi sunt initia, ac facilè intelliges ad excitandam primo manè sponsam fuisse comparata; nam duo quidem auspicantur ab illis verbis, *Vox dilecti mei.* Alterum *cap.* 2. *à vers.* 8. sic habet: *Vox dilecti mei, ecce ipse venit saliens in montibus, transiliens colles*, &c. Sed quorsum venit? *En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea*, &c. Alterum *cap.* 5. quod sic infit: *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea*, &c. quæ duo planè continent excitationem matutinam, tamen vt de initiis horum duorum Epithalamiorum meliùs edocearis, id cogita, Salomonem, vel potiùs Spiritum Dei sanctum, qui hæc illi instillauit, in toto hoc libro hoc maximè cauisse, ne duos sponsos vno in lecto, aut thalamo componeret, ne quid turpe veniret in mentem. Ea propter quoties somnus sponsæ subrepit, ipse quidem vigil perstat, & adolescentulas hymenæum pangentes admonet, vt cantum intermittant, atque illud non prius repetant, quàm sponsa, ad auroram, spontè euigilet. Deinde ipse quasi clanculum abire, sponsa in thalamo sola manente, & rursus manè quasi aliunde venire fingitur; ea propter sponsa *cap.* 3. quæsitum à se sponsum in lecto dicit, non inuentum. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Ergo propterea semel & iterum sponsi aliunde venientis voce sponsa suscitata dicitur, semel quidem *cap.* 2. illis verbis: *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus*, &c. & iterum *cap.* 5. illis: *Vox*

dilecti

dilecti mei pulsantis: aperi mihi, &c. Denique alia duo Epithalamia matutina ad sponsam excitandam, decantata, habent quoque simile initium, quippe quæ ab admiratione Hierosolymitanarum auspicium capiunt *cap.4.* & cap.8. *Quæ est ista quæ ascendit*, &c. nam cùm duobus illis diebus, quibus duo hæc Epithalamia accommodantur, scilicet nuptiarum tertio & quinto matutino tempore fieret ingressus sponsæ pompicus, & syluana domo in vrbem, (vt suprà adnotauimus,) satis aptè à multitudinis clamore & admiratione sumitur vtriusque excitatorij Epithalamij auspicium.

Neque verò putandum est, hæc octo Epithalamia, partim vespertina, & partim matutina, ita permisceri, vt necessum sit quædam anticipare, & quædam postponere; sed aptissimè in ipso textu iacere, eo ordine, quo per illos quinque nuptiarum dies cantata sunt; ita nimirum, vt primum Epithalamium sit vespertinum, (nam nuptias à vespera primi diei inchoari iam inde suprà ostendimus.) Secundum matutinum, tertium vespertinum, & reliqua eodem ordine, itaut semper vespertinæ matutinis cantionibus succedant, & matutinæ vespertinas excipiant.

CAPVT IV.

Breuis acoluthia, seu repræsentatio textus, in octo Epithalamia distributi.

PRÆDICTA Epithalamia ita suis quæque nuptiarum diebus accommodantur, vt semper materia, aut thesis hymenæi desumatur ab illis rebus, quæ eo die ac tempore agebantur. Quapropter vt partitionis huius formam, ex qua libri huius plenus ac perfectus sensus pendet, planè, ac perfectè teneas, placet hîc textum, non quidem in capita, sed in Epithalamia distributum, dissectumque præscribere.

Epithalamium primum vespertinum sub noctem primæ diei.

Hoc Epithalamium est vespertinum, continet desideria sponsæ, quibus è gynæceo & parthenone, in quo diutiùs fuerat, pulchritudinem, tum vnguentis, tum etiam lautioribus cibis curans, & ad futuras nuptias sese adornans educi, & in palatium sponsi traduci postulat. Includit etiam petitionem nuptiarum ab sponso, & vota etiam, seu preces ab amicis sponsi; non sine donis facta ad consensum sponsæ impetrandum, cohibet etiam assensum ipsius sponsæ, & traductionem illius. Addit etiam descriptionem cœnaculi, & modum discumbendi in triclinio; desinítque in cœnam nuptialem, cui somnus sponsæ succedit. Adiurantúrque tandem ab sponso puellæ cantatrices, vt ad matutinum Epithalamium occinendum redeant primo manè.

CAPVT I.

Desideria sponsæ, quibus traductionem suam ex gynæceo in ædes sponsi expedit ac deprecatur, suprà cap.3.§.3.

1 *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.*

2 *Fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.*

Puellarum, seu virginum pedissequarum munus sponsam à tergo insequi ac stipare, & Epithalamia canere, §.2.

3 *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinũ: recti diligunt te.*

Curatio formæ, & emendatio ipsius detersa nigredine, quæ fieri solebat in gynæceo, §.3.

4 *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*

5 *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me Sol, filij matris meæ*

meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui.

6 *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

7 *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.*

8 *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea: (præteritum pro futuro, assimilabo.)*

9 *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.*

10 *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

11 *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

12 *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

13 *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

14 *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.*

15 *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus.*

16 *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra Cypressina.*

Caput II.

1 *Ego flos campi, & lilium conuallium.*

2 *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

3 *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi & fructus eius dulcis gutturi meo.*

4 *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*

5 *Fulcite me floribus: stipate me malis, quia amore langueo.*

6 *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.*

7 *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit.*

Descriptio bucolica temporis vespertini, quo sponsæ traductionem fieri opus erat.

Sponsus petit nuptias, & translationem sponsæ offert. §. 2.

Amici, ac sodales sponsi vota faciunt, oblatisque donis sponsæ consensum deprecantur. ibid.

Quia translatio prima sponsæ fieri solebat ex gynæceo in hortos & syluas, hinc factum est, similitudinesque subinde ab sponsa & sponso miscentur.

Placet sponsa sponso, & sponsus item sponsæ, atque eo modo perficitur vtriusque consensus. §. 5.

Ideo verò sponsus oculos tantùm sponsæ laudat, quia per id tempus Sulamitis velo illo amicta, quo virgines vti solebant, alterum tantùm oculum liberum & apertum gerebat; reliquam verò faciem celabat, atque adeò sponsus ex vno alterum coniiciens, vtrumque commendat. §. 4.

Descriptio cœnaculi, aut triclinij, in quo nuptiales cœnæ exhibentur. §. 6.

Describitur cœna prima nuptialis. ibid.

Discumbendi forma. ibid.

Post cœnam sequitur sponsæ somnus, & cantus defertur in matutinas horas. ibid.

Epithalamium secundum matutinum ad auroram secundæ diei.

Incipit hîc nouum drama, nouúmque Epithalamium matutinum, ad sponsam excitandam, iuxta ea quæ suprà notauimus. Et quidem ipsa verba per se satis ostendunt, ad sponsam à sopore excitandam composita, & matutinam cantilenam esse, qua Sulamites surgere iubetur è thalamo, & ad vineas ocyùs contendere. Sed cur (inquies) primus egressus sponsæ ad vineas? quia nimirum nuptiæ & nuptiales cœnæ, aliaque magnifica conuiuia in hortis ac vineis exhiberi consueuerunt. Tullius de Antonio sic scribit *in 2. Philip.* Hodie non descendit Antonius. Cur? Dat natalia in hortis. Sed præstat locus *Esther* 1. vbi nuptiæ Vasthi, & conuiuium nuptiale in horto peragitur. sic enim habes: *Et iussit conuiuium præparari septem diebus in vestibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu constituerat.* id est, per septem nuptiarum dies. Vide plura suprà *cap.* 3. §. 6.

Illud etiam obseruandum, hanc cantilenam, sicut reliquas omnes excitatorias huius Cantici, ad solam sponsam intendi, propterea quòd sponsus semper, Sulamite dormiente, longiùs abire dicitur, ne si in eodem thalamo decumbere, & vnà simúlque dormire suspicari liceret, turpe aliquid, & obscœnum veniret in mentem; ideo etiam pastor fingitur sponsus, vt fugæ nocturnæ causa subesset; cura videlicet pecorum, quibus ad pabulum educendis, totam ferè noctem impendere solent pastores. Ea propter postquam puellis, ne sponsæ obstreperent, mandatum est, statim se proripit sponsus, & aliò declinat, & tota illa scena peracta est. Exinde noua alia scena, nouúmque Epithalamium sumit initium, in quo reditus sponsi ex syluis ad reuisendam sponsam, aliaque mox dicenda pro exercitatione illius occinuntur à puellis.

Itaque hoc Epithalamium continet matutinam excitationem sponsæ à voce sponsi aliunde redeuntis, & prouocationem ad vineam, seu hortum reuisendum, ad quem superiori nocte translata fuerat, vt aliàs non semel monuimus. Rursus, quia iuxta ea, quæ diximus suprà *cap.* 1. *vers.* 15. sponsa superiori nocte nondum faciem aperuerat sponso retecto crassiori velo, quo hactenus vsa fuerat; neque vocem suam eiusdem auribus insinuauerat, ipsum alloquens in prima persona, quippe quæ in præmisso Epithalamio, nondum sponsum affata est in propria persona; sed de sponso ad virgines pedissequas semper loquuta fuit, vt ex ipso textu patet, & infrà *cap.* 1. *vers.* 14. vberiùs dicemus. Iam nunc sponsus cupidus, vultum & faciem videndi suæ Sulamitis fenestras domus obire dicitur, id contendens, si fortè per rimas & obiectos cancellos ipsam inopinantem non visus videat. Deinde postulat, vt detecto velo, faciem ipsi aperiat, detecto, inquam, velo crassiori, & accepto flammeo subtili & pellucenti, quod sponsus nouæ nuptæ dare solebat. Ad hæc cupidus, eamdem sponsam audiendi, petit etiam, vt eius auribus insonet suis; nam ista duo, nempe prima faciei detectio subobscura, quatenus per noui flammi subtilitatem licebat, & vocis insinuatio, sermóque sponsæ, ad sponsum directus inter ritus secundæ diei nuptialis numerari suprà in Isagoge *cap.* 3. §. 6. adnotauimus. Denique hoc secundum Epithalamium absoluit discessus matutinus sponsi ab sponsa, & admonitio de reditu maturo.

Excitatio matutina sponsæ ab sponsi aliunde deuenientis voce.

Curiosa sponsi exploratio, vt sponsæ faciem, necdum visam aspiciat.

Hæc dies quæ inter nuptiales secunda est, tota in horto & vinea de more transigitur.

Inuitatur autem spõsa ad primum egressum è domo hortensi, præposita temporis & agri iucunditate: ad egressum

8 *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

9 *Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

10 *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.*

11 *Iam enim hiems transiit, imbra abijt, & recèssit.*

12 *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra.*

13 *Ficus*

13 *Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, & veni:*

14 *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

15 *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. nam vinea nostra floruit.*

16 *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.*

17 *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether.*

(inquam) è domo aliàs virginibus innuptis interdicto.

Sponsa sponsi sui precibus acquiescens depositò velo virginum proprio, & accepto flammeo nuptiali faciem aperit sponso suo, & primos sermones illi impertitur, suprà cap. 3. §. 4.

Discedit sponsus, atque discessus causa fingitur cura & pastus gregum. §. 6.

Admonetur de reditu maturo sub vesperum faciendo.

Epithalamium tertium vespertinum sub noctem secundæ diei.

Nouum drama, nouúmque Epithalamium incipit ab hoc carmine, quod certè vespertinum esse constat, quia in somnos desinit. Absoluitur enim illis verbis: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis*, &c. quæ ipsissima sunt, quibus clausum fuit prius Epithalamium, quod primo die ad vesperum dictum constat. Et quidem hæc cantatio nuptialis vespertina, continet elegantem sponsæ probationem, qua sponsus reditum ad sponsam retardans eius fidem experiri voluit. Hoc verò experimento excitatus amor sponsi, & quod externa nocte acciderat memoriâ repetens, eum sponsum in thalamo vestigans, eum abesse intellexit, zelotypia tangi cœpit, ac proinde robore, plusquam fœmineo obarmata, suspicans illum alienis amoribus indulgentem è syluis ad vrbem, fortasse venisse è domo syluana, in qua erat, ad eandem vrbem procedit, & vestigatum, inuentúmque sponsum *in domum matris*, id est, in cœnaculum, vbi cœna secunda nuptialis instructa erat, & in cubiculum, hoc est, in aulam, vbi thalamus genialis adornatus erat, ipsum adducit. Deinde verò cùm somnus illi post cœnam, vt suprà, irrepsisset, adiuratis puellis pediseguis, ne illius somnum interturbarent, de more suo, quasi ad custodiam gregum, nocturnam super dictam, iterum discedit sponsus, &c.

Caput III.

1 *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.*

2 *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni.*

3 *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea vidistis?*

4 *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.*

5 *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per ca-*

Sponsa ad vesperum expectans, ac sponsi sui moras ægrè ferens, externæ noctis iniurias secum agitat.

Zelotypia suadente ad vestigandum sponsum accurrit, vrbémque ingressa loca obseruat, vbi amatores conuenire solebant.

Cœna nuptialis secunda. Nam domum cœnaculum, siue triclinium appellat, concinunt enim verba ista cum illis, quæ habentur infrà cap. 8. *Introducam te in domum matris meæ, vbi daho tibi poculum ex vino condito*, &c. §. 6.

Somnus sponsæ & cantus differtur in

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

horas matutinas, vt habes suprà in primo Epithalamio.

capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Epithalamium quartum matutinum ad auroram tertiæ diei.

Hoc Epithalamium continet illa, quæ huius diei propria sunt, scilicet excitationem matutinam sponsæ, desumptam ab admiratione & acclamatione fœminarum, quæ viderant eam ex deserto, id est, ex sylua & horto, vbi nuptiæ agebantur, in vrbem irrumpentem, & in templum cum pompa & ambitione magna libandi causa pergentem. Itaque huius Epithalamij materies propria est processus sponsi, ac sponsæ pompicus in templum, ferculi gestatorij elegantia & diuitiæ, publica libatio in templo, coronatio sponsæ, & nuncupatio illius in regnum, & quia in hoc processu sponsus detectus, sponsa verò nuptiali illo flammeo subtili atque tenui, quod pridie acceperat, velata tectaque procedebat, puellæ Hierosolymitanæ, quæ ad spectaculum prodierant, ferculi elegantiam describunt, & sponsi etiam decorem exaggerant. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem*, &c. de sponsa autem vix aliquid miscent; istud certè ad sponsam pertinet, *Quæ est ista, quæ ascendit*, &c. quæ verba ignorationem significant. Nam cùm ipsam intueri non liceret, illud apud se agitabant. *Quæ est ista?* id est, *quien sera esta*. Illud etiam sponsæ tribuendum: media charitate constrauit, vbi charitatis nomine sponsam notari, eámque ibi aurea veste micantem ac splendentem describi ostendam suo loco. Concinunt enim hæc cum illis: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, &c. Ita enim putandum Solymitanas adolescentulas, quandiu illis sponsæ faciem videre non licebat, vestem tantùm obseruasse; sed tamen ne in hoc ipso progressu, quando multitudo & turba sponsi laudes prædicabat, & de sponsa, cuius vultum & speciem necdum oculis obierat, nihil dicebat. Certè sponsus ipse, cui iam pridie sponsa faciem detexerat, & qui tunc etiam cominus eandem sub flammeo latentem per subtilis flammei retia adspectare poterat, eius pulchritudinem describit, ab illis verbis: *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet*. In primitiuis est, *intra velum tuum*. quasi dicat: Propterea multitudo laudes tuas non commemorat, quia vultus, & facies latet sub velo. Ego verò, cui faciem iam aspicere licuit, & qui nunc etiam è proximo hærens eam quantum veli subtilitas patitur, intueor, ea omnia expingam, quæ sub flammeo delitescunt. Et quidem ita factum: nam ea tantùm, quæ flammeum tegebat, & turbæ eripiebat oculis, descripsit sponsus; eius enim descriptio ad papillas vsque peruenit, ad quas nimirum velum nuptiale demissum pendebat, vt diximus suprà *cap.* 3. §. 4. horum repræsentationem tibi offert textus ipse.

Excitatio matutina sponsæ, quam in tertia nuptiarum die vrbem ingredientem turba clamoribus prosequitur. §. 6.

Describitur pulchritudo ferculi genialis, quo Sulamitis à robustissimis caloribus gestata pompicè ferebatur in templum. ibid.

Sponsus & sponsa in eodem ferculo compositi ad vendicationē nuptialis glorię vrbem ingrediuntur, iuxta morem patrium, fœminæ autem Sionitides, solius sponsi gloria prædicant.

6 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?*

7 *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.*

8 *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suū propter timores nocturnos.*

9 *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.*

10 *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem.*

11 *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

CAPVT IV.

1 *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.*

Formam ſponſæ ſub flammeo nuptiali valde tenui, latentem delineat ſponſus, qui illam per ipſius ſubtiliſſimi veli retia ſeſe prodentem cominus aſpiciebat: à fœminis autem eminùs illam ſpectantibus diſcerni non poterat; ideo nihil de illius laudibus ſerunt.

2 *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.*

3 *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, abſque eo quod intrinſecus latet.*

4 *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

5 *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.*

Deſcriptio perũenit ad papillas. nam flammeus ad illas vſque pendebat, neque inferiùs deſcendebat.

6 *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Sacrificium ſeu libatio nuptialis in templo facta.

7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

8 *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Coronatio ſponſæ & nuncupatio illius in Reginam §. 6.

Epithalamium quintum veſpertinum ſub noctem dici tertiæ.

Hoc Epithalamium continet duorum ſponſorum reditum ex vrbe in hortum, & domum ſyluanam, vbi nuptiæ agebantur, & à qua pompa prodierat, & in quam veſpere ingruente redibat, exhibetque non perfunctoriam orationem ſponſi ad ſponſam, in qua rationes reddit, quibus inductus fuerat, vt illam præ cæteris fœminis adamauerit, & regni conſortem ante alias effecerit.

Hæ ſunt prima oculorum vibratio capilli pulchrè diſcriminati, primi etiam ſermones non fatui, aut inſulſi, ſed dulces & conditi veſtimentorum, ac reliqui mundi muliebres ſuaueolentia, elegantia & diuitiæ, quæ omnia ex gynæceo (vbi duo exculta fuerat) ad nuptias afferebat; & quia hæc ſponſi ad ſponſam oratio tunc habita fuit cùm pompa ex vrbe ad hortum domumque hortenſem moueatur, ideo quaſi è re nata non recedens, ab ſtylo bucolico eas ſimilitudines, aut comparationes, quibus Sulamitis cultum, ornatum ac mores hîc adumbrat, ab horto à fonte, & aquis irriguis ab aromatibus & pigmentis in ipſo conſitis ducit, ad extremum ſubdit tertiam cœnam nuptialem, & poſt cœnam ſponſæ ſomnum, ſponſique vigilias, quas ad gregem de nocte paſcendum de more ſeruabat.

9 *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Proponit ſponſus ea, quæ ipſum ab initio impulerunt ad ſponſam adamandam, & præferendam, vt regni conſors fieret. Hæc ſunt maturitas ad nuptias.

10 *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa: pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

Vnguentorum lautitia.

Eximius cultus & ornatus, mundíque muliebris splendor, quem ex gynæceo (vbi diutiùs præparata fuerat) ad nuptias afferebat Sulamitis.

11 *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

12 *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.*

13 *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.*

14 *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.*

15 *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.*

16 *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

Caput V.

Reditus sponsorum in hortum sub vesperum factus.

Cœna tertia nuptialis.

1 *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.*

Post cœnam somnus irrepit, sponsóque vigilante dormit sponsa, vti in aliis Epithalamiis vsu venit.

2 *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Epithalamium sextum matutinum ad auroram quintæ diei.

Hoc Epithalamium continet multa notatu digna, quæ in Isagoge animaduertimus, & hîc etiam perstringenda sunt. Huius Cantici structura, & nuptialium dierum distributio & partitio (vt aliàs non semel monui) ad velationem, & reuelationem sponsæ præcipuè spectat. Nam virginum nubentium præcipua cura erat, ne subitò pudorem abiicere & coniugatarum habitus, mores & licentiam assumere videretur, eapropter sponsa pudori consulens suo, cùm illi è domo exeundum est, difficilem se præstat, & faciem reuelare, populóque videndam offerre recusat. Vide quæ diximus suprà *cap.1.vers.15.* & *cap.2.vers.10.* & 14. & *cap.4.vers.1.* in Isagoge *cap.5.§.5.* Ex quibus constat sponsam die primo nuptiarum, velo, seu pallio crassiori tectam sponso traditam, ita vt ne ipsi quidem sponso faciem illius aspicere liceret; ac subinde secunda nuptiarum die hoc velo crasso & cæco deposito flammeum subtilem ac tenuem accepisse compertum est, quo tecta ab sponso quidem propiùs intuente, facies sponsæ videri subobscurè poterat, aliis verò omnis videndi copia adempta erat; hoc autem flammeo operta Sulamitis tertia die nuptiali ad vrbem & ad templum progressa est, vt locis nuper citatis ostendi: ergo quartum diem ingressi, cùm iuxta morem patrium, & connubialem ritum ad vrbem redire, velum omnino abiicere, & faciem apertam & reuelatam populo ostentare opus esset, ne id sponte sua cum aliquo pudoris detrimento facere videretur: Salomon huius Cantici auctor, elegantissima parabola assumpta, per quandam, quasi poëticam fictionem, ita rem narrat, vt nihil contra sponsæ modestiam suspicari fas sit; ait enim illam pallium illud subtile, quo iam vtebatur, non voluntariè deposuisse, sed ab excubitoribus per vim ipsi ereptum, & ita demum factum, vt in turbam fœminarum incidens, ab ipsis sic palam visa fuerit, vt illam vndique contemplari, & aspectu illius exatiari liberè potuerint. Ergo Epithalamium istud continet, primò excitationem matutinam sponsæ à voce

sponsi

ſponſi ex ſyluis & cuſtodia gregum redeuntis auribus eius inſonante, & poſtes domus, repetitis ictibus pulſante. Secundò obſiſtit Sulamitis ſponſo ſuo ipſam ad exitum ex interiori domo, in qua incluſa erat, prouocanti: obſiſtit, inquam, non ex ignauia, aut pigritia, ſed pudoris gratia, eas ſcilicet cauſas oſtendens, atque obiiciens, quæ illam apud ſponſum purgare poſſent. Tertiò, continet reuelationem ſponſæ, non ſponte factam, quaſi ipſa volens ac libens flammeum depoſuerit; ſed quia illam ad veſtigandum ſponſum antelucano tempore ad vrbem progreſſam, milites excubitores per vim pallio ſpoliarunt, ſic enim pudoris ſponſæ meliùs conſultum eſt à Salomone. Quartò, cùm ſponſa manus excubitorum fugiens, aperta facie in turbas fœminarum incidiſſet, & ab his, de ſponſo ſuo edoceri voluiſſet, illis ſigna poſtulantibus, luculentam ipſius deſcriptionem adiecit. Quintò, cùm à puellis Hieroſolymitanis, vbi nam ſponſus eſſet, diſcere non potuiſſet; iterum ad hortum, & domum hortenſem recurrit; cúmque ſponſo ſuo ad eum modum pallio, ſeu flammeo ſpoliata occurriſſet, eius formam & ſpeciem, quam iam tunc ſine vmbris, aut nebulis intueri licebat, collectis omnibus lineamentis iterum deſcribit. Sextò, in eadem die ſponſa, ſuadente ſponſo, facie detecta, & conſpicua iterum pompicè ingreditur in vrbem ad oſtentationem pulchritudinis ſuæ. Ita enim conſuetudo ferebat nubentium, vt mariti intra dies nuptiales vxorum ſuarum formam & pulchritudinem turbis ac multitudini exhiberent, vt infrà oſtendam *cap. 6. verſ. 9.* Turbæ igitur Sulamitem flammeo ſpoliatam, eius faciem apertam, membrorum omnium elegantem compoſitionem & ornatum cominus conſpicientes; illius quoque formam, membra & lineamenta omnia eleganti oratione depinxerunt. Denique Epithalamium iſtud claudit diſceſſus ſponſi ab ſponſa, & pactio concepta de reditu veſpertino, hic enim finis eſt cæterarum cantilenarum nuptialium, quæ matutinæ dicuntur.

Hæc eſt contextura & ſeries huius Epithalamij, quæ tota ſpectat ad reuelationem ſponſæ, & publicam oſtentationem pulchritudinis illius, quam ſic Salomon poëtica quadam compoſitione, ſeu fictione contexit, vt omnia incolumi ſponſæ pudore facta credantur, dum hæc non ſponte ab ſponſa, ſed ex quadam neceſſitate, rebus ipſis ita exigentibus, præter ipſius ſponſæ intentionem ac voluntatem peracta fuiſſe declarat.

Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

Excuſatio matutina ſponſæ ad auroram, & ſecundus eius in vrbem ingreſſus. §. 6.

3 *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Talarem veſtem in nuptis puellis ſolèmnem in aliam breuiorem commutare, quæ pedes ac ſuras detegebat, & nuptarum mulierum erat propria, veretur Sulamitis id ſuadente pudore.

4 *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

5 *Surrexi vt aperirem dilecto meo; manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.*

6 *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.*

7 *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.*

Reuelatio ſponſæ in quarta die nuptiarum de more fieri ſolita; ideo verò pallium nuptiale ipſe per vim adeptum finxit Salomon, vt pudori conſuleret nouæ nuptæ. §. 4.

8 *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.*

9 *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dile-*

ctus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

Descriptio sponsi ab sponsa facta, occasione accepta ex interrogatione fœminarum. Sic enim poscebat pudor, ne nimis curiosa illius pictura, aliena videretur ab honesta & casta viragine.

10 *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

11 *Caput eius aurum optimum: comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

12 *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.*

13 *Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

14 *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.*

15 *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, species eius vt Libani, electus vt cedri.*

16 *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hierusalem.*

17 *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.*

Caput VI.

1 *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*

2 *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

Altera descriptio sponsæ ab sponso facta post ablatum, & ereptum flammeum, quæ confirmat omnino ea, quæ tunc dixerat, cùm eandem sponsam flammeo velatam expinxerat.

3 *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.*

4 *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.*

5 *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.*

6 *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis.*

7 *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.*

8 *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ: viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.*

Secundus ingressus pompicus in vrbem, quem non curru, aut ferculo subnecta, sed pedibus incedens, ac turbis fœminarum stipata perfecit Sulamitis.

9 *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

10 *Descendi in hortum nucum, vt viderem*

poma

poma conuallium, & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.

11 *Neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.*

12 *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.*

Solymitanæ fœminæ deſcribũt integram formam, & ſpeciem ſponſæ, quam iam tunc ſublato flammeo, & aſſumpta breuiori veſte, quæ pedes ac ſuras detegebat, ipſis intueri licebat.

CAPVT VII.

1 *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis, filia principis: iunctura femorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.*

2 *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis: venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.*

3 *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

4 *Collum tuum ſicut turris eburnea, oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.*

5 *Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.*

6 *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs.*

7 *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.*

8 *Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius; & erunt vbera tua ſicut botri vineæ, & odor oris tui ſicut malorum.*

9 *Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.*

10 *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.*

Sponſus diſcedit, & de maturo reditu admonetur.

Epithalamium ſeptimum veſpertinum ad veſperam diei quartæ.

Hoc Epithalamium, ſicut alia quæ veſperi dicta ſunt, præſupponit reditum ſponſi ad ſponſam, non aliunde certè, niſi ex cura gregum: nam quoties ſponſus ab ſponſa, ſiue nocturno, ſiue meridiano tempore diſcedere dicitur, eius diſceſſus ad ſyluas & nemora gregis, paſcendi gratia ſuſceptus aſſeritur. Ergo vbi ſponſus ex ſyluis ad ſponſam ſub veſperum, nocte appetente rediit, illa aduentum illum boni conſulens ad hortum & vineam, domúmque ſyluanam horto, ac vineæ cohærentem inuitat: id nimirum proponens, vt ab vrbe, quam matutinis horis, pompicè ingreſſi fuerant ad venditationem gloriæ nuptialis, ad dictam domum ſyluanam regredi vellet, vt ibi noctem agere, & manè facto vineas & hortos reuiſere, obſeruare & excolere, aliaque hortorum ac vinearum propria oblectamenta, ſiue ex fructibus, ſiue ex floribus carpere integrum eſſet.

Et quia omnes odas nuptiales veſpertinas, cœna quoque nuptialis diffinire ſolet, (vt

(vt sæpe aliàs adnotauimus,) similem exitum habet Epithalamium istud, quod sanè in conuiuium satis delicatum, vinis medicatis paratum in cœnaculo, seu triclinio prædiuite exhibitum desiniuit, seruata forma discumbendi, nubentibus solemni, de qua suprà *cap. 2. vers. 6.* copiosè diximus, ad illa verba, *Læua eius sub capite meo*, &c. quibus hoc septimum Epithalamium absoluitur.

Reditus sponsorum ex vrbe in hortum, aut villam sub vesperum factus. §. 6.

11 *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

12 *Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi vbera mea.*

13 *Mandragoræ dederunt odorem: in portis nostris omnia poma: noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.*

Caput VIII.

1 *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat.*

Cœna quarta nuptialis. ibid.

2 *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.*

3 *Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.*

Somnus sponsæ, & dilatio cantus in crastinum. ibid.

4 *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Epithalamium octauum matutinum ad auroram quintæ diei.

Initium huius octaui Epithalamij ad excitandam sponsam dicti, simile est illi, vnde secundum auspicatum est suprà cap. 3. vers. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi*, &c. Continet autem vltimum sponsorum progressum in vrbem ex horto & domo syluana, vbi nuptiarum celebritas acta est, (vt sæpè aliàs animaduerti) & translationem sponsæ in domum vrbanam sponsi, cooptationémque eiusdem, in genus, & in familiam mariti.

Sed quid inde? in aditu domus, connubialia præcepta & leges seueriores sponsæ ab sponso præscribuntur, hæc sunt: amor sponsi ardentissimus, qui suadeat obliuionem parentum, generis & familiæ propriæ quasi mortua iam, & sepulturæ immersa sit: domus custodia, & domesticarum rerum accurata solicitudo, procorum & lasciuorum hominum propulsatio, rei familiaris administratio; & alia eiusmodi, quibus Sulamitem suam excolit, atque informat sponsus, vt in decursu patebit.

Sed tamen, vt constet quantam inter se cohærentiam habeant huius dramatis omnes partes, obserua, finem huius octaui Epithalamij matutini concinere cum eo, quo definitum est secundum etiam matutinum, quod sic habet: *Reuertere: similis esto dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum*, &c. ad singula veniamus.

Excitatio matutina sponsæ, quæ iterum lectica vecta vrbem ingreditur.
Discedit mater, eiúsque obliuio præscribitur Sulamiti.

5 *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Præcepta connubialia ab sponso sponsæ dictata.

6 *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia*

quia fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum.

Præscribitur obliuio parentum, & propriæ familiæ, postquam ad familiam sponsæ translata est.

Donorum acceptio interdicitur.

7 *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

8 *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.*

Contra procos & rebelles sponsi obarmatur.

9 *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

10 *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

11 *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.*

12 *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.*

13 *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.*

Amici ad nuptias inuitati, Sulamitis, ac saluere iussi recedunt, & nuptiarum celebritas absoluitur.

14 *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum super montes aromatum.*

Sponsus etiam digreditur, & de reditu admonetur, hîc enim esse solet finis matutinarum cantionum.

Iam intelliges quàm apta sit hæc nostra partitio, & quàm accommodata canticorum distributio in octo Epithalamia. Si autem hæc (vt puto) attenta animi cogitatione libraueris, certè si mea non omnino tibi arriserit coniectura, iudicabis tamen me non temerè in hanc sententiam impulsum fuisse: sed tam in antiquis Hebræorum moribus, quàm in verbis ipsis fundamentum non leue fuisse nactum.

CAPVT V.

Quæ species huius allegoriæ, & quotuplex sensus illius?

Hæc allegoria ænigma est.

§. I.

DVPLEX sanè allegoriæ genus comminisci licet: alterum est clarum & apertum, quod verbis translatis interserit, alia in germana & propria significatione, atque adeò translatorum obscuritas propriorum interpositione diluitur. Vel quòd licèt nullum non translatum, & à propria in aliam significationem traductum verbum contineat: tamen ex his, quæ antecedunt, & insequuntur, eorum quæ impropria sunt, & translata, sensum nullo negotio eruere, & aucupari procliue est. Aliud verò allegoriæ genus est obscurum planè, ac cæcum, & translatis à propria significatione in aliam verbis, ita contextum, vel potiùs contectum, & occultatum, vt neque intermixta aliqua propria & germana verba illud declarent, neque antecedentia facem illi præferant, neque insequentia lucem inspirent. Id verò allegoriæ genus ita obscurum & arcanum *ænigma* dicitur. Illud verò clariùs, ac luculentiùs communi allegoriæ gaudet nomine.

Aio igitur Canticum istud, quod perpetuam quandam & minimè interruptam allegoriam esse constat, si germanè loquamur, esse ænigma, obscurum planè, atque cæcum, id nominis illi dedit Nyssenus *homil.* 1. *in Cant.* vbi sic habet: *Amatoriam affectionem ad dogmatum explicationem ænigmaticè posuit.* Sed luculentiùs Athanasius in Synopsi: *Totus liber ad finem vsque mysticè cum allegoria ænigmatica, conscriptus est: sensus enim dogmatum illius, non est manifestus, sed in arcano absconditus.* Pende illa verba, *totus liber ad finem vsque*, &c. ibi enim habes ænigmatis finitionem. Nam illud, *totus liber*, plane ostendit, nihil non improprium & allegoricum intermisceri; illud verò, *vsque ad finem*, antecedentia & consequentia excludit, ex quibus charitas, aut lux aliqua ipsi affundi posset: & sanè ob hanc rationem parabolæ à Christo enunciatæ ænigma dici non possunt: tum, quia in quibusdam verba aliqua interserebat, quæ sensum illarum facilè prodebant: tum etiam, quia ex aliis, quæ Christus aut præferebat, aut subiiciebat, omnium ferè parabolarum sententiam aucupari integrum est. Accinit etiam D. Augustinus *tom.* 9. *in cap.* 34. *Ezech. cap.* 15. vbi sic ait: *Quid est quod mihi de Canticis canticorum profers, quæ fortè non intelligis? Cantica canticorum ænigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt, paucis pulsantibus aperiuntur.*

Rationem autem, propter quam Salomon ex Dei afflatu sanctissima nuptiarum Christi atque Ecclesiæ mysteria, hoc ænigmate celauit, obtulit. Dionysius Areopagita *in epist.* 9. quæ est ad Titum, his verbis: *Absurditatem profectò maximam imperitis ac rudibus animis imprimunt arcanæ illius sapientiæ Patres, cùm per obscura quædam ænigmata diuinam illam, plenámque mysterijs ac prophanis marcessam veritatem enunciant. Quid memorem Canticorum carnales atque amatorios quamplurimos affectus, & quæq; alia sacra, & visibilia signa occultis obducta? Quæ diuina fictio sacris audacius inseruit, atque affinxit: quorum profectò si quis intueri possit internum secretúmque decorem, mystica esse omnia, & diuina mirabitur, atque ingenti Theologiæ lumine plena. Neque verò putandum est, visibilia signa sine causa fuisse conficta: verùm arcana illius, pluribúsque inuisibilis scientiæ ideireo velata, ne prophanis fierent peruia, quæ sacratissima sunt, sociísque veris, ac legitimis diuinitatis amatoribus aperta paterent.* Hæc Dionysius, quæ non sunt propria huius libri, sed cum aliis etiam Scripturæ sacræ parabolis obscurioribus communia. Sed audiendus de eadem re D. Augustinus *lib.* 17. *de ciuit. cap.* 20. vbi germanam magis, ac propriam obscurioris styli, quo liber iste conscriptus est, rationem accommodauit. *Canticorum* (inquit) *canticum spiritualis quædam sanctarum est voluptas mentium, in coniugio illius Regis, & Reginæ ciuitatis, quod est Christus, & Ecclesia. Sed hæc voluptas allegoricis tegminibus inuoluta est, vt desideretur ardentiùs, nudetúrque iucundiùs.* Cape Augustinum. *Cùm Canticum hoc* (ait) *ad spiritales voluptates, & animorum delinimenta conscribenda fuerit compactum, ita certè construi debuit, vt ipse etiam verborum sonus non sine voluptate acciperetur, ac legeretur: sic nimirum, vt dum latens sub cortice nucleus disquiritur, inuentus denique magis ac magis placeat, & iucundius degustetur.* Cur verò illis, quæ sub cortice allegoriarum, aut ænigmatum delitescunt, sensis eruendis mirificè oblectemur, docuit luculentiùs idem Augustinus *lib.* 2. *de doctrina Christiana*, vbi de Canticis etiam istis verba faciens, sic habet: *Quid est quæso, quòd si quispiam dicat sanctos esse homines atque perfectos, quorum vita, & moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcedit eos, qui ad se veniunt, sibimet quodammodo incorporat, qui boni fideles, & veri Dei serui deponentes onera sæculi ad sanctum Baptismi lauacrum venerunt, atque inde ascendentes conceptione sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, scilicet Dei, ac proximi. Quid est ergo quòd hæc si quis dicat, minùs delectat audientem, quàm si ad eundem sensum locum illum exponat de Canticis canticorum, vbi dictum est Ecclesiæ: Dentes tui sicut grex tonsarum ascendens de lauacro, quæ omnes geminos creant, & non est sterilis in eis? Num aliud homo discit, quàm cùm illud planissimis verbis sine similitudinis istius adminiculo audit? & tamen nescio quomodo suauius intueor Sanctos, cùm eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus emollita duritie quasi demorsos, mansósque transferre. Oues etiam iucundissimè agnosco detonsas, oneribus sæcularibus, tanquam velleribus depositis, & ascendentes de lauacro, id est, de Baptismate: creare omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab ipso sancto fructu sterilem video. Sed quare id suauiùs videam, quàm si nulla similitudo promeretur, cùm res eadem sit, eadémque cognitio? difficile est dicere, & alia quæstio est.* Tamen statim huius rei rationem certissimam attexit his verbis: *Nemo ambigit & per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multò*

gratiùs

gratiùs inueniri. Qui enim prorsus non inueniunt quod quærunt, fame laborant; qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio marcessunt. Magnificè igitur, & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret. Habes igitur ex Augustino optimam rationem, ob quam in difficilioribus, & maximè obscuris interpretandis voluptatis plurimum inest; quia nimirum difficultas ipsa famem stimulat: omnis autem cibus famelico gratior est, ac iucundior, atque adeò in his nunquam accidit fastidium. Et sanè eximia hæc voluptas, quæ ex discussione huius allegorici ænigmatis capitur, in causa fuit, vt liber iste tot hactenus habuerit speculatores, & interpretes, quorum censum perstringere non esset facile. Nam, vt eos omittam, quos elapsi temporis sepeliuit obliuio, bis centum & amplius Canticorum interpretes numerare licet ex his, qui in nostri sæculi memoriâ vigent.

Addo etiam ex his fieri satis illi obiectioni, quam spurci, & impuri quidam ex hæreticorum vulgo canes contra Canticum istud commenti sunt, affirmantes illud esse prophanum, nothum, ac spurium; quia in eo nullibi aliquod ex sanctissimis Dei nominibus vel auditur, vel legitur. Nam cùm ex dictis constet illud esse ænigma germanè, ac propriè; non debuit certè aliquid rei significatæ, & sub cortice delitescentis immiscere, aut inferre: atque adeò Salomon ab omnibus Dei nominibus abstinens, id egit prorsus, quod natura Cantici, & suscepti ænigmatis postulabat.

Hoc ænigma duplici constat sensu quasi cortice, ac nucleo: is autem, qui nucleo confertur, litteralis est. Ex cortice etiam præter nucleum aliquid vlterius exprimendum.

§. II.

IN omni certè allegoria duplex sententia veluti conspirat. Alia quidem externa iuxta verborum tinnitum & sonum: hanc corticem dico. Alia verò interna, & ad mentem dicentis sub ipso verborum sono delitescens: hanc nucleum appello. Duos istos sensus esse in hoc Cantico nemo ignorat, quos aliter atque aliter Patres inter se componunt. D. Gregorius Nyssenus *hom. 1. in Cant.* sensum illum, quem literæ sonum appellamus, imagini coloribus illitæ adsimilem esse dicit. Alium verò, qui sub illo latet, cum tota forma, quam colores reddunt, confert. Sic enim habet. *Quomodo autem in scientia picturæ quædam est omnino materia in diuersis coloribus, quæ animalis complet imitationem. Qui autem aspicit ad imaginem, quæ per colores arte est absoluta, & eam contemplatur, non immoratur in coloribus illitis tabulæ, sed intuetur ad formam, quam coloribus artifex adumbrauit. Ita etiam conuenit in præsenti scriptura non intueri ad materiam colorum, quæ est in verbis, sed aspicere veluti ad quandam Regis formam, quæ in eis exprimitur per puras mentis conceptiones. Album enim, aut fuluum, aut nigrum, aut rubrum, aut cæruleum, sunt hæc verba, si spectentur, quæ in promptu sunt significationes, nempe os, & osculum, & vnguentum, & vinum, & nomina membrorum,* &c. *Quæ autem per hæc efficitur forma, est beatitudo, & impatibilitas, cum Deo coniunctio, & ei, quod est verè pulchrum, honestum, & bonum, perfecta assimilatio,* &c. Hactenus Nyssenus. Ad cuius verba illud etiam addendum puto, hanc imaginem, quam ipse in cortice literæ contemplatur, ex his certè esse, quæ diuersimodè obuersatæ ad diuersos inspectæ radios, aut luces, non vnam tantùm, sed perplures formas reddunt, ita vt nulli non diuersa ac dissimilis appareat. Hinc factum, vt quamuis multi in hoc libro multa viderint, & ea scriptis mandauerint: tamen aliis alia & alia videnda vlteriùs supersint, ita vt huius imaginis omnes formas nulla temporum successio exhaurire queat. Addo etiam sensum istum, quem verba sono tenus præseferunt, aptè admodum imaginem appellari; quia (vt tradit Lactantius) imagines ex sua institutione ad id certè inuentæ sunt, vt res à nobis separatas, distantes, & absentes veluti præsentes reddant. Nam *in lib. 2. de origine erroris, cap. 2.* sic habet. *Etenim hominis imago necessaria sanè videtur, cùm procul abest: superuacua eadem futura, cùm præsens est.* Aptè ergo hic prior sensus imago dicitur, & quidem talis, vt ea vti, atque illam speculari prorsus necessarium modò sit, nedum omittere: quandoquidem res à nobis omnino remotas, separatas, absentes, captumque superantes veluti præsentes obiicit, ac refert. Eiusmodi enim

sunt spirituales res, quas, dum animus corpori immersus est, non aliter illi, nisi in imagine perspicere, & in ænigmate contemplari fas est.

D. Gregorius Magnus hunc sensum, quem nos literæ sonum appellamus, satis eleganter quandam ab artifice aliquo ad res grauiores eleuandas affabrè compactam machinam appellauit. *Hic etiam* (inquit) *solerter intuendum, ne cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remaneamus, & machina, quæ ponitur, vt leuet, ipsa magis opprimat, & aggrauet.* Expendenda est energia huius comparationis: est enim peruenusta. Sensus iste exterior, quem literæ cortex offert, machina ad leuandum idonea appositè dicitur. Nota est vis, seu virtus eiusmodi machinarum: nam sæpe accidit, lapidem prægrandem, quem magna hominum multitudo ad altioris ædificij fastigium leuare non possit, vnius rotæ (quam vulgus appellat *grua*) conuersione ab homine aliquo introrsus non tam torquente, quàm inambulante facilè admodum ad quamcumque altitudinem subduci. Ita igitur apud te cogita sensum istum, quem litera præsefert, ad instar cuiusdam artificialis machinæ obtinere. Luculentiùs dicam. *Considera que es como vna grua*, cuius beneficio animus noster, quem corpus, cui hæret, vsque adeò semper grauat, ac deprimit, vt ad rerum cælestium meditationem nulla vi subleuari possit, facilè ad superiora impellitur, & ad cælestium cognitionem attollitur. Ac rursus etiam cogita id, quod in præfata artificiali rota accidere solet: nam si is, qui introrsus gradiens illam conuertit, ac torquet, tantisper cesset, atque consistens hæreat, rota quidem ab leuato pondere in diuersum acta, motorem suum magno impetu ad latera impactum grauiter percellere, aliquando etiam perimere solet. Audi nunc Gregorium, quem ad id spectasse omnino censeo, cùm ait. *Hic etiam solerter intuendum, ne cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remaneamus*, id est, consistamus, vel hæreamus: semper enim ab his ad vlteriora pergere oportet, scilicet à corporeis, atque humanis, ad spiritualia, & diuina; *ne machina, quæ ponitur, vt leuet, ipsa magis opprimat*, &c. ne scilicet nobis ad eum modum in externis, atque humanis persistere volentibus id accidat, quod his, qui rotam subleuatoriam conuertunt, cùm fortè à motu suo constiterunt: animus enim, quem hoc artificio attollere contendimus, corporis pondere degrauatus, huius externi sensus rotam, aut machinam in diuersum torquebit, & mentem ab spiritualibus & diuinis ad humana & corporea conuersam, grauissimis, imò & lethalibus vulneribus sauciabit. Quid inde? Certè inde fit huius libri germanum interpretem externum istum allegoriæ sensum nequaquam omittere (vt quidam volunt,) sed illum potiùs tanquam rotam aliquam scandere, atque conuertere debere: ita tamen, vt in ipso non hæreat, seu immoretur, sed vlteriùs semper procedat, & ad cælestia, & diuina speculanda animum promoueat suum. Nam quotquot rotam istam hactenus scandere ausi non sunt, partim futiles, partim etiam coactas, & violentas expositiones contulerunt: qui verò illam inscendere non dubitarunt, opportunas, magis accommodatas, faciles, literales, veras, germanasque interpretationes compilarunt.

Vlteriùs D. Gregorius Nazianzenus *in oratione 1. Apologetica*, sensum istum externum, de quo agimus, *corpus* appellauit: cui nimirum spiritualis sensus tanquam anima insideat, ipsum informans. Nam de Hebræis verba faciens, qui huius libri lectionem interdicebant iunioribus, sic habet. *Verùm alij libri cunctis ab initio patebant, quorum ne id quidem, quod corporeum est, laude caret: alij autem his duntaxat, qui vigesimumquintum annum attigissent, quòd scilicet sola hæc ætas supra corpus assurgere, & à litera ad spiritum rectè ascendere queat*, &c. quibus verbis Gregorius id, quidquid est externi sensus ex sono ipsius literæ deprompti, *corpus* appositè admodum compellat: corpus, inquam, spiritualem sensum veluti animam includens. Corpus vtique, si absit anima, actutum corrumpitur, & intabescit: ita etiam huius libri sensus exterior si ab spiritu separetur, corruptionem contrahit, & carnale quiddam, corruptionique obnoxium sonat. Animus item si à corpore discedat, in statu violento est: semper enim suapte natura corpus appetit. Non aliter de quorundam Doctorum expositionibus sentio, qui de allegoriæ corpore nihil curantes, spiritualem quendam separatum omnino, & abstractum commenti sunt, in quo velut in anima à corpore seiuncta omnia sunt violenta, & coacta. Quapropter danda est opera illis, qui huius libri germanum intellectum assequi volunt, ne animam sine corpore, aut corpus sine anima exhibeant: ne scilicet aut sine spirituali sensu literæ sonum, aut sine sono literæ spiritualem sensum offerant: sic enim aptas, accommodatas, natiuas, genuinas,

vel

vel (liceat sic dicere) vivas animatasque expositiones nobis dabunt.

Denique vt alia omittam, de hoc externo sensu elegantissimè omnium D. Augustinus *in lib. 2. de doctrina Christiana*, vbi de figuratis Scripturæ sermonibus in vniuersum agens, & ex hoc Canticorum libro exemplum petens, affirmat non aliter in eo externum literæ sensum, & spiritualem internumque intellectum copulari, & vniri, quàm diuinitatem carnemque in eadem persona Verbi. Magna certe est huius comparationis dignitas, nec minor illius elegantia, & concinnitas. Nam quemadmodum caro secundùm se nō vnita Verbo multis passionibus, appetitionibus, & affectionibus suapte natura obnoxia est: ita etiam externus ille literæ sensus ab spirituali disiunctus, humanas prorsus affectiones, & terrenas, carnique affines cupiditates præsefert. Item sicut diuinitas à carne separata, & seiuncta, inuisibilis atque inæstimabilis est, quippe quæ non tantùm oculorum obtutum, sed mentis etiam captum excedit: ita etiam spiritualis sensus huius libri, qui illi externo non hæret, atque in eo innititur, quodammodo inaspectabile, & inæstimabile est, & captui humano minimè accommodatum. At verò sicut carne & diuinitate in vna Dei persona sociatis, & vnitis, ex hoc commercio caro ab omni prorsus affectione, & inordinata cupiditate libera facta est: diuinitas etiam carnis beneficio visibilis & spectabilis fieri, captuique nostro accommodari cœpit. Ita etiam duo illi sensus, cùm alter alteri hæret, ac copulatur, externus quidem & corporeus nulli impuræ, vel inordinatæ affectioni obseruit: internus verò, & spiritalis oculis, æstimationi, & captui humano se se attemperat. Ad hæc quemadmodum per diuinitatis, humanitatisque vnionem, ac societatem id partum, quæsitúmque est, vt Deus non solùm doceret, sed etiam faceret, atque adeò doctrinam suam exemplo firmaret: inde verò effectum, vt homines Christi præcepta operum exemplis roborata promptiùs arriperent. Idem profectò de duobus illis istius libri sensibus, externo, & interno, iudicium est: nam si alter cum altero cohæreat, doctrina quodammodo (liceat sic dicere) exemplo fulcitur, atque adeò ad animos promouendos magis idonea est.

Quid plura? D. Greg. Nyss. *in ea hom. 1. in Cant.* sensum illum, quem litera sono tenus reddit, Græcè μέσον, id est, *medium* appellat: & quidem aptè. Ego verò Nyssen. ita interpretor, vt ea, quæ ex amore humano ducitur allegoria in hoc Cantico, non sit mera, ac pura allegoria, sed verū mediū, sine quo mens humana ad diuina intendere non valet. Dixi autē non solam & meram esse allegoriam, quia hæc non semper habet rationem medij in cognitione: nam plurimæ res per allegoriam explicātur, quæ per se cognitioni subiacent, & proprias sui species imprimunt menti. Addidi etiam verum medium esse, quia illud verè, ac propriè in cognitione nostra medium est, sine quo priùs cognito assequi non possumus illam rem, cuius medium esse dicitur: eiusmodi autem est sensus iste externus ab humano amore petitus. Nam cùm amoris Dei erga nos, & nostri erga Deum proprias formas non habeamus, certè illum non aliter nisi per humanas sensibilis amoris species attingere possumus. Hinc verò colligere licet, quanto studio contendere debeat interpres, ne quid in hoc medio non candidum, syncerum, ac purum sit. Nam sicut interiecti alicuius vitri maculæ omnes ad rem transeunt, quæ per vitrum spectatur: ita etiam si quid in hoc medio, & externo sensu non purum putúmque cogitatio nostra teneat, ad diuina, quæ suapte natura candidissima, & purissima sunt, infectio, & macula redundabit. Quid sole purius, & candidius? & tamen si medius aër crassis vaporibus concrescit, solem ipsum obnubere, & candorem eius offuscare videtur. Et quidem Aristoteles solem duos colores ex medio trahere solitum dixit, atrum, seu obscurum, atque sanguineum. Idem ego spirituali horum Canticorum sensui accidere ex medio dicere ausim, id est, ex hoc literæ sono: nam cùm hic non satis explicatur, & illustratur, velut ex atro medio obscurus redditur; cùm verò non satis purè, & syncerè exponitur, sanguineus planè efficitur, id est, sanguinem, carnémque sapere incipit. Qua in re aliqui non ignobiles interpretes (me iudice) non parum deliquerunt, qui quasdam humani amoris parum sanas affectiones, & lenocinia, adde etiam delicata quædam, & voluptuosa, ne dicam fescennina, & non satis pudica, in quibusdam locis excogitarunt: vulgò appellamus *ternuras y melindres*. Absit autem vt ego medium istud candidissimum, atque purissimum ad eum modum vel inficiam, vel commaculem. Quin imò in libro isto, etiam quoad corticem, nihil non seuerum, serium, & cum grauitate coniunctum esse dico, ac pronuntio. Eò enim spectat tota illa Cantici istius constructio,

& compago, quam in superiori capite præscripsi : eiusmodi enim est, vt quidquid procax, quidquid delicatum nimis, quidquid non serium satis, seuerúmque ab aliis dictum, cogitatúmque fuit, id prorsus arceat, & auertat, omniaque ad synceras, & graues sententias transferat : vt nimirum nihil in hoc medio labis, & maculæ oculis nostris obuersetur, quod diuini amoris perfectissimam munditiem aliquo modo afficere, ne dicam inficere, queat.

Quòd si inquiras ex duobus istis sensibus, externo, & interno, quos corticem, atque nucleum initio appellauimus, quisnam literalis dici debeat? Respondeo, ex Rabinis non paucos putantes in hoc Cantico Salomonis nuptias cum Pharaonitide, aut cum Abisach puella ad literam pangi, consectariè affirmasse literalem sensum esse humanum, & externum. Sed tamen non audiendi, & cum Augustino sentiendum omnino, qui *lib.* 8. *de Genesi ad literam*, *cap.* 1. ea, quæ in Genesi narrantur, cum his, quæ in Canticis describuntur, conferens sic ait : *Narratio in libris Geneseos non genus loquutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris*, &c. & Dionysius Areopagita suprà *loco citato*, sic scripsit : *Quæ diuina fictio sacris audaciùs inseruit.* quibus verbis planè significat hæc, quæ narrantur in hoc libro, non acta, sed ficta fuisse. Itaque tota hæc nuptialis celebritas, quæ historicè narratur in hoc Cantico, parabolica est, ad significandas Christi & Ecclesiæ nuptias, à Vate ex Dei afflatu inuenta, & conficta. Quapropter sicut in parabolis, quas Christus ad plebem dixit, germanus ac literalis sensus non est verborum ille externus sonus, sed interna, ac spiritualis sententia, quam Christus similitudinibus hinc inde ascitis celabat. Ita etiam in hoc canticorum Cantico sensus ille externus, quem verba præ se ferunt, à nuptiarum ritibus petitus, non est genuinus ac literalis, sed ille alius internus, quem sub ea nuptiarum ænigmate occultauit Salomon.

An verò ille literæ sonus, qui ad humanas nuptias totus spectat, & cortex appellatur, vbi spiritualis intelligentiæ nucleum decerpsero, statim abiiciendus mihi erit? Minimè verò : id certè agam quod vinitores circa vinacea præstare solent (teste Augustino.) Hi enim postquam ex vuis generosum vinum expressérunt, vinacea ipsa aquâ rursus infundunt, vt inde loram depromant, vulgò *aqua pie*, quod est ignobile vini genus ad rusticos potandos. Cato de re rustica, *Et nos loram maceratis aquâ vinaceis exprimimus.* Ergo ad eundem modum circa sensum illum externum ex nuptiis desumptum versabor : nam vbi ex illo spiritualem sensum (qui literalis est, vt iam dixi,) tanquam generosum merum expressero, eundem tanquam vuarum vinacea denuò recudam, atque meæ industriæ frigida immissa, inde quidem præcepta connubialia tanquam vinum ignobilius extorquere curabo, idque nubentibus, & coniugia copulantibus (*que son los trabajadores y gañanes en la Iglesia*,) ad eorum coniugia informanda propinabo. In qua re premam omnino antiquorum Patrum vestigia, qui in plerisque parabolis, ex his, quas Christus in Euangelio seruit, id prorsus egerunt. Sicut in parabola filij acceptam à patre hæreditatem profundentis, & in parabola diuitis auari, epulantis quotidie splendidè, & in aliis, quarum non modò internum perscrutantur sensum, sed etiam externum litteræ tinnitu ad ethicos, seu morales doctrinas passim conuertunt.

Spiritualis huius libri sensus non vnus, sed multiplex apud Patres; & quis præferendus.

§. III.

ILle sensus, quem hactenus spiritualem, vel nucleum sub allegoriæ cortice latentem diximus, non est vnus, sed multiplex. Primò igitur iste sensus bifariam partiri potest. Alius enim est liber, & solutus, quem immediatum libet appellare : alius contractior, & astrictior, quem mediatum nuncupare licet. Hanc verò partitionem vt teneas, præmittere oportet in hoc canticorum Cantico, nullo dissentiente, iuxta literæ sonum nuptias, nuptiarumque solemnes ritus pangi. Addo etiam ipsasmet nuptias, & nuptialia sæpiùs non sine allegoriis expingi. verbi causa, *cap.* 1. *vers.* 13. sic habes. *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* quibus verbis nomine botri, seu vitis potius cypro, aut cypero arbori adnascentis, atque illi sese insinuantis, & propaginibus suis arctiùs complectentis, honestos coniugum amplexus honestè admodum,

modum, ac decorè ſignificauit Salomon. Et cap. 4. verſ. 1. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad,* id eſt, de radicibus montis ad faſtigium illius. quæ verba ſimilitudine caprarum ab imis illius montis radicibus ad verticem ſcandentium ſignificant planè ſponſam capillos ſuos, quos ante nuptias puellarum more paſſos, & ſolutos gerebat, iam inde poſt nuptias matronarum more vittis collectos, & in caput reuocatos, reuinctoſque geſtare. Quid inde? Subiicio.

Quædam certè Scripturæ loca ſunt, in quibus hiſtoria aliqua, vel prophetia per allegoriam deſcribitur. In his autem duplici via ad ſpirituales ſenſus procedi poteſt, hoc eſt, mediatè, vel immediatè. Tunc proceditur immediatè, cùm ipſiuſmet allegoriæ verba, vt ſonant, quæ ad hiſtoriam, vel prophetiam innuendam primariò ſcripta ſunt, proximè applicantur myſterio, nulla habita ratione hiſtoriæ. Tunc verò mediatè, cùm ab allegoria venitur ad hiſtoriam, & ab hiſtoria tandem itur ad myſterium. Quod quàm ſit ſolemne Patribus, nemo in eorum lectione modicè verſatus ignorat. exempli gratia, *Deuteron.* 33. in benedictione Tribus Ioſeph, ſic Moyſes. *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore, atque abyſſo ſubiacente, de pomis fructuum Solis ac Lunæ, de vertice antiquorum montium, & de pomis collium æternorum, quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes.* Itaque in his verbis per allegoriam deſcribitur ſecunda fortuna illius Tribus, cui promittit certò Moyſes in promiſſa regione ſortitò euenturam eximiam telluris partem, quæ videlicet aquis vtatur, & cœleſtibus, & irriguis, vberes vbique fructus afferat, montes cohibeat ſublimes & pingues. Addit etiam tribum iſtam in agrorum cultura diligentem futuram, & in bello fortem, & ſtrenuam: nam agriculturam taurus denotat, rhinoceros bellicum robur, & diſciplinam militarem. Igitur Patres, qui hæc verba ad myſteria alliciunt, non habita ratione prophetiæ huius, quæ allegoriæ ſubiicitur, verba ipſa, vt ſonant, immediatè Chriſto accommodant, & Chriſtum tauri, & rhinocerotis nomine compellatum fuiſſe, dicentes, ſingulas vel tauri, vel rhinocerotis proprietates in illum cadere contendunt. Ita locum iſtum ediſſerunt D. Gregor. Hieron. Rupert. & alij. Quis autem neget illum eſſe longè digniorem, ac nobiliorem modum myſteria aucupandi, ex allegoriæ cortice prophetiæ nucleum elicere, & hunc deinde ad myſteria vocare? Qui dici poteſt mediatus verborum vſus, verbi gratia, qui expendit illa verba, *Primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius*; elicit primùm ibi latentem prophetiam, quæ tribum Ioſeph, & accuratam agriculturæ diligentiam, & armis ſtrenuam operam nauaturam aſſerit. Deinde Chriſto accommodat, qui ſibi agricolæ nomen aſciuit, cùm dixit, *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum*; & in Eccleſiæ agro elaborando tantum laboris poſuit: qui debellatis etiam hoſtibus ſuis tot prædas egit, tamque copioſa ſpolia reuexit in cœlum. hæc certè exploratiſſima ſunt, & neminem latere poſſunt.

Ergo ad eum modum circa ſententias allegoricas huius libri duplici modo verſari poteſt interpres, aut ita quidem, vt verba ipſa, vt ſonant, proximè ad ſpiritualia transferantur: vel ita certè, vt primò, ac proximè de nuptiis explicetur allegoria, ac deinde nuptialis ille ritus primò ac proximè verbis ſignificatus ad myſteria vocetur. Videre licet hoc in illis verbis, *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Nam immediatè, & proximè locum iſtum myſterio accommodant, qui *botri* nomine *in vineis Engaddi* enaſcentis Chriſtum intelligunt, qui tanquam botrus in crucis torculari expreſſus ſanguinis ſui vinum cunctis propinandum hominibus profudit: & alia ſubiiciunt his ſimilia. Illi mediatè, qui venuſta illa ſimilitudine vitis iuxta cyprum arborem naſcentis, illi ſeſe inſinuantis, & velut propaginibus complectentis, atque ab illo odoris ſuauem halitum mutuantis, honeſtos coniugum amplexus notari autumant. quod vbi explicarunt, ſtatim ad myſteria veniunt, & in his ſponſi, & Sulamitis amplexibus ſtrictiſſimos Charitis nodos meditantur, quibus Chriſtus Eccleſiæ copulatur, eam ſibi deuinciens, ac ſe ſimiliter illi inſinuans.

Rurſus illa verba, *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad,* immediatè, & proximè applicant myſteriis, qui per ſponſæ capillos Apoſtolos intelligentes, qui Chriſto Domino ceu capiti proximè hærent: illos quidem cum capris in Galaaditano monte pabula carpentibus ita conferunt, vt plures caprarum proprietates ipſis adaptare contendant. Illi verò mediatè, & quaſi remotè, qui ſub ea caprarum aſcendentium ſimilitudine capilos ſponſæ olim fluentes, liberos, ac paſſos iam

inde post nuptias vittis adstrictos, & in verticem collectos priùs intelligentes, inde ad mysteria veniunt, & in his capillis eosdem Apostolos, qui priùs liberi, & soluti ad terrena spectabant, iam inde postquam Christus Ecclesiæ nupsit, ad Apostolicæ perfectionis culmen, & fastigium vocati ad cœlestia aspirare cœperunt, atque ei perfectioni sese obstringentes, religiosæ vitæ initium dederunt, quam à religando dictam plures volunt. & alia etiam in hoc nuptiali ritu contemplari licet, quæ suo loco adscribemus.

Vtrumque modum tam immediatum, quàm mediatum, Patribus, & diuinarum literarum interpretibus solemnem esse, tum in aliis Scripturæ locis, tum præcipuè in hoc Cantico, nemo inficiabitur. Et quidem liberior ille, immediatus, & proximus familiarior antiquis, eò quòd facilior, & mysteriorum etiam vbetior; alter verò adstrictior, & contractior, quem mediatum diximus, non ita frequens apud Patres: tamen non omnino insolens; suppetunt enim non pauca exempla Patrum, scilicet Origenis, Bernardi, Nysseni, & aliorum, qui in hoc genere interpretationis versati sunt, ac nobis, quid potissimum facto opus esset, suo exemplo docuerunt.

Quòd si quæras ex hoc duplici interpretandi genere, (altero quidem soluto, & libero; alio verò adstrictiori,) quodnam literale sit? In promptu est responsum: aio enim primum illud, quod immediatè & proximè verba huius allegoriæ iuxta illorum sonum ad mysteria transfert, esse omnino mysticum; illud verò, quod de nuptiis quidem proximè allegoriam accipit, & à nuptiis ad spirituales sensus transit, aliter affine magis esse. Ratio petitur ex dictis, quia cùm Prophetæ mens fuerit in hoc libro per ea, quæ in humanis nuptiis accidere solebant, spirituales Christi & Ecclesiæ nuptias iuxta literam adumbrare: nulla interpretatio literalis dici poterit, nisi illa, quæ de nuptiis humanis proximè accepta verba inde ad spirituales Christi, & Ecclesiæ nuptias traduxerit.

Quapropter etsi multi hunc Canticorum librum suis commentariis hactenus illustrarunt: tamen plures genus illud interpretationis liberum secuti sunt ex sono literæ acceptum; aliud verò magis adstrictum vix pauci tenuerunt. Vnus enim, vel alter est, qui huius libri integram seriem contexuerit, & singulas huius sententias de humanis nuptiis, & honesto coniugum amore priùs edisserens, inde ad nuptias, & amorem mutuum Christi & Ecclesiæ germanè traduxerit. Atque adeò cùm multi suppetant mystici sensus libri istius: literales tamen eiusdem interpretationes paucas habemus.

Cæterùm ille etiam sensus, qui verba proximè ad nuptias humanas, & inde ad spirituales transfert, non est vnus, sed multiplex; quia quamuis vnus & idem semper sit sponsus, scilicet Dei filius: sponsa tamen non est vna, sed multiplex: atque adeò pro diuersitate sponsarum diuersas huius libri interpretationes Patres commenti sunt. Primò sponsæ nomen fert natura humana singularis, quam Dei verbum sibi in eadem hypostasi copulauit. De hac sponsa intelligunt plures illa verba Matthæi 16. *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Nam cùm in ea parabola per decem virgines vniuersa Ecclesiæ multitudo significetur, quæ obuiam Christo fit, nihil aliud restat, cui possit sponsæ nomen indi, nisi humana natura ad Verbi vnionem quasi ad nuptias assumpta. Secundò, sponsæ nomine propriissimè insignitur tota Ecclesia, de hac Ioan. cap. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est.* & Paulus ad Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*, &c. & infrà: *Et erunt duo in carne vna, sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Tertiò sponsa appellatur quælibet singularis iusta anima. id nominis illi dedit Paulus 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Quartò singulari quodam iure inter alias animas Virgo sanctissima sponsa vocatur, quo nomine passim censetur apud Patres. Cùm ergo quatuor numerentur Dei sponsæ, ac singulis quædam propria sint, quæ alteri aptari non possunt, quatuor etiam Christi nuptias distinguere, atque adeò totidem huius libri interpretationes comminisci licet. Prima, in qua diuina Verbi, & humanæ naturæ coniugia pangantur. Secunda, in qua Christi, & Ecclesiæ connubia decantentur. Tertia, in qua Christi, & animæ nuptiæ occinantur. Quarta, in qua Spiritus sancti, ac Deiparæ virginis Mariæ canantur sponsalia.

Illud iam nunc constituere oportet, ex quatuor præmissis interpretationibus quænam

nam literalis dici debeat. Sunt qui cùm sentiant Scripturæ sacræ verba vsque adeò grauida esse, vt nonnunquam geminos, aliquando etiam plures liberales sensus pariant, & hanc fœcunditatem huic vel maximè libro tribuendam esse censent: atque adeò volunt omnes illas quatuor interpretationes germanas, ac literales esse. Id verò ex eo suadent, quia illæ quatuor sponsæ præmissæ ita ab inuicem distinguuntur, vt aliæ alias includant. Natura enim humana in vniuersum cunctam Ecclesiam; Ecclesia verò quamcumque iustam animam, & B. Virginem suo complexu comprehendit: atque adeó sicut de vniuersaliori literaliter enunciantur, eodem modo secundùm literam de minus vniuersali sub eo contento enuncianda esse videntur. Cæterùm vt meum de hac re iudicium subscribam, & quid circa quatuor illas sponsas sentiam, per singulas aperiam, aliqua præmittere oportet.

Primò obseruandum est, quatuor illas sponsas suprà dictas duplici modo considerari posse, aut secundùm se singulæ, aut collatione facta aliarum cum aliis. Si ergo inter se conferantur, certum est Ecclesiam cum natura humana in vniuersum, & quamlibet iustam animam, aut B. Virginem cum Ecclesia non comparari tanquam speciem cum genere, aut tanquam singulare cum specie: sed tanquam includens cum incluso, hoc est, tamquam membra cum corpore. Quapropter sub ea consideratione neque Ecclesia respectu naturæ humanæ, neque iusta anima, seu B. Virgo respectu Ecclesiæ, sponsæ sunt peculiares, & integræ, omnibus suis membris constantes: sed alterius sponsæ plura membra habentis singularia membra sunt, ad illius compositionem accedentia, cùm tamen singulæ considerantur sine relatione aliarum ad alias, quælibet certè per se sponsam integram omnibus suis membris constantem efficit. luculentiùs dico. Natura humana vt sic, corpus quoddam complet ex diuersis membris: nam membra huius permagni, ac vastissimi corporis appellare licet Iudæos, Græcos, Barbaros, &c. ex his enim tota natura humana veluti ex membris coalescit. Si ergo Ecclesia, quæ ex solis constat fidelibus, & reliquos à suo arcet gremio, cum vasto illo naturæ humanæ corpore conferatur, membrum illius intelligitur: atque adeò secundùm eam considerationem, quamuis fortasse natura humana dici posset sponsa, Ecclesia non item.

Rursus Ecclesia per se sumpta integrum etiam corpus efficit ex omnibus suis membris compactum. de quo corpore non semel Paulus. nam *ad Rom.* 12. fideles affatus sic scribit. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra.* Et 1. *ad Corinth.* 12. exactiùs corpus istud delineat, & membra illius enumerat. *Sicut enim corpus vnum est, membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt. Ita & Christus, etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus: nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Et subinde recenset Apostolus singularia membra, oculos scilicet, manus, aures, pedes, & tandem ita subinfert. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum,* &c. Denique idem Paulus *ad Ephes. cap.* 4. de hoc corpore Ecclesiæ inter alia sic scrit. *Et ipsi dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* & infrà. *Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctturam subministrationis in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Hactenus Paulus, Ecclesiæ corpus aptissimè coagmentans. Si ergo cum hoc omnibus suis membris constante corpore Ecclesiæ conferatur quælibet singularis anima fidelis, aut Virgo beata, tanquam membra illius à nobis concipiuntur: atque adeò secundùm eam considerationem Ecclesia quidem sponsa est, quippe quæ integrum corpus perficit: Virgo autem sanctissima, & iusti anima non item, sed integri illius corporis partes, atque membra censentur.

Rursus cuiuslibet iusti hominis, ac Virginis sanctissimæ anima aliam considerationem subire possunt. Quemadmodum enim in Ecclesia corpus quoddam mysticum

ex mysticis membris conflatum contemplamur: ita etiam in anima membra quædam mystica, atque integrum, & perfectum quoddam corpus ex his coalescens agnoscere licet. Et sanè isthæc membra Scriptura sacra sæpiùs animæ donat: nam Ioannes *in* 1. *Epistola Canonica cap.* 1. aures, manus, atque oculos ipsi adaptat. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Petrus etiam *in* 1. *Canonica cap.* 1. lumbos eidem tribuit. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ.* Atque inibi *cap.* 3. fœminas affatus suadet, vt hæc interna animi membra curiosius excolant, quàm externa. *quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti, vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, qui est in conspectu Dei locuples,* &c. Paulus etiam *ad Ephes.* 6. eidem pedes dat. *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Et *ad Hebr.* 12. genua adscribit. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Et ad eundem modum alibi alia membra, scilicet caput, collum, ventrem animis nostris accommodat Scriptura. Si ergo Virginis Deiparæ, aut iusti cuiuslibet animam ad eum modum suis omnibus constitutam membris cogitemus, secundùm eam considerationem habebit etiam rationem sponsæ. His ergo præmissis de quatuor illis sponsis, earumque cum Christo nuptiis per singulas dicere oportet, ac decernere, an de omnibus illis Canticum istud secundùm literam intelligatur.

De nuptijs humanæ naturæ, & Verbi: & an de his secundùm literam explicari possit liber iste.

§. IV.

NAturæ humanæ duplex acceptio est: nam sub hoc naturæ humanæ vocabulo intelligere possumus vel singularem illam, atque indiuiduam naturam, quam Verbum diuinum sibi copulauit: vel naturam humanam in vniuersum secundùm genus suum, quod vulgò dici solet *genus humanum.* Si ergo in priori acceptione sumatur natura humana, inter ipsam certè atque Verbum propriæ, ac veræ nuptiæ intercesserunt: dixi autem proprias, ac veras nuptias, non secundùm naturam, sed secundùm mysterium. Nam, vt infrà fusiùs ostendam, ad veras, ac perfectas nuptias requiritur societas, & communio non solùm voluntatum, & animorum, sed etiam corporum. Nam licèt ad matrimonium, quod vulgò dicitur *ratum non consummatum,* satis sit concordia voluntatum, quæ ex contractu resultat, sine carnis vnitate, quæ copulam consequitur: tamen si hæc voluntatum concordia non ordinetur per se ad carnis vnitatem, non potest sortiri rationem nuptiarum. Id ergo quod ad naturales, & humanas nuptias per se requiritur, ad spiritualia etiam, & mystica connubia deriuant Patres, ita vt ad illa vltra voluntatum vnionem, quam amor adstringit, etiam carnis vnius communionem postulent, & sine illa ne mysticas quidem nuptias agnoscant. Ea propter D. Augustinus ad illa Pauli verba, *Non Angelos apprehendit,* docuit Christum Dominum cum Angelis nubere non potuisse: atque adeò supremas illas intelligentias, quantumuis Deo per amorem adhæreant, ipsius Dei sponsas appellari non debere; quia licèt inter Deum, & Angelos summa voluntatum concordia intercedat; quia tamen hæc ad carnis vnitatem per se non spectat, nuptiarum nomen non meretur.

Primò inter humanitatem, & diuinitatem in Christo nihil ex his, quæ ad nuptias postulantur, desiderari certo certius est. Ita docet Augustinus *in Psalm.* 44. his verbis. *Coniunctio nuptialis, Verbum & caro: huius coniunctionis thalamus Virginis vterus, etenim caro ipsa Verbo est coniuncta, vnde dicitur iam non duo, sed vna caro.* Similia his habent alij Patres. Et ratio etiam id confirmat, quia in hac coniunctione diuinitatis, & humanitatis in vna hypostasi non solùm duæ voluntates, diuina scilicet, atque humana, inter se mutuò conspirant: sed etiam carnis communio, & societas intercedit.

At inquies, in hac coniunctione non assignari sponsam diuersam omnino à suo sponso: nam ex dicendis infrà *cap. sequenti*, constabit non prius Deum nubere potuisse, quàm carnem assumeret, atque adeò in ratione sponsi per carnem assumptam fuisse completum: quapropter accepta ad eum modum carne ad complendam sponsi personam, non remanet sponsa ab ipso sponso diuersa, cui sponsus copulari dicatur.

Sed

Sed tamen occurrit huic difficultati Cassianus *in lib. 5. de Incarnatione cap. 12.* vbi sic scribit. *Hoc igitur magnum est sacramentum, de quo ipse ait: Propterea relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Qui fuerunt ergo illi duo in carne vna? Deus scilicet, atque anima: in vna enim, quæ Deo vnita est, carne hominis, Deus est atque anima.* & paucis intercallatis, *& adiunctus est Deus vxori suæ, quia sicut vir & mulier vnum corpus sunt, ita maiestas diuinitatis, & caro hominis vniuntur, & facti sunt duo, id est, Deus atque anima in carne vna.* Accinit etiam Pseudo-Augustinus *in lib. 2. de Incarnatione Verbi*, vbi sic etiam fatur. *Magis enim de hoc, quàm de vllo alio dici potest, quia erunt ambo in carne vna, & iam non sunt duo, sed vna caro: magis enim filius Dei cum anima Christi in vna carne esse, quàm vir cum vxore putandus est.* Habes igitur ex his Patribus sponsam, & sponsum in Christo: Deus enim sponsus, anima sponsa est, qui in vna, quæ vtrique communis est, carne insolubili sociantur fœdere, atque adeò inter se arctissimas nuptias copulare germanè, ac propriè dicuntur.

Cæterùm non sunt istæ illæ nuptiæ, quas Salomon ad literam concinit in hoc libro. Quamuis enim de Incarnatione Christi Domini plæraque accipienda sint secundùm literam in hoc Cantico: non tamen in ea consideratione, quatenus Deus humanitatem sibi tanquam sponsam adiungit, & maritat, sed in ea, quatenus ex humanitate, & diuinitate in eodem suppositò completur, ac perficitur vnus Christus, qui per vtramque naturam sponsus Ecclesiæ constituitur. Nam per solam diuinitatem siue carne sponsi personam agere non posset, vt infrà dicemus. Ita fert communis Patrum conspiratio, qui quamuis ex libertate accommodationis nonnunquam per sponsam accipiant ipsam Christi animam, aut humanitatem assumptam: id tamen rarò faciunt, & sæpiùs Ecclesiam, quæ est fidelium congregatio, ac cœtus, sponsæ nomine intelligunt. Addo etiam plura in hoc Cantico de sponsa enunciari, quæ de Christi anima, vel de assumpta humanitate sine illius iniuria interpretari non possunt.

Altera humanæ naturæ acceptio pro genere humano in vniuersum iam nunc examinanda est. Aio igitur inter humanam naturam latissimè acceptam (quatenus omnes homines siue fideles, siue infideles, complectitur) & Christum Dominum nuptias initas fuisse. hunc loquendi modum passim vsurpant SS. Patres, non quidem ita, vt quandiu infidelis permansit, sponsa esse cœperit, absit: sed quia ex infidelitate assumpta per fidem & charitatem sponsa effecta est. de hac re optimè D. Augustin. in Psalm. 44. *Gaudeat* (inquit) *sponsa amata à Deo. Quando amata? dum adhuc fœda. Omnes enim peccauerunt, vt ait Apostolus, & egent gloria Dei. Et iterum, Christus pro impijs mortuus est. Amata est fœda, ne remaneret fœda: non enim verè fœda amata est, quia fœditas amata non est: nam si hoc amaret, hoc seruaret. Euertit fœditatem, firmauit pulchritudinem.* De his ergo nuptiis cum humana natura in latiori acceptione, & Christi Domini multa intelliguntur secundùm literam in hoc Cantico, nimirum ea omnia, quæ significant sponsam priùs degenerem, obscuram, sordidam, nigram, & indecoram ad excelsas, atque glorioſas Christi nuptias euectam fuisse. Nil certius.

De nuptijs animæ fidelis & Christi, & an de his ad literam aliquo modo intelligatur hoc Canticum.

§. V.

INter Christum, & animam fidelem veras nuptias intercedere, ex his, quæ suprà diximus, liquet satis. Nihil enim ex illis, quæ nuptias perficiunt, in hac Christi & animæ coniunctione desiderare licet: quandoquidem & voluntates arctissimo amoris fœdere adstringuntur, & carnis etiam communio, & commercium non deest. De his autem nuptiis librum Canticorum intelligendum esse passim decernunt Patres. D. Basilius *homil. in principium Prouerb.* sic scribit. *Cantica canticorum animæ perfectionis modum demonstrant, sponsi namque, ac sponsæ concordiam continent, hoc est, animæ cum Deo Verbo familiaritatem.* Idem docet Nyssenus *homil. in Cant.* Gregorius Magnus *in Præfatione commentarij in Cantica.* Origenes *ibidem*, & plures alij. Cæterùm, vt constet vtrùm hic sensus de animæ atque Christi nuptiis literalis sit, an mysticus, recolenda est illa duplex consideratio, quam anima iusta subire potest, iuxta ea, quæ diximus suprà §. 3. Aut enim anima sumi potest tanquam sponsa integra, & perfecta,

ex

ex omnibus suis membris coalescens : vel tanquam membrum alterius sponsæ, quæ est Ecclesia. Aio igitur plæraque esse in hoc Cantico, quæ secundùm literam interpretari debeant de anima fideli, ac iusta, secundùm quod est membrum Ecclesiæ viuum, atque coniunctum. Rursus dico, omnem aliam expositionem, aut interpretationem de ipsamet anima tanquam de sponsa (quæ nimirum per se, & à reliqua Ecclesia distincta, & discreta sponsæ perfectæ, atque integræ personam sustineat) non esse literalem, sed accommodatitiam, & mysticam. Id certè cum Patrum doctrina prorsus conforme est : atque adeò si qui docent Cantici istius germanum, ac genuinum sensum esse de anima, hi certè interpretari debent de anima, quatenus Ecclesiæ reliquæ ceu membrum adnexa est.

De nuptijs Deiparæ Virginis, & Christi, & quatenus etiam de illis Canticum hoc ad literam intelligi queat.

§. VI.

INter Virginem Deiparam, & filium eius Christum Dominum nuptias interceſſiſſe, ita vt quæ mater erat, eadem etiam proprio, ac speciali iure esset sponsa Christi, nemini dubium esse potest. Id nominis passim tribuunt illi Patres, quorum testimonia conflauimus in tractatu nostro de pura Virginis Conceptione *cap.* 31. Vbi etiam eiusdem Virginis, quatenus sponsa dicitur, supra omnes alias animas Christi sponsas excellentiam, & præstantiam non perfunctoriè tradidimus. Lege ibi multa. Illud etiam certò certius, hunc Canticorum librum de his Deiparæ ac Christi sanctissimis, ac diuinissimis connubiis vulgò à Patribus interpretari. Id anceps, & dubium, an præfata interpretatio inter literales referenda, ac numeranda sit.

Succedat etiam nunc memoriæ illa duplex consideratio suprà adscripta, quæ in Virgine etiam Deipara locum habet : aut enim tanquam membrum alterius sponsæ, scilicet Ecclesiæ, Virginem concipere licet : aut tanquam sponsam propriis perfectam & absolutam membris. Quoties ergo huius Cantici verba de Virgine tanquam de præcipuo, & maximè coniuncto post Christum Ecclesiæ membro exponi possunt, sensus profectò literalis erit. hæc assertio certa, & constans est. Illud in dubitationem verti potest, an etiam quando Virgo consideratur vt sponsa suis perfecta membris, de illa iuxta literam sensus promantur. Sunt enim multa, quæ id suadeant. Primò, quia vt Dei Verbum naturam humanam, seu Ecclesiam sibi adiungeret, maritaretque tanquam sponsam, debuit certè accedere consensus ipsius sponsæ, sine quo nuptiarum fœdera consistere non possunt. Istum autem consensum suo ac totius Ecclesiæ nomine Virgo exhibuit. Sic docet D. Thomas 3. part. quæst. 30. art. 1. *Congruum* (inquit) *fuit B. Virgini annunciari, quòd esset Christum conceptura, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam, & ideò per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Quid ergo causæ fuit, vt humanæ naturæ, & Ecclesiæ totius authoritas, & fides ad vnam Deiparam redacta fuerit, vt nimirum sola pro omnibus in diuini Verbi nuptiis spondere, assentiri, & pacisci potuerit? Certè non alia occurrit nunc accommodatior ratio, nisi ea, quam iam subiicio. Virgo totius Ecclesiæ authoritatem habere dicitur, quia ea sola ad instar obtinet totius : omnes enim gratiæ, virtutes, dona, & munera, quæ inter reliqua Ecclesiæ membra distributa sunt, in Virginem conuenerunt. Nam, si fidem habemus Bonauenturæ *in speculo lect.* 2. & aliis passim Patribus, omnes Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Doctorum, Confessorum, Virginum, & reliquorum Ecclesiæ membrorum gratiæ, ac dotes in Virginem confluxerunt. Cùm ergo hæc membra quæ ad vnum Ecclesiæ corpus conflandum accedunt, per gratiarum diuersitatem diuersa fiant, iuxta illud Pauli, *diuisiones gratiarum sunt*, &c. ex quo colligit Apostolus cunctam membrorum diuersitatem, ex quibus Ecclesia constituitur : certè Virgo sanctissima, cui nulla alicuius membri gratia defuit, in omni membro censeri debet : atque adeò omnes omnium membrorum gratias colligens omnia itidem membra in se habere, atque adeò integram, & omnibus suis membris constantem sponsam constituere videtur : ita vt de ipsa secundùm literam totus iste Canticorum liber exponi possit, ac debeat.

Accedit etiam id quod docent passim Patres, sub Christi mortem pro aliquo tempore

pore totam Ecclesiam ad vnam Mariam redactam fuisse, nam discipulis atque omnibus aliis à fide deficientibus, sola in fide constans fuit. Bernardus in sermone de lamentatione Virginis : *In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat, & dum vnusquisque hæsitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo semel suscepit, numquam perdidit.* ergo ne dicemus Ecclesiam per triduum illud, suis truncatam membris, omnino deformem & indecoram iacuisse ? Minimè gentium. Sed illud omnino asserendum, integram Ecclesiæ pulchritudinem secundùm cuiuscumque membri perfectionem, in vna ac sola Virgine integram, incolumemque seruatam fuisse. Quapropter de illa non solùm pro eo, sed etiam pro omni alio tempore omnibus suis membris perfecta & absoluta sponsæ librum istum ad litteram exponi debet.

Hæc & alia multa suadent Virginum in huius libri literalem sensum, speciali quodam ac proprio sibi iure venire : non quidem itaut omnes expositiones, quas alij in hunc librum coniecerunt, litteræ affines sint: sed itaut Virgo omni Ecclesiæ membro compacta quidquid de singulis enunciatur, ipsi etiam aptari debeat. Sed tamen de hac re plura infrà dicemus.

Canticum hoc de nuptijs Christi Domini, ac totius Ecclesiæ verè secundùm literam intelligi probatur.

§. VII.

HÆc assertio certa est, ac de fide; quam tradunt communiter sancti Patres, quorum censum hîc adscribere inutile ac longum esset. Ecclesiam autem intelligo secundùm quòd sponsa est ex omnibus suis gradibus & ordinibus tanquam ex membris compacta & constituta, quam Christus Dominus tunc duxit, cùm carnem induit, vt sequenti capite explicabimus. De sola autem Ecclesia secundùm hanc acceptionem Canticum intelligi ad litteram suadet ratio. quia, vt docet Augustinus *de Genesi ad litteram lib. 9. cap. 7. & de bono coniugali cap. 18. & de nuptijs & concupiscentia,* non semel (quem sequuntur communiter Scholastici in materia de matrimonio) ex eo habet coniugium indissolubilitatem, quia est symbolum & mysterium nuptiarum Christi & Ecclesiæ. Quapropter ex diuersis nuptiis, quas Christus contrahit spiritualiter, scilicet cum anima, cum Ecclesia, & cum Beata Virgine, illæ tantùm ritè & exactè per matrimonium significari queunt, quæ sunt insolubiles; nam si quæ hoc habent vt dissolui possint : hæ quidem in germanum matrimonij significatum venire non possunt. nam cùm suam indissolubilitatem ex re significata accipiat, insolubile esse debet id quod ab eo significatur. Quapropter coniunctio Christi, atque animæ iustæ non pertinet ad germanam matrimonij significationem : hæc enim, suapte natura, solubilis est per infidelitatem & culpam.

Manet ergo, solam coniunctionem Christi & Ecclesiæ per dictum matrimonium ritè & exactè notari; nam hæc sola solui ac distrahi non potest iuxta promissiones ac decreta Dei. Cum Ecclesia verò Beatam Virginem Mariam numerare licet, cuius etiam nuptiæ cum Christo ab initio insolubiles extiterunt, & insolubilitatem suam ex confirmatione in gratia, vel ex aliqua arctiori coniunctione illius cum Deo acceperunt, vt alibi dicemus.

Litteralis sensus de nuptijs Christi & Ecclesiæ, est propheticus, & omnium quæ ipsi singulis sæculis euentura erant, absolutissimum vaticinium.

§. VIII.

ALiquid vlteriùs circa hanc thesim examinare, ac discutere opus est; an scilicet sensus istelitteralis de nuptiis Christi & Ecclesiæ, ita capiendus sit, vt tantùmodo eiusdem Christi, & Ecclesiæ mutuos amores delitiasque, an maius aliquid ac dignius contineat? Certè quicumque legerit commentaria plurimorum interpretum, qui ante nos librum istum suis lucubrationibus illustrarunt, facile agnoscet illos ita sensisse, Canticum istud in id totum impendi, vt præfatos amores delitiasque viuis coloribus expingat;

expingat; semper enim in eo argumento versantur, & tum cùm maximè adnituntur & conantur, hoc solùm assequi videntur, vt demonstrent, siue animam hominis iusti, siue Ecclesiam ipsam per gradus aliquos sensim ad perfectionem, & vnionem cum Deo promoueri. Neque huius libri aliam seriem, vel contextum agnoscunt, quàm qui illos ad hanc, quam sibi proposuerunt, cogitationem manu ducat.

Cæterùm adduci non possum, vt illis assentiar. Nam ex quo librum istum exponẽdum suscepi, maius aliquid ac diuinius de ipso suspicari cœpi; ac conferens Patrum scripta & sententias, apud me statuebam litteralem sensum libri huius esse Propheticum, ita vt totus ille, quantus quantus est, nihil aliud sit, nisi vaticinium quoddam & prædictio non solùm aduentus Christi in carnem, sed etiam digniſſimarum ac præcipuarum rerum, quæ sæculis labentibus ad vsque mundi finem Ecclesiæ accidere oportebat, ita vt compendio quodam ea omnia cohibeat, quæ ab aliis Prophetis de Ecclesia, & Ecclesiæ statu & progressu denunciata fuerunt per sua quæque sæcula digesta, eo ordine, quo partim hactenus euenerunt, partim deinceps euentura sunt.

Hæc dum mecum recolerem, & meditatam à me expositionem auctoritate aliqua fulcire ac roborare impensè cuperem, quidquid animus satagens contenderat ac diuinaret, in vno Athanasio expressum comperi, ita vt nihil vlteriùs desiderare possem; nam in synopsi de huius libri sententia differens inter alia sic fatur: *Quemadmodum post Seruatoris dispensationem nullum amplius Prophetam expectamus, ita post illa quæ in hoc Cantico canticorum significata sunt, non est aliud canticum quod recentius aliquid significet expectandum. Etenim quæ in hoc Cantico significantur, eadem & in Prophetis & Scripturis per interualla dicta deprehenduntur. Rursus quemadmodum Agnum Dei Ioannes ostendit, atque Ioannem vsque lex est & Prophetæ: ita quæ in hoc Cantico adnotantur, finis sunt eorum, quæ in vniuersa Scriptura signantur. Quid enim aliud post Christi aduentum expectandum est, quàm iudicium & retributio? Canticum igitur est canticorum, propterea quòd nullum aliud posteà quæ hîc canuntur, expectandum est. Et sicut in lege Sancta erant, & post Sancta Sanctorum; post verò Sancta Sanctorum nullus alius interior locus habebatur. Ita post alia cantica, Canticum est canticorum: post Canticum verò canticorum non est interior aliqua & recentior expectanda nunciatio.* Quid illustrius aut dici, aut excogitari potuit? Habemus ergo ex Athanasio Canticum hoc esse Propheticum, ita vt prædictionem contineat primi aduentus Christi in carnem, atque aliarum omnium rerum, quas de Christo & Ecclesia reliqui Prophetæ denunciarunt. Vaticinium autem hoc ad vsque secundum Christi aduentum, cùm ad iudicandum & retribuendum iterum è cælo descendet, peruenire affirmat. *Quid enim* (inquit) *aliud expectandum, quàm iudicium & retributio?* Cuius prædictionem data opera excluſit Athanasius ab hoc Cantico; quia Christus cùm ad iudicandum mundum reuisurus iterum adueniet, non sponsi, sed Domini, ac iudicis seueriſſimi personam afferet; atque ideò non debuit hoc in nuptiali Cantico miscerì, aut inseri. Reliqua verò omnia, siue quæ vel ad primum Christi aduentum, vel ad Ecclesiæ statum, incrementa & progressum pertinent, per quinque illos nuptiarum dies, & per quatuor matutina, & totidem vespertina Epithalamia, admirabili quodam ordine digesta Canticum hoc complectitur, cuius rei repræsentationem quandam compendiosam infrà exhibebimus *cap. 6. & seq.*

Nostrum ergo circa multiplices huius libri sensus iudicium ex dictis iam liquet. Dicimus enim nuptias Verbi & naturæ humanæ, Christi & Ecclesiæ ad literam decantari, ita quidem, vt maximè literalis ac germanus istius carminis sensus sit Propheticus, Christi aduentum in carnem, & totum Ecclesiæ progressum ad vsque mundi finem exactiſſimè describens. Addimus etiam de anima secundùm literam intelligi posse hoc Canticum, si consideretur tanquam viuum & coniunctum Ecclesiæ membrum: si verò eadem concipiatur tanquam sponsa omnibus suis membris perfecta, non ad literam, sed mysticè interpretari. Denique adstruimus de Virgine Deipara, si consideretur eo modo tanquam membrum Ecclesiæ, aliqua secundùm literam exponi posse in hoc Cantico: si verò eadem concipiatur tanquam sponsa omnibus suis absoluta membris, non improbabiliter etiam in eiusdem Cantici literalem sensum venire; vel certè aliquid mistyco sensu maius de illa concipiendum esse.

Quapropter nostrum commentarium sic instituemus, vt primo loco allegoriæ

ipsius

ipsius sensum, secundùm quod totus ex nuptiis humanis desumptus est, exactiùs explicemus sub hoc titulo, *Sonus allegoriæ*. Et quia sonus ipsius allegoriæ ita exactè nuptias humanas describit, vt ex illo non pauca præcepta connubialia ad coniugum mores informandos decerpere liceat, ne id quidem mittendum duxi, sed quotiescunque eiusmodi aliquid occurrit, illud etiam attexam. Secundo loco prophetiam de Christo & Ecclesia, tanquam nucleum ex allegoriæ cortice decerpemus, sub hoc titulo, *Sensus Propheticus*. Tertio loco singula verba interpretabimur de Christi atque animæ nuptiis sub posteriori consideratione, quatenus anima, seu sponsa concipitur suis perfecta membris; nam alia consideratio eiusdem tanquam membri, ad propheticum sensum reducitur. erit autem titulus, *Mystica interpretatio de anima*. Quarto loco de Virgine Deipara, sub illa etiam consideratione, quatenus sponsa suis quoque absoluta membris intelligitur, expositionem propriam complebimus. Et quia hæc expositio aliquid mystico maius ac dignius continet, vt ex dictis liquet, eam quidem sub hoc titulo subscribemus, *Hypermystica expositio de Deipara*.

CAPVT VI.

In quo de nuptijs Christi & Ecclesia generalia quædam præmittuntur, quæ ad huius libri interpretationem muniunt viam.

SED antequam singulorum verborum commentarium aggrediar, operæ pretium duxi primò vniuersaliora aliqua dogmata circa nuptias Christi & Ecclesiæ præfari. Secundò quæ de totius libri syntaxi, structura, & compagine, scilicet, de octo Epithalamiis, de quinque nuptiarum diebus, ac de his, quæ per singulos istos dies agebantur, suprà præluси, ad spiritualem sensum traducere, & prophetiæ ordinem compendio quodam exhibere ac repræsentare. Tertiò denique ostendere, quonam modo ad posteriores duas interpretationes (scilicet mysticam de anima, & hypermysticam de Beata Virgine) eadem syntaxis & structura libri accommodari & aptari debeat.

Ecclesia fidelis est sponsa, & vxor Christi: Synagoga verò etiam fidelis non contraxit cum Deo matrimonium, sed sponsalia, & quasi virgo in gynæceo ad futuras nuptias adornata est: ac denique quo sensu infidelis Synagoga sit Ecclesiæ mater.

§. I.

OPportuna est in hoc loco hæc disceptatio, seu quæstio, vtrùm sola Ecclesia proprias nuptias cum Christo inierit, an etiam Synagoga ante Christi aduentum cum Deo nuptias copulauerit, vti constet, an liber iste de sola Ecclesia, an etiam de Synagoga ad litteram interpretari queat. Synagogam ergo à Deo adamatam, & fœdus nuptiale cum ipsa initum, multa suadent Scripturæ loca. Ezechiel *cap.* 16. Synagogæ atque Dei nuptias exactissimè describit, vbi inter alia sic ferit, *& iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi*. Adest etiam Hieremias, qui *cap.* 2. de Synagoga sic fatur. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra, quæ non seminatur*. Mitto alia, quibus inducti Rabini plures audacter pronunciarunt, librum istum de Synagoga Hebræorum ad litteram esse interpretandum: in his est Paraphrastes Chaldaicus, qui cùm aliàs sæpe, sed tum maximè in expositione huius Cantici, aberrauit.

Cæterùm vera, & (nisi fallor) catholica sententia est, Deum cum Synagoga olim nuptias non contraxisse. Ita expressè docet D. Hieronymus *in Oseam*, & D. Augustinus *de symbolo ad Catechumenos*, vbi sic ait: *Agite Iudæi nescientes nuptias Agni*, &c. integrum testimonium infrà dabimus. Et S. Gaudentius Episcopus Brixiensis in sermone altero ex duobus, quos habuit *de nuptijs Cana*, vbi sic scribit: *Si Deus iuxta Apostoli doctrinam omnes homines vult saluos fieri, & ad notitiam veritatis venire, cur apud gen-*

tes, potissimum in consummatione sæculi, istæ sæculares nuptiæ celebrantur, & superioris ævi plebes diuino non sunt copulatæ coniugio? Et multa subinde attexit, rationem offerens, propter quam Deus tamdiu nuptias distulerit. Ratio etiam id comprobat, ex his, quæ in superiori cap. 1. §. 3. diximus, deprompta. Quia (vt ibi prænonui) duplex tantùm matrimonium est, aliud ratum, aliud consummatum. Matrimonium consummatum vnius carnis communionem poscit, ac sine illa ne concipi quidem potest. Matrimonium verò ratum, quamuis illam carnis vnitatem re ipsa non includat, tamen ad illam natura sua ordinari debet: imò in præsenti corporum traditione consistit, per quam quasi coniuges alter alteri sese addicunt, & consecrant, & ius in carnem mutuò alterutrinque comparant, vt scilicet qui iam sunt vnum voluntate, & affectu, vnum etiam carne quamprimum fiant. Quid inde? Certè inde fit Deum, antequam carnem indueret, nec matrimonium contrahere, nec sponsam, vel vxorem habere potuisse: nihil enim neque consummato, neque rato matrimonio adsimile eo tempore inire potuit. Nam cùm ad vtramque matrimonij speciem copulandam coniuges carne opus habeant, vt eam sibi inuicem tradant: nimirum vt consummato matrimonio actu vnita sit, & matrimonio rato proximè vniri queat, neutrum sine carne perfici potest. Id enim est, & non aliud coniugium, de quo loquitur Paulus *ad Ephes.* 5. cùm ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Fateor esse aliud matrimonij genus per latissimam quandam analogiam, ratione cuius inter ea, quæ mutuò sese adamant, propter solam voluntatum vnionem, & concordiam nuptias cogitare licet; quales inter Deum, & angelicas mentes contemplari nihil vetat: quales etiam inter hominem, & sapientiam comminiscitur Salomon Prouerb. 7. *Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* & Sap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Id ergo matrimonij genus ita latum, & analogum inter Deum & Synagogam ante Incarnationem Verbi agnoscunt Prophetæ. Aliud verò magis proprium, quod in traditione corporum consistit, vel ad eam proximè ordinatur, de quo locutus est Paulus, nequaquam agnoscunt.

Sed tamen licèt inter Deum, & Synagogam nullum fuerit matrimonium, nec ratum, nec consummatum: tamen inter illos sponsalia verè, ac propriè intercessisse omnino dicendum est. Quia sponsalia futuri matrimonij sponsionem, & promissionem tantùm continent, ac per illa coniuges non corpus inuicem tradunt de præsenti, sed tradendum à se mutuò pollicentur: atque adeò ex natura sua non postulant, vt is, qui ad eum modum contrahit, carne iam constet, sed quòd aliquando eam habiturus sit, vt ipsam alteri tradat. Hæc autem omnia inter Deum, & Synagogam ante Incarnationem intercessisse certum, ac ratum est; ei enim Deus per omnes ab initio Vates serió promiserat, & carnem induere, & eam, quam induisset, ipsi fruendam tradere: quod totam sponsalium naturam continet. Hæc Dei, & Synagogæ sponsalia agnoscunt Chrysostomus *homil.* 8. *ad Populum*, quæ inscribitur *de Turture.* nam nomine ipsius Synagogæ sic ait: *Desponsata sum cœlesti sponso per legem, & Prophetas*, &c. Origenes *homil.* 1. *in Cantic.* eodem modo ipsam Synagogam loquentem inducit. *Omnia habeo, repleta sum muneribus, quæ sponsaliorum nomine ante nuptias sumpsi. Dum enim præpararer ad coniugium filij Regis, & primogeniti omnis creaturæ, obsecuti sunt, & ministrauerunt mihi Angeli, deferentes ad me legem sponsalitij muneris loco.* Alij etiam Patres similia de Synagoga docent.

Sed inquires, an etiam gentilitas ad eum modum ante Christi Incarnationem desponsata dici queat: nam Dei promissiones non ad Synagogam tantùm spectabant, sed etiam ad gentes pertinebant. Nam de gentium Ecclesia loquitur planè Oseas *cap.* 2. vbi futuras illi nuptias pollicitus sic ait: *Et erit in die illa (ait Dominus,) & vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim, & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus.* & subinde: *Et dicam non populo meo, populus meus*, &c. Nihilominus tamen verius puto ante Christi Incarnationem de gentilitate id minimè enunciari posse, quòd cum Deo sponsalia contraxerit (Propheta enim Oseas in eo loco non agit de sponsalibus, sed de matrimonio futuro.) Nam, vt sponsalia copulentur, omnino necessum est, vt sponsio, ac promissio vnius alteri comperta sit, & eam omnino acceptet, ac boni consulat. Neutrum

trum autem Ecclesia Gentilium habuit: nam neque promissio Dei illi nota fuit, neque illam acceptauit. Id sibi voluit Paulus *ad Ephes.* 2. vbi gentium Ecclesiam affatus sic ait: *Memores estote, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circuncisio in carne manu facta. Quia eratis in illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum; promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Obserua illa verba, *promissionis spem non habentes*; Græcè ἐπαγγελίας. restituere licet, *sponsionis spem non habentes*; ea scilicet spe carentes, qua Dei sponsio Hebræorum animos ab initio erexit. & ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius*, &c. Quapropter sola Synagoga id sibi arrogare potest, quòd sponsalia cum Deo celebrârit, sola quippe Dei promissiones, sponsioneſque notas habuit, & sola item illas acceptauit, probauitque.

Vlteriùs etiam dico, Synagogam non solùm futurarum nuptiarum sponsionem habuisse, sed etiam ipsam (vt solenne erat puellis, ac virginibus, quæ ad nuptias regias assumendæ erant, scilicet in gynæceo, seu parthenone includi, vt ibi ad futuras nuptias, vnguentis, pigmentis, ac cibis etiam delicatioribus, & lautioribus sese curarent, atque excolerent, vt suprà *cap.* 3. §. 3. fusè probauimus.) ipsam, inquam, ante aduentum Christi in carnem, quasi in gynæceo, & parthenone fuisse. Ita docuit Origenes *Hom.* 1. *in Cant.* qui ad illa verba, *Meliora sunt vbera tua vino*, totam gynæcei rationem expressit, his verbis: *Sponsa* (inquit) *habuit quendam vsum, & notitiam aromatum* (loquitur autem de Synagoga,) *id est, verborum legis, & Prophetarum, quibus ante aduentum sponsi mediocriter licèt, instrui tamen videbatur, & exerceri ad cultum Dei, vtpote paruula adhuc, & sub tutoribus, & actoribus agens, & pædagogis. Hæc autem omnia aromata fuerant, in quibus nutriri visa est, & sponso suo præparari.* Habes iam formam gynæcei, & parthenonis ex Origene, qui per illa vnguenta, & pigmenta, quæ adhibere solebant puellæ in gynæceis ad curandam speciem, & excolendam pulchritudinem, vt ad nuptias futuras præpararentur, intelligit Prophetarum, ac legis verba. Sed (si libet) adde etiam per vnguenta illa præparatoria significari thymiamata, suffimenta, & sacerdotale vnguentum: per vinum autem, & cibos delicatiores, quæ dabantur etiam puellis in gynæceis, notari hostias, sacrificia, & libamina, quorum pars magna cedebat in cibos tum Sacerdotum, tum etiam laicorum sacrificantium. Accinit etiam Origenes: nam post pauca sic subdit. *Considera ne fortè vnguentum illud Pontificale, quod in Exodo componi iubetur arte pigmentariorum, istius vnguenti, quod nunc sponsa miratur, teneat rationem. Et videas quòd illa quidem aromata, quibus compositum illud vnguentum videbatur, quo Aaron vnctus est, & eius minores, quia erant terrena, & materiæ corporales*, &c. *ea quidem fastidire cœpit sponsa*; eiusque tædij & fastidij rationes fusè persequitur Origenes. Addo etiam Paulum fortasse ad gynæcei cultum spectasse, cùm de his, quæ ante nuptias Christus sponsæ suæ Ecclesiæ exhibuerat *ad Ephes.* 5. sic fatur. *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Nam, vt infrà *cap.* 1. *vers.* 2. dicemus, vnguenta illa myrrhina, quibus in parthenone sex mensibus vtebantur virgines, de quibus Esther 2. *Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vterentur myrrhino*, &c. & Psalm. 44. *Myrrha, gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, in quibus delectauerunt te filiæ Regum honore tuo*, &c. ad leuigandas carnes, delendos næuos, & exterendas rugas adhibebantur: atque adeò non ineptè dicemus ad id spectasse Paulum, cùm dixit, *non habentem maculam, aut rugam*, &c. significans id curæ, ac beneficij Deum Ecclesiæ sponsæ suæ ante nuptias exhibuisse.

Sed enim quandoquidem hactenus decreuimus Synagogam olim ante Christi aduentum similem fuisse puellæ, quæ sponsalia contraxerat, & in gynæceo adseruabatur inclusa, videndum tandem est, quid sit illud quod olim gynæcei rationem habuit. Et quidem aio gynæcei, seu parthenonis ad instar obtinuisse, vel arctissimam illam legis, ac legalium obseruantiam, quæ Synagogam vndique concludebat, vel templum illud vetus, vbi tantùm adorare, ac sacrificare tunc per eandem legem licebat: vtrumque enim satis idoneum, vt gynæcei nomine significetur: sed tum maximè legis obseruatio arctior, de qua sic Paulus ad Galat. 3. *Prius autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Nihil aptius ad gynæcei formam describendam aut dici, aut excogitari posset, vt infrà exactiùs explicabimus. Quid plura?

Ad hæc obseruandum est, Synagogæ duplicem esse acceptionem: aut enim signi-

ficat fidelem Iudæorum Ecclesiam, quæ scilicet à fide Christi, & obseruatione legis nunquam defecit: aut etiam latiùs accipitur, prout fidelem, & infidelem complectitur. Aio ergo nomine sponsæ futuræ, quæ sponsalia contraxerat, & in gynæceo inclusa excolebatur ad sequentes nuptias, fidelem tantùm Synagogam notari. Nam (vt nuper dicebamus) ad sponsalia necessaria est fides futuræ sponsæ, cui scilicet comperta fuerit sponsio, & promissio viri, & quæ eam acceptauerit, ac probauerit. Hoc verò in solam fidelem Synagogam quadrat: nam infidelis Synagoga à fide diuinarum promissionum deficiens ab sponsalibus prorsus excluſa fuit. Quid inde? Sanè id singulari attentione cogitandum. nam ad spiritualem huius libri intelligentiam plurimum facit; illud enim passim vsurpare, ac repetere solemus, Ecclesiam ab Hebræis ad gentes à lege ad Euangelium Christi beneficio traductam. Quænam igitur hæc Ecclesia, quæ primùm sub lege erat, deinde sub Euangelio fuit: cum qua etiam Deus primùm quidem sponsalia contraxit, deinde nuptias celebrauit? Certè hæc non alia nisi fidelis Synagoga, quæ non diuersa, sed vna prorsus est cum Ecclesia olim quidem innupta, sed tamen desponsata sub lege ante Christi aduentum, & iam inde postea nupta, & maritata sub Euangelio. Audi Origenem homil. 1. in Cantic. *Ecclesia*, inquit, *eadem erat in omnibus Sanctis, qui ab initio sæculi fuerint facti. Diligens igitur eam, venit ad eam*, &c. legendus Hieron. *in cap. 4. epist. ad Galatas*, vbi de Synagogæ & Ecclesiæ vnitate pulchrè disserit. Id etiam sibi vult S. Augustinus, cùm persæpe ait Iudæorum, & Gentium Ecclesiam vnam esse. Et Paulus etiam huc spectare videtur ad Galat. 3. *Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina: omnes enim vnum estis in Christo Iesu*, &c. id est, vnius Ecclesiæ corpus omnes conflati. Addo etiam Ecclesiam istam, quæ sub lege priùs erat, & ad Euangelium deinde traducta fuit, per aggregationem gentium non quidem diuersam effectam, sed auctiorem, & maiorem: & quia ex gentibus maior illi accessio facta est, quàm ex Iudæis, ideò Ecclesia gentium appellari cœpit. Hæc omnia certissima, & constantissima sunt apud Patres.

Quapropter quoties distinguetur Synagoga ab Ecclesia, & vtriusque diuersa fides, aut studia diuersa, ne dicam iurgia, & contentiones commemorantur in Scriptura, aut Patribus, aut sermo est de Synagoga in secunda acceptione, quatenus Iudaicum populum etiam infidelem complectitur. Hæc verò Synagoga secundùm istam posteriorem acceptionem alia quædam nomina habet, quæ ad has Christi, & Ecclesiæ nuptias meliùs capiendas obseruari debent. Dicitur enim primò sponsi mater, & socrus sponsæ. Sic Anselmus, & alij plures ad illa verba Pauli ad Ephes. 5. *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quibus accinit D. Augustinus *in Psalm. 44.* vbi sic scribit: *Socrus ergo quid est? Mater sponsi. Mater sponsi Domini nostri Synagoga est, ac proinde Nurus eius Ecclesia, quæ veniens è gentibus non consensit in circumcisionem carnalem, & ideò diuisa est aduersùs socrum suam*, &c. Cæterùm quamuis id nominis habeat sæpe apud Patres Synagoga: tamen in hoc Cantico, vbi nonnunquam *mater sponsi* inseritur, per illam quidem non Synagogam (hæc enim non matrem, sed nouercam sese exhibuit Christo, vt docet Bernard. in altero sermone ex paruis;) sed cœlestem potiùs Hierusalem, seu Ecclesiam cœlestem denotari puto. De qua Paulus ad Galat. 4. *Illa, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* De hac matre Paulum locutum affirmat Hieronymus ad illa verba: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem*, &c. sic enim ait: *Primus enim homo, & primus vates Adam, qui hoc de Christo, & Ecclesia prophetauit, quòd reliquerit Dominus noster atque Saluator patrem suum Deum, & matrem suam cœlestem Hierusalem, & venerit ad terras propter Ecclesiam.* Eadem fermè verba habet Cassianus *in lib. 5. de Incarnatione, cap. 12.* & Bernardus ad illum locum, *Et videte Regem Salomonem in corona, quæ coronauit eum mater sua*, & alij, quos suis locis adscribemus.

Quam igitur personam sustinet Synagoga illa infidelis in hoc Cantico? Certè non aliam, nisi ipsius sponsæ, id est, Ecclesiæ matrem. Ita docent vulgò interpretes ad illa verba, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* & ad illa, *Sub arbore malo excitaui te, ibi corrupta est mater tua*, &c. vbi ad vnum omnes Ecclesiam Synagogæ filiam compellant. Sed vlteriùs etiam dico, infidelem hanc Synagogam solam, ac per se sumptam, non esse matrem sponsæ, vel Ecclesiæ in hoc Cantico: sed, quandoquidem Ecclesia ex vtroque populo vocata, & assumpta est, necesse est, vt eius mater non alia sit, nisi congregatio infidelium in vniuersum, siue Gentilium, siue Iudæorum; ab hac enim

enim Ecclesia secundùm carnem progenita est. Ita contemplatus est D. Ambrosius exponens illa verba, *Propter hanc relinquet homo*, &c. vbi sic ait: *Vt sicut relictis parentibus homo vxori suæ adhæret: ita & relicto omni errore, Ecclesia adhæreat, & subyciatur capiti suo, id est, Christo.* quibus verbis Ecclesiæ parentum loco omnes antiquos errores assignat. Et iterum *lib. 2. in Lucam cap. 3.* sic scribit. *Relinquit parentes Ecclesia, quæ de Gentilibus populis congregata est, cui propheticè dicitur: Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,* &c. Item D. Augustinus *in Psal. 138.* ad illa verba: *Suscepisti me de vtero matris meæ,* Ecclesiæ matrem appellat cœtum infidelium, eamque Babylonem vocandam esse affirmat. Eodem modo loquitur D. Thomas *in cap. 5. Epistolæ ad Ephesios,* & alij non pauci. Itaque appositè ad ea, quæ in expositione huius Cantici postea dicturi sumus, parentes vtriusque sponsi sic assignandi, & distribuendi sunt. Sponsi quidem, hoc est, Christi Pater Deus, Mater verò cœlestis Hierusalem; Christus enim homo cœlestis erat, vt docet Paulus. Sponsæ autem, id est, Ecclesiæ pater diabolus, mater verò Ecclesia infidelium, seu infidelitas ipsa, prout complectitur Gentilismum, & Iudaismum, quam Babylonem libet dicere, vt opponatur cœlesti Hierusalem. quæ pro his, quæ postea dicemus in prophetiæ Acoluthia, attentissimè obseruanda sunt.

Vtrùm matrimonia antiquorum Patrum, nuptiarum Christi, & Ecclesiæ typus & imago fuerint.

§. II.

IN hoc Cantico ad significandas Christi, & Ecclesiæ nuptias, matrimonium quoddam expingit Salomon, quale veteris Testamenti Patres celebrare solebant. Nam ex his, quæ suprà *cap. 3.* fusè diximus, liquet satis omnes veterum nuptiarum ceremonias, & ritus, Salomonem hoc Cantico fuisse complexum. Hinc autem non parua difficultas excitatur; quia istiusmodi antiquæ nuptiæ non videntur satis idoneæ ad coniunctionem Christi, & Ecclesiæ adumbrandam. Ita expressè docuit S. Thomas *in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 2.* & Ruardus *in eadem dist. art. 18.* & Thomas de Argentina *in 4. dist. 39 quæst. vnica, art. 1. ad 1.* quos non parua recentiorum Theologorum manus sectatur. Id verò suaderi potest rationum momentis. Prima est, quia antiquis Patribus integrum fuit vxoribus nuntium remittere, & vna repudiata aliam sibi adiungere. Hinc autem non vno ex capite matrimonia illa desciscebant à ratione signi, & imaginis significantis coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Primò, quia hæc coniunctio Christi, & Ecclesiæ perpetua est, atque insolubilis: nuptiæ autem illæ per libelli nuntium dissolui poterant. Ob quam rationem D. Augustinus Gentilium matrimonia ex tribus nuptiarum bonis, quæ sæpe numerat, scilicet bonum prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti, hoc posteriori bono carere prorsus asseruit: per sacramentum autem intelligit significationem coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Nam *in lib. de bono coniugali cap. 8.* postquam matrimonia fidelium tribus illis bonis, sed tum maximè bono sacramenti constare fusè probauerat, ita subnectit. *Cæterùm aliter se habere iura Gentilium, quis ignorat? vbi interposito repudio sine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa, cui voluerit, nubit; & ille, quam voluerit, ducit.* Et statim attexit, *Cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam videtur permisisse Moyses de libello repudij.* quibus verbis non obscurè innuit Augustinus matrimonia tum Gentilium, tum etiam Iudæorum à ratione sacramenti, aut signi coniunctionem Christi, & Ecclesiæ denotantis omninò deficere; quia nimirum solubilis coniugalis nodi natura non potest inseparabilem Ecclesiæ, ac Christi Domini communionem adumbrare. Accedit etiam alia ratio Tertulliani *in lib. de Monogamia, cap. 9.* vbi vt ostendat repudij turpitudinem, sic fatur. *Ideoque abstulit Christus repudium, quod ab initio non fuit, vt muniat duorum in vnam carnem perseuerantiam, ne necessitas, vel occasio tertiæ concarnationis erumpat.* ne scilicet opus sit contra primam institutionem nuptiarum, de qua illud enunciatum est, *& erunt duo in carne vna,* tertiam concarnationem asserere, id est, tres vnam in carnem coire, quod ad significandam vnius Christi cum vna Ecclesia arctissimam coniunctionem minimè idoneum est. Nam quanuis hæc contra secundas nuptias in sensu damnato proferat Tertullianus, tamen ratio, ex qua pessimum dogma perperam deducit, optima est.

Huc autem spectat posterior ratio, propter quam matrimonia antiquorum Patrum coniunctionem Christi, & Ecclesiæ ad viuum exprimere non potuerunt; quia, nimirum ipsis integrum erat plures ducere vxores, atque adeò inter illos (vt verba Tertulliani iterum assumam) non tertia tantùm, sed multiplex concarnatio erat, tot scilicet in vnam carnem migrantibus, quot simul habebant vxores: hoc autem à significatione perfecta communionis Christi cum vna Ecclesia longissimè recedit, & à Pauli sententia abhorret plurimum, qui ita dixit, *& erunt duo in carne vna: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Huic autem rationi ex eo robur comparatur, quia Ecclesia Catholica bigamos, qui de mortua prima vxore alteram duxerunt, arcet à sacerdotio, non quidem ob aliam causam, nisi quia significationem nuptiarum vnius Christi cum vna Ecclesia in semetipsis dissoluerunt, aliam & aliam ducentes (sic enim cauetur *in cap. duximus, tit. 21. de digamis non ordinandis.* Ergo potiori ratione dicendum, antiquorum Patrum matrimonia, qui plures simul sibi numerabant vxores, huius coniunctionis Christi, & Ecclesiæ significationem non continuisse. Quapropter inde sequitur Canticum istud, quod antiquorum Patrum matrimonia, atque eorum ritus planè describit, ad significandam coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, multis nominibus ineptum esse.

Huic difficultati vt occurram, illud primò fide Catholica certum, ac ratum puto, Euæ atque Adami matrimonium, & alia deinceps illi similia, coniunctionem Christi, & Ecclesiæ significasse. id sibi volunt verba Pauli: nam cùm præmisisset sententiam Adami de suo, & de aliorum post ipsum coniugio verba facientis, *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*; statim subnectit. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* ex quibus verbis sic conficio. De omnibus illis matrimoniis verificari debent verba Pauli, de quibus verè enunciata sunt verba Adami: atqui Adamus illis verbis omne complexus est matrimonium vnius viri, cum vna vxore: omne igitur coniugium vnius cum vna sacramentum est, ac mysterium, significans coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Obiiciunt nobis aliqui Paulum dixisse, *sacramentum est*, non autem *sacramentum fuit*, ac propterea de antiquis matrimoniis accipi non debere. Quibus illud etiam obiicere licet, Paulum non dixisse, *sacramentum hoc magnum erit*, atque adeò eas nuptias, quæ post illum initæ sunt, sacramenti & signi Christi & Ecclesiæ vnitatem denotantis vim non habere. Vel potiùs omninò ad Logicos mittendi sunt hi Doctores, vt ab his discant verbum substantium *est* non semper existentiam, & actualitatem rerum, sed sæpiùs identitatis nexum, & vinculum denotare. Deinde etiam hoc probatur testimonio S. Leonis Pontificis primi *in Epistola* 90. aliàs 92. *cap.* 4. vbi damnans concubinatum, & docens concubinas non esse legitimas vxores, sic addit. *Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quo non docetur nuptiale fuisse mysterium.* Nec alia est mens Augustini in libro illo *de bono coniugali*, & in altero *de Nuptijs & Concupiscentia*; vt eruditè docet P. Gabriel Vasquez *disp.* 2. *de matrimonio, cap.* 5. videndus inibi.

Vlteriùs etiam secundò dico, matrimonia Gentilium, quæcunque erant, vnius viri cum vna vxore, fuisse etiam olim, ac nunc esse signa, & figuras coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. hæc positio suadetur primò authoritate Pauli, quia, vt nuper dicebamus, de his omnibus verè enunciantur verba Pauli. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* De quibus secundùm veritatem affirmantur quoque illa, quæ Adamus olim protulerat: *Propter hanc relinquet homo*, &c. sed hæc de matrimoniis legitimis Gentilium secundùm veritatem dicuntur: ergo & illa. Minor propositio est constans, & consecutio bona. Confirmat etiam hoc decisio Innocentij III. *in cap. gaudemus, de diuortijs*, vbi definiens Paganos contrahentes in gradu lege canonica prohibito post conuersionem non esse separandos, tanquam vnicum huius definitionis fundamentum, sic assumit. *Super quo taliter respondemus, quòd cùm sacramentum coniugij apud fideles, & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus*, &c. Cùm igitur Pontifex non possit loqui de sacramento, prout est signum gratiæ, & iustitiæ (id enim Gentilibus concedere nefas est.) tribuit ergo eorum matrimoniis sacramenti nomen ad Pauli mentem, prout nimirum est mysticum signum coniunctionem Christi, & Ecclesiæ adumbrans. Deinde etiam id probatur robusta quadam ratione; quia Ecclesia Catholica, quæ ab initio semper à sacerdotio,

cerdotio, & ſacris Ordinibus digamos arcendos putauit ; vlteriùs etiam ſenſit digamiam non ſolùm à baptizatis incurri, ſed etiam ab infidelibus, eamque Baptiſmo nequaquam abſtergi. Ita docet expreſsè Innocentius I. *epiſt.* 22. *cap.* 2. & contra D. Hieronymum tuetur eam partem D. Auguſtinus, cuius verba referuntur *in Can. Acutius* 26. *diſt.* Itaque qui ante Baptiſmum vnam duxit vxorem, atque illa demortua rurſus poſt Baptiſmum ſuſceptum aliam ducit, digamiæ reus cenſetur, dignúſque putatur, vt ipſi aditus ad ſacerdotium intercludatur, non ſanè ob aliam cauſam, niſi quia ſecundam vxorem ſibi copulans, de ſignificatione coniunctionis vnius Chriſti cum vna Eccleſia plurimum detraxit : ergo primum matrimonium ante Baptiſmum initum perfectam iſtius coniunctionis ſignificationem continebat.

Tertiò vlteriùs ita pronuncio, antiqua matrimonia, ſiue Patriarcharum, ſiue Gentilium, non fuiſſe ſacramenta, ſeu myſteria perfecta ſignificantia coniunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, niſi quando erant vnius cum vna. hæc fuit expreſſa Pauli mens, ac ſenſus in præſcripto loco *ad Epheſ.* 5. vbi poſtquam præmiſit, *& erunt duo in carne vna*, ſtatim ſubiecit : *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* quæ verba ſatis declarant præfatam ſignificationem non inueniri, niſi tantùm in coniugio duorum. Et in epiſt. 2. ad Corinth. cap. 11. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, id eſt, vni vnam ſponſam tradidi. Confirmatur etiam hoc ratione ex digamia petita ; quia non aliam ob cauſam digami à ſacerdotio remouentur, niſi quia ſecundæ nuptiæ ſignificationem coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ diſſoluunt. Ita enim decidit Pontifex Innocentius *in cap. debitum, de digamis non ordinandis.* nam procedente cap. ſic habet : *Cùm ergo propter ſacramenti defectum inhibitum ſit, ne digamus, aut maritus viduæ præſumat ad ſacros Ordines promoueri, quia nec illa eſt vnica vnici, neque iſte eſt vnus vnius*, &c. quæ verba modum inſinuant, quo ſecundæ nuptiæ tam vxoris, quàm viri ſignificationem coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ dirimunt. quia nimirum mulier ſecundò nubens, non eſt *vnica vnici*, atque adeò non poteſt ſignificare vnam Eccleſiam vni Chriſto traditam : nam cùm vnus tantùm ſit Chriſtus, non plures, vxor quæ multos ſibi numerat maritos, non poteſt ſignificare Eccleſiam, quæ vnum tantùm agnoſcit Chriſtum. Rurſus vir ſecundas repetens nuptias, non eſt *vnus vnius.* quapropter cùm Eccleſia Catholica ſit vna, & ſingularis, non plures, vir qui plures duxit vxores, non poteſt exactè demonſtrare Chriſtum vnam Eccleſiam adamantem.

Primò igitur ex ſuprà dictis ſic conficio, antiquorum Patriarcharum coniugia, & nuptias multarum ſimul vxorum vim illam ſacramenti, aut myſterij ſignificantis Eccleſiæ & Chriſti commercium omnino amiſiſſe. Si enim apud Chriſtianos ſecundæ nuptiæ, cùm ſcilicet vna ſublata altera ducitur, præfatam ſignificationem euertunt : ergo potiori iure multarum ſimul vxorum matrimonia præfatæ ſignificationis formam demutabunt. Non inficior D. Auguſtinum *in lib. de bono coniugali, cap.* 16. aliquam ſacramenti formam in his etiam multarum vxorum connubiis agnouiſſe : ſic enim ait, *Hæc eſt principiorum vis, vt plures fœminæ vni viro ſint, ſicut plures animæ vni Deo ſubduntur. Ideoque non eſt verus Deus animarum, niſi vnus : vna verò anima poſt multos falſos Deos fornicari poteſt, non fœcundari.* & infrà *cap.* 17. ſic attexit : *Ac per hoc ſicut plures vxores antiquorum Patrum ſignificauerunt futuras noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias vni viro ſubditas.* Cæterùm hæc ſignificatio non eſt propria, & germana, neque illa, de qua loquitur Paulus *ad Epheſ.* 5. & quam vaticinatus eſt Adamus *Geneſ.* 3. Et quidem propterea deficit à proprietate, quia ſicut Chriſtianorum ſecundæ nuptiæ cum vna vxore demortua, altera ducitur, non ſunt idoneæ ad ſignificandam perpetuitatem vnius Eccleſiæ : ita etiam, & longè meliùs, antiquorum Patrum plures ſimul vxores non potuerunt vnitatem eiuſdem Eccleſiæ adumbrare.

Secundò dicendum, legitima coniugia vnius viri cum vna vxore ſecundùm ſubſtantiam conſiderata, ſiue apud Chriſtianos, ſiue apud veteres Patres, ſiue etiam apud Gentiles, rationem ſacramenti, aut myſterij ſignificantis Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem æqualiter ſortitas fuiſſe. Ratio petitur ex dictis, quia verba illa Adami, *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, de omni legitimo duorum coniugio, tam fidelium, quàm infidelium, æquè verè enunciantur : ergo ſimilem ad modum æquè verè dicuntur illa : *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quia quæ æqualiter continent ſignum ſignificans, non poſſunt non æqualiter rem ſignificatam cohibere. Confirma-

tur, quia res significata non alia est, nisi illa, quam Augustinus *in lib. de bono nuptiali, cap.* 18. paucis complexus est: *Quoniam* (inquit) *ex multis animabus vna ciuitas futura est habentium vnam animam, & cor vnum in Deum, quæ vnitatis nostræ nunc inchoatæ extrema perfectio post hanc peregrinationem futura est, vbi omnium cogitationes nec latebunt inuicem, nec inter se in aliquo repugnabunt: propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri ad vnum virum, & ad vnam vxorem redactum est.* & infrà: *Antistes noster vnius vxoris vir significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro subditam Christo, quæ tunc perficietur, cum reuelauerit Deus occulta tenebrarum*, &c. Sed id quidquid est rei significatæ, per nuptias vnius viri cum vna vxore tam fidelium, quàm infidelium, æqualiter designatur: ergo non est impar in ipsis ratio signi, & mysterij. Sed dices, matrimonia Christianorum ex eo præstare antiquorum connubiis, quia Christianis non est licitum repudium, atque vna superstite non possunt ducere aliam: Gentiles autem, & antiqui Patres plures simul vxores sibi adiungere, & repudio etiam vti poterant. Quapropter Christianorum coniugia propiùs accedere videntur ad vnitatem illam viri & vxoris, quæ ad repræsentandam vnius Christi, & vnius Ecclesiæ singularitatem postulatur. Respondeo ex hoc tantùm colligi, apud Christianos plura esse matrimonia significantia præfatam coniunctionem Christi, & Ecclesiæ, quia nimirum plura sunt matrimonia vnius viri, & vnicæ vxoris, non tamen magis, aut perfectius significantia; ea enim, etsi pauciora coniugia, quæ vnum tantùm vni adiungebant, & nullum deinde repudio locum faciebant, in nulla re à præfata significatione deficiebant. Nam si antiquorum Patrum, & Gentilium etiam nuptiæ à ratione sacramenti, & mysterij significantis nuptias Christi, & Ecclesiæ, ex eo deficere solebant, quia plures simul vxores sibi copulabant, Christianorum etiam coniugia similem ad modum per secundas nuptias prædictam significationem in se passim dissoluunt.

Quartò sic pronuncio: Si nuptiæ considerentur, non secundùm substantiam, sed secundùm alias circunstantias, nimirum secundùm ritus, ac ceremonias nuptiales, quas Patres illi veteres vsurpabant, & quæ hodie in Christianorum nuptiis adhibentur, certè antiquorum Patrum matrimonia longè perfectius, atque exactius coniunctionem Christi, & Ecclesiæ notarunt, quàm coniugia Christianorum. Vt hanc positionem ostendam, præmittere oportet primam, & maximè veterem prophetiam aduentus Christi Domini in carne fuisse eam, quam vatidico spiritu effudit Adamus Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Propterea Hieronymus, Ambrosius, Anselmus, & alij passim Patres affirmant Adamum primum, & maximè antiquum vatem fuisse: putant enim præfati Patres Adamum verba illa ita de omnibus hominibus coniugia copulantibus enunciasse, vt præcipuè in Christi atque Ecclesiæ nuptias intenderit, significans Deum in ipsa institutione coniugij ab initio futuræ coniunctionis Christi & Ecclesiæ imaginem, & vmbram præluisse. Deinde etiam illud crediderim, coniugia, non solùm quod spectat ad substantiam nuptialis contractus, Christi & Ecclesiæ vnitatem iam olim ex prima mundi conditione repræsentare incepisse, sed etiam quod attinet ad ritus alios, & ceremonias connubiales.

Quid enim vetare potest, quominus ita suspicemur præcipuas nuptiarum ceremonias, quibus vsi sunt antiqui Patres, ab Adamo ex Dei afflatu inuentas, & filiis traditas, ab iisdem postea sanctissimè obseruatas, & ad posteritatem deriuatas fuisse: atque adeò ex tunc Ecclesiæ futuræ mysteria significare cœpisse? Comprobat hoc primò horum rituum nuptialium antiquitas: nam si ad peruetusta illa coniugia Abrahæ & Saræ, Isaac & Rebeccæ, Iacob & Liæ, memoria redeat, constabit certè ex præscriptis ceremoniis & ritibus, præcipuos quosque in ipsis seruatos fuisse; licebit enim in his videre nuptiarum legitimum tempus, emptionem sponsæ, & illius traductionem, vsum pallij, seu velaminis nuptialis, velationem, ac reuelationem nouæ nuptæ, cœnas nuptiales, & alia his similia, vt suprà *cap.* 3. fusè probauimus. Accedit etiam vniuersalitas horum rituum nuptialium, quia licèt Gentiles multa prophana, & superstitiosa in nuptiis suis adhibere solerent; tamen quod spectat ad præcipuos illos ritus, scilicet tempus, emptionem, traductionem sponsæ, velaminis vsum, cœnas nuptiales, & alia non pauca, magna fuit Hebræorum cum Gentibus conuenientia, & consensio; adeò vt inde coniicere liceat præfatos ritus antiquiores esse, quàm sit separatio vtriusque populi, Gentilis, & Iudaici, ita vt ab eodem fonte hauserint, haustaque postea conseruauerint, Hebræi quidem incorrupta, Gentiles verò superstitionibus non paucis vitiata.

tiata. Cùm ergo præfati ritus nuptiales vsque adeò antiqui, & vniuersales sint, vndenam meliùs, ac certiùs illos emanasse dicemus, quàm ab Adamo humani generis progenitore?

Secundò etiam id confirmatur, quia tam seuera, tam vniuersalis, tamque longa ex tam longo tempore horum rituum obseruantia satis declarat illos inter purè prophana numeratos olim non fuisse: aliter enim eos quemadmodum alia prophana facilè tam Gentiles, quàm Iudæi euariarent, ac demutarent. Quod etiam inde coniicio, quia cùm lex à Moyse lata multa præscripserit circa ceremonias, ritus, & solemnitates aliarum rerum, etiam leuissimarum, de nuptiarum ritibus nihil demandauit. Quid in causa? Certè non alia, nisi quia veteres ritus tanquam sacros & pios obseruari lex indulsit, ac boni consuluit. Et sanè eiusmodi ritus nuptiales fuisse olim rem sacram, & mysticam ratione significationis, quam continebant, exploratum est; idque non solùm ex hoc Canticorum libro liquidum fit, in quo omnes fermè nuptiarum antiqui ritus ad significandas Christi & Ecclesiæ nuptias aptantur, & accommodantur, sed etiam ex pluribus noui Testamenti locis. Nam ex ritu illo deducendi sponsam sub noctem virginibus lampades præferentibus, desumpta est parabola decem virginum: ex cœna etiam nuptiali accepta est illa parabola, *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Ex eo etiam quod antiquis sponsis familiare erat, amicos secum assumere ad nuptias, vt suprà *cap.* 3. §. 2. diximus, nata sunt illa verba Baptistæ apud Ioannem cap. 4. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat, & audit, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* mitto alia his similia. Ex quibus conficio, ritus istos nuptiales ab initio mysticos fuisse, vmbras scilicet, ac figuras rerum futurarum, quemadmodum ipsarum nuptiarum substantialis contractus: atque adeò primum eorum inuentorem ex Dei afflatu illos concepisse, atque hominibus imperasse. Quis autem iste, quem Deus sic afflatu suo perculsit? Non Moyses, non aliquis ex antiquis illis Patriarchis: constat enim præfatos ritus ante ipsos Patriarchas obseruatos fuisse. Ego quidem verosimile admodum puto, illos ab Adamo Deo instillante fuisse inuentos, & filiis ab initio imperatos: ita vt is, qui (secundùm Hieronymum, & alios Patres) primus vates fuit in ipso matrimonij contractu, & substantia coniunctionem Christi & Ecclesiæ præsaga mente agnoscens, idem vatidico spiritu nuptiales ritus disponeret, ac filiis intimaret, qui ad significandas illius coniunctionis affectiones, & circunstantias accommodati magis forent. Iuuat etiam hanc coniecturam aliquis consensus Hebræorum, qui, teste Abulensi *in cap. 4. Genes.* ex traditione veteri se accepisse affirmant. *Adamum* (verba sunt Abulensis) *ante mortem filijs suis sacrificandi Deo, atque matrimonia celebrandi modum tradidisse.*

Ex his liquet, antiqua matrimonia, quæ spectata ipsius contractus substantia præcisè in ratione signi, & mysterij significantis coniunctionem Christi, & Ecclesiæ haud cedunt noui Testamenti coniugiis (vt suprà ostendimus,) si attendantur ritus, & ceremoniæ solemnes, quibus olim celebrabantur, in eadem ratione signi eisdem facilè anteuerti, ac præferri. Nam certum est omninò antiquos illos ritus ad multa noui Testamenti mysteria significanda ab initio institutos fuisse, quæ per consuetas hodie nuptiarum cæremonias minimè denotantur. Neque verò de noui Testamenti nuptiis sic statuens, de illarum excellentia, & præstantia aliquid me derogare existimo: imò potiùs earumdem nobilitatem, & dignitatem inde extolli, & amplificari puto. Nam quòd antiquæ illæ ceremoniæ, & ritus à tempore Euangelij, & noui Testamenti cessauerint, summo Dei consilio factum puto; quia cùm vmbræ essent, & figuræ rerum futurarum, æquum certè fuit, vt hi ritus, sicut aliæ ceremoniæ legales, veritate succedente interirent, ac deficerent: ita vt in noui Testamenti coniugiis, excussis antiquis vmbris, tantummodo substantia, sine qua subsistere non poterant, remaneret; imagines verò, & figuræ per rei significatæ præsentiam prorsus desinerent. Addo etiam, in nouo Tastamento significationem ipsius substantialis coniugij non parum euariatam, ac permutatam fuisse: nam olim matrimonia erant signa, & vmbræ rei futuræ, hodie autem indices rem præsentem demonstrantes. Sic enim docuit præcitatus Augustinus *in lib. de nuptijs & concupiscentia.* Et sanè quemadmodum Ioannes Baptista cum antiquioribus Prophetis à Christo collatus pluſquam Propheta dictus est, quia Christum, quem aliæ Prophetæ absentem & futurum prædixerant, ipse præsentem indice prodidit, cùm dixit:

Ecce

Ecce Agnus Dei, &c. ad eundem modum matrimonia fidelium post Christi aduentum non iam imagines,& figuræ, sed plusquam figuræ,& plusquam imagines dici debent, nimirum indices rem præsentem demonstrantes. Sed tamen, quia ipsum figuræ & imaginis nomen poscere videbatur, vt præsentata iam veritate deficeret,ac cessaret; ea propter D. Augustinus *in lib. de bono coniugali, cap.* 18. addit duorum matrimonium non modò significare minùs perfectam coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia militante in hoc mundo, sed aliam perfectiorem vnitatem cum eadem Ecclesia triumphante in cœlo: atque adeò operæ pretium fuisse, vt quandiu hæc distat, & absens est,eiusdem figura, & vmbra non careremus: succedente autem illa, vmbræ, & imagines abolerentur. Audi Augustinum. *Noster* (inquit) *Antistes vnius vxoris vir significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro subditam Christo, quæ tunc perficietur, cum reuelauerit occulta tenebrarum, & manifestauerit consilia cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Nunc enim manifestæ sunt latentes dissensiones, etiam salua charitate inter eos, qui vnum, & in vno futuri sunt, quæ tunc vtique nullæ erunt.* Et breui interstitio. *Sacramentum nuptiarum nostri temporis significat vnitatem perfectam omnium nostrûm,subiectam Deo futuràm in vna cœlesti ciuitate.* Et subinde addit,quòd statim atque ab hac vmbra ad illam vnitatem translati fuerimus, hæc nuptiarum figura, & imago cessauit prorsus: quia *in cælo neque nubunt, neque nubentur, sed erunt omnes sicut Angeli Dei.*

Cùm igitur ex dictis satis constet,ad significandas futuras Christi, & Ecclesiæ nuptias, & noui Testamenti mysteria, non minus,imò magis quodammodo accommodata, & idonea fuisse antiquorum Patrum matrimonia, si qua erant inter vnum & vnam, propter valde mysticos eorum ritus, & ceremonias,vt suprà statuimus. Certè inde fit, Salomonem in hoc libro Christi & Ecclesiæ nuptias ab antiquorum Patrum connubiis, eorumque ritibus, & ceremoniis ascita similitudine aptissimè & accommodatissimè decantasse. tum vel maximè,quia ne quid de perfectione huius similitudinis aut extenuaret, aut dissolueret,vxorum multitudinem, quæ sola coniugij mysticam significationem euertit (vt nuper dicebam) expressè ac de industria repulit, ac refutauit,*cap.* 6. illis verbis. *Sexaginta sunt Reginæ, octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea,perfecta mea, vna est matri suæ electa genitrici suæ.* quæ verba sic edisserenda sunt. Alij certè Reges plures vxores sibi adiungunt,nimirum Reginas sexagenas,& concubinas octogenas, & vlteriùs innumerabiles puellas in gynæceis habere solent, futuras nuptias expectantes. At ego non ita (ait sponsus,) sed vnica est sponsa mea; vnica, inquam, non solùm mihi, sed etiam matri suæ, & ab ea vnicè dilecta: quæ nimirum nec alias vxores socias, nec sorores comites habet. quod quam vim habeat ad mysteria translatum, suo loco dicemus.

Denique ex dictis colligenda est præstantia, & excellentia huius allegoriæ, vel potiùs vaticinij, ac prophetiæ, quæ à nuptiis, & nuptialibus ritibus antiquorum Patrum desumpta est: quippe quæ vetustissima est, scilicet ab ipso omnium hominum fonte Adamo deriuata, & profecta. Rursus vniuersalissima est, vtpote quæ non solùm apud Hebræos, sed etiam apud Gentiles semper fuit: quia & inter ipsos coniugia legitima fuerunt, futuram Christi & Ecclesiæ coniunctionem denotantia. Adde etiam ceremonias, ac ritus nuptiales plures, ac præcipuos ab ipsis Gentilibus seruatos, & retentos. quod non sine ingenti Dei prouidentia, & consilio præstitum fuit, vt nimirum populus Gentilis, ex quo vel maximè vna Ecclesia assumenda erat, non careret optimo, ac dignissimo illius simulachro, & figura. Denique perfectissima est hæc allegoria, & ad rem significandam maximè nata. Sed de hac re infrà §. 4. fusè dicemus.

Vtrùm coniugium ratum, an consummatum, & Christi Ecclesiæ coniunctionem adumbret.

§. III.

EX hac etiam quæstione aliquid pendet, quod ad huius libri intelligentiam non parum faciet. Recentiores quidam Theologi in eam sententiam discesserunt, vt putarent Christi & Ecclesiæ nuptias non consummati, sed rati tantùm matrimonij formam

formam imitatas fuiſſe. Sed tamen hoc falſum prorſus, ne dicam à fide Catholica alienum eſt: oppoſitum enim definitum eſt ab Innocentio III. *in cap. debitum, de digamis non ordinandis*, vbi decernens eum, qui vxorem ab alio viro ductam, non tamen cognitam ſibi adiunxit, non eſſe à ſacris Ordinibus arcendum, ſic ſtatuit: *Cùm duo ſint in coniugio, videlicet conſenſus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum ſignificat charitatem, quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum, & iuſtam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apoſtolus: Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus ſit cum eo. Alterum verò deſignat conformitatem, quæ conſiſtit in carne inter Chriſtum & Eccleſiam, ad quod pertinet illud, quod Euangeliſta teſtatur: Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Profectò coniugium illud, quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud coniugium deſignandum, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, per Incarnationis myſterium eſt contractum: iuxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplaſtus: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* ſtatim ſubiungit: *Hoc autem dico ſacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia*, &c. Confirmatur etiam hoc à ſimili, quia Calixtus PP. *in Epiſt. ad omnes Galliarum Epiſcopos*, docet Eccleſiæ cuiuſlibet nuptias cum ſuo Epiſcopo per matrimonium conſummatum notari; ſic enim ait: *Quia ſicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo, neque iudicari, viro viuente, permittitur*, &c. *ſic neque vxor Epiſcopi, quæ eius Eccleſia indubitanter intelligitur, eo viuente, abſque eius iudicio, & voluntate, ab altero iudicari, aut diſponi, aut eius concubitu frui, (id eſt, ordinatione) non conceditur.* quibus verbis apertè ſignificauit Pontifex Epiſcopi & Eccleſiæ illi traditæ nuptias per matrimonium conſummatum notari, & conſummationem in ordinatione perfici. Cùm igitur Chriſti & Eccleſiæ vniuerſalis coniugium arctius ſit, ac perfectius: ergo longè melius, quàm illud, per matrimonium conſummatum repræſentari debuit.

Hinc autem huius libri gloria, & maieſtas non parum extenuari videtur. Nam, (vt ſuprà *cap.* 3. §. 6. diximus, & infrà non ſemel inculcauimus) illud obſeruatione dignum eſt in hoc Cantico, ad amolliendam omnis turpitudinis ſuſpicionem nunquam ſponſos in eodem thalamo, aut nuptiali lecto componi: ſed ita rem deſcribi, vt ſponſa in thalamum diſcedente, ac ſopore victa, ſponſus clanculum ſe ſe eripiat, ita vt id ipſi ſponſæ nonnihil negotij aliquando faceſſiſſe conſtet: tunc nimirum, cùm dixit: *In lectulo meo quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui eum, & non inueni*, &c. Cùm igitur in hoc Cantico non ſit expreſſa conſummatio nuptiarum, imò quaſi data opera, & de induſtria à Salomone omiſſa, imò reiecta, & repulſa fuerit, ſequitur inde Canticum hoc ea ex parte deficere, & nuptias, quæ in illo deſcribuntur, arctiſſimam Chriſti, & Eccleſiæ coniunctionem ne adumbrare quidem poſſe, ne dum exprimere. Vnde etiam conſectariè deducitur, Canticum iſtud, non ad Eccleſiam, ſed totum potiùs ad Synagogam ſpectare, quæ licèt conſummatas nuptias ignorauerit, quæ poſtulant vnitatem eiuſdem carnis, tamen ſponſalia vera contraxit, quæ ante prædictam carnis vnionem celebrari potuerunt, vt ſuprà §. 1. fusè probauimus.

Huic obiectioni vt occurram, & huius carminis quanta ſit concinnitas ad prædictam coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ denotandam omnino conſtet, conſtituere oportet, quando, & quonam modo Chriſti atque Eccleſiæ nuptiæ conſummatæ fuerint.

Prima ergo & ſatis communis Patrum ſententia docet præfatas nuptias Chriſti & Eccleſiæ in Incarnatione fuiſſe conſummatas, & perfectas. Ita docere videntur omnes illi, quotquot illas in vtero Virginis, tanquam in thalamo nuptiali, peractas fuiſſe aſſeuerant: nam conſummatio in thalamo peragitur. Ita D. Auguſtinus in Pſalm. 44. *An fortè in nuptijs iſtis, quo inuitati ſumus, thalamus non eſt? huius coniunctionis thalamus vterus virginis, coniunctio nuptialis Verbum & caro.* & iterum in Pſalm. 18. *Sponſus* (inquit) *cùm Verbum caro factum eſt, thalamum inuenit in vtero virginali, atque inde naturæ coniunctus humanæ, tanquam de caſtiſſimo cubili proceſſit.* Idem docet *in ſermone altero, de nuptijs Cana.* Item Beda *in Lucam cap.* 1. ſic ſcribit: *Non igitur caſu, ſed certi gratia myſterij venit ad nuptias in terra, carnali more celebratas, qui ad copulandam ſibi ſpirituali amore Eccleſiam deſcendit interram. Cuius quidem thalamus incorruptæ genitricis, vterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ coniunctus eſt, & ex quo ad ſociandam Eccleſiam tanquam ſponſus proceſſit.* Prætereo alios: atque vlteriùs dico ab Innocentio III. *in eo cap. debitum, de digamis*, dogma iſtud terminatum definitúmque videri; ſic enim ait:

Profectò

Profectò coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum. Id verò (vt alia Patrum testimonia missa faciam) luculenta confirmat ratio. Quia tunc matrimonium consummatum dicere licet, cùm duo coniuges vnam in carnem coalescunt: hæc verò vnius carnis communio, vel vnitas inter Christum & Ecclesiam non alio tempore facta est, nisi tunc cùm Verbo Dei carnem assumente, diuinitas & anima vnius carnis compotes factæ sunt: hoc autem per Incarnationem totum patratum fuit: ergo Incarnatio istarum nuptiarum perfectam consummationem continuit.

Secunda sententia docet consummationem illius coniugij, quod inter Christum, & Ecclesiam meditamur, in passione, ac morte eiusdem Christi perfectam fuisse. Ita expressè tradit D. Augustinus *lib. 2. de symbolo ad Catechumenos*, vbi sic fatur: *Agite Iudæi nescientes nuptias Agni: date præmium pecuniæ malo nebuloni Iudæ: agite vt ille, qui natus est de Virgine, à Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lignum, dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat virgo: vt quomodo Eua ex latere Adæ dormientis; sic Ecclesia firmetur ex latere Christi morientis.* Itaque Augustinus crucem cum thalamo nuptiali componit, in quo coniugij Christi cum Ecclesia peracta est consummatio. Subdit deinde dotē sponsæ: *Percussum est eius latus, atque statim manauit sanguis, & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta; aqua scilicet, in qua sponsa est purificata: sanguis, ex quo inuenitur esse dotata.* Et post pauca istius spiritualis matrimonij consummationem subtexit. *O magnum sacramentum huius coniugij! O magnum mysterium huius sponsi, & huius sponsæ! Non explicabitur dignè humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, statim illi coniungitur, & tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur, & tunc ille sponsæ coniungitur, quando à mortalibus separatur. Quando ille super cœlos exaltatur, tunc sponsa cum omni terra fœcundatur.* Hęc Augustinus qui in ipsamet Christi obeuntis morte arcani huius coniugij consummationem perfectam fuisse seriò affirmat. *Tunc enim* (inquit) *ille sponsæ copulatur, quando à mortalibus separatur.* ita vt fas sit dicere eò spectasse extremam illam sponsi iam iam animam agentis vocem, cùm dixit, *Consummatum est.* Adest etiam Chrysost. *in Epist. ad Ephes. homil. 20.* vbi sic ait: *In cruce facta est susceptio, & nos substantiæ eiusdem cum ipso*, id est, facti sumus vna caro cum Christo. Accedit Anselm. *in cap. 4. Cant.* ad illa verba, *In die desponsationis eius*, vbi postquā dixit per desponsationis diem intelligi posse Incarnationem, ita subnectit: *Secundò, & melius dicemus, desponsationem factam in passione his, qui in ipsa fidem fundauerunt.* per desponsationem autem consummatas nuptias intelligit. Aponius verò in eundem locum, vtrumque diem, Incarnationis & mortis Christi, conferens ita commentus est, sponsalia quidem, prout futurarum nuptiarum promissionem continent, in Incarnatione celebrata: nuptias verò, & earum consummationem in cruce peracta fuisse. Et post multa, quæ in hanc sententiam contulit, sic demum scribit: *Illæ igitur animæ ad epulas intelligentiæ huius mysterij inuitantur, qui possunt illius funebris spectaculi diem, quando quasi tradito annulo in conspectu omnium virtutum cœlorum effuso pretioso sanguine desponsit sibi Ecclesiam. Quod ergo Ecclesia precatur ad patrem sponsi, dicendo: Osculetur me osculo oris sui, quomodo in die, scilicet passionis, consummatum sit, enarratur.* Sed multò elegantiùs consummationem huius matrimonij in die passionis factam docuit Methodius, cuius verba exhibet Turrianus de Eucharistia, cap. 7. *Rectè* (inquit) *Apostolus ad Christum retulit illa de Adam: sic enim congruit ex carne eius, & ex ossibus eius Ecclesiam esse factam, propter quam relicto patre in cœlis, descendit Verbum, & adhæsit vxori, & dormiuit cum ea soporem passionis, moriens pro illa, emundans eam lauacro, ad excipiendum spirituale, & beatum semen, quod ipse inserit in profundo mentis. Excipit autem ipsa semen, & firmatur Ecclesia instar vxoris ad generandam prolem, ac alendam. Hac enim ratione impletur illud: Crescite, & multiplicamini, accipiente Ecclesia incrementum per congressum, & communionem Verbi, quod ad hoc ad nos se demisit.*

Habes igitur ex præmissis Patribus, nuptias Christi & Ecclesiæ, eiusdem Christi passione, ac morte consummatas fuisse. Vbi illud satis difficile statim menti occurrit, quid causæ sit, quòd cùm alia matrimonia mors alterius coniugis dissoluere soleat, Christi tamen atque Ecclesiæ coniugia morte sanciri, atque consummari docent præmissi Patres? Dicet quispiam illos rationem huius latissimi discriminis ex eo petere, quia matrimonij consummatio ad sobolem suscitandam refertur: ideò enim humanas nuptias obitus distrahit, quia hic sobolis procreandæ omnem eripit potestatem.

At

at in Christo è conuerso mors, quam obiit, Ecclesiam ad sobolem generandam fecundam reddidit. Huc enim spectant illa Prophetæ verba: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* liceat sic dicere, habebit filios posthumos, qui numerari ac recenseri non possint: hanc enim vim putant nonnulli inesse illi voci, *longæuum*, ita vt consultis originibus asserant sine iniuria vocis primitiuæ restitui posse, *videbit semen posthumum.* Cæterùm ratio ista non est germana; quia sicut in humanis nuptiis nihil vetat, quominus soluto per mortem matrimonio filij posthumi nascantur: ita etiam in his spiritualibus Christi & Ecclesiæ nuptiis euenire potuit, vt scilicet ipsa Ecclesia à Christo grauida, quamuis sponsi mors coniugia diremisset, filios nihilominus quamplures enixeretur. Ratio est germana, propter quam Christi mors matrimonium illud sacrum non dissoluit, alia est. Etenim in humanis nuptiis ideò per mortem alterius coniugij dissolutio accidit, quia cùm nuptiæ (vt suprà diximus) in traditione mutua corporum consistant, atque obitus coniugem corpore omnino exuat, fieri non potest, vt nuptiæ perseuerent: at verò in Christi & Ecclesiæ spirituali coniugio aliter contingit. Nam iuxta communem Patrum sensum in his mysticis nuptiis sponsus est Dei Verbum: hoc autem Verbum susceptum ab initio corpus per mortem non amisit, aut exuit: vtrumque enim, tam anima, quàm corpus diuinitati agglutinatum mansit. Hinc factum, vt mors, & passio eas nuptias non diremerit, imò sanxerit, ac confirmauerit, vt postea dicemus.

Tertia denique satis celebris inter Patres sententia est huius spiritualis matrimonij, quod Christus cum Ecclesia copulauit, consummationem per Eucharistiam perfici, & absolui. Sic tradit primò D. Augustinus *contra Aduersarium legis & Prophetarum, lib.* 2. vbi sic scribit: *An contra Apostolum propositurus est cathedram pestilentiæ? & dicturus non debuisse rerum honestarum figuram de rebus turpibus sumere, vt quod sumptum est de masculo, & fœmina: Erunt duo in carne vna.* Cui additur: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Itáne vbi essent cognoscenda tantæ rei sacramenta, homo iste sciebat, & Apostolus nesciebat? Eat retro cum similibus, qui dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Nos autem audiamus duos in carne vna, Christum & Ecclesiam, & mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum, corpus suum nobis manducandum, bibendúmque sanguinem dantem fideli corde, & ore suscipiamus*, &c. Quid illustrius? Cum Augustino concinunt ex Patribus non pauci, quia verba illa Pauli ad Ephes. 5. *& erunt duo in carne vna*, &c. de Eucharistia interpretantur. Irenæus *lib.* 5. *aduersùs hæreses, cap.* 2. vbi sic ait: *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine, & corpore Christi nutritur, & membrum eius, quemadmodum B. Paulus ait in ea quæ est ad Ephesios Epistola: Quoniam membra sumus de corpore eius, de carne eius, & de ossibus eius: non de spirituali aliquo, & inuisibili homine, dicens: Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet: sed de ea dispositione, quæ est secundùm verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & pane, qui est corpus eius augetur.* Chrysostomus *homil.* 20. *in Epist. ad Ephes.* vbi sic habet: *Quid est hoc quod dicit, ex carne eius? Hoc est, germanè ac legitimè ex ipso. Et quomodo nos hoc pacto membra Christi sumus? Et quomodo ex carne? Scitis quotquot mysteriorum participes estis*, &c. Idem *homil.* 61. *ad Populum*, sic habet: *Vnum corpus sumus, & membra de carne eius, & de ossibus eius, vt non tantùm per charitatem hoc fiamus, verùm & ipsa re in illam misceamur carnem, & hoc per escam efficitur.* Et subinde: *Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur: ardenter enim amantium hoc est.* Ipsissima fermè verba iterum repetit *homil.* 45. *in Ioan.* Conspirat quoque Anselmus *in eundem locum*, vbi sic scribit: *Et ipsi duo, id est, Christus & Ecclesia, sunt in carne vna, quia carnem, quam ille de Virgine sumpsit, quotidie in Missarum celebrationibus sumit Ecclesia.* Huic etiam sententiæ robur affert locupletissima illorum Patrum authoritas, qui docent virtute sanctissimæ Eucharistiæ inter carnem Christi, & carnem nostram, vnionem quandam arctissimam compingi, ratione cuius nostra & Christi caro dicitur vna caro, & (si licet dicere) concorporei, & consanguinei ipsius efficimur. hanc vnitatem ex Patribus præter suprà adscriptos expressè tradunt Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 4. Nyssenus *in oratione catechistica, cap.* 37. Hilarius *lib.* 8. *de Trinitate*, qui refertur *de consecratione, dist.* 2. *Can. In Christo pater.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *in Ioan. cap.* 13. *& lib.* 11. *cap.* 27. qui tribui solet Clichtouæo. Chrysostom. *homil.* 45. *in Ioan. &* 83. *in Matth. & ad Populum* 55. 60. *&* 61. Damascenus *lib.* 4. *de fide*, Guithmundus *lib.* 3. *contra Berengarium, de veritate corporis*

& sanguinis Christi. Algerus *lib.*1. *de sacramento corporis & sanguinis.* Leo I. *in epist.*13. & refertur *can.In quibus,de consecratione, distinct.*1. Innocentius III. *in lib.*4.*de mysterys Missæ,cap.vltimo.* Haymo *in cap.*10.*prioris ad Corinth.* Ex Theologis autem Scholasticis eandem vnitatem inter carnem Christi & carnem nostram Eucharistiæ tribuit non parua manus. Rophensis *contra OEcolampadium, lib.*4.*cap.*21. *&* 32.*& lib.*5. *in principio.* Stephanus Vintonienſis *reg.*3. Michaël Mersburgenſis *in suo Catechismo, con.*69. Fridericus Nausea *de officio Missæ, lib.*2.*cap.*4. Clichtouæus *lib.*2.*contra OEcolampadium.* Georgius Vicellius *in lib.de Eucharistia,cap.*6. Ioannes Heſellanus *de præsentia corporis & sanguinis, ratione* 4. Gropperus *de Eucharistia,tom.*2.*art.*4.*principali.* Michaël Sidonius *in Concione de Eucharistia*, habita Augustæ. Theologi Concilij Moguntini *tractat.de sacramento Eucharistiæ,cap.de effectu.* Ianſenius *in concord. Euangel.cap.*59. ad illa verba, *Qui manducat meam carnem.* Bellarminus *de sacramento Eucharistiæ.* Turrianus *in lib.*1.*de Eucharistia, cap.*8. *&* 9. Claudius Sanctius *repet* 5.*de Eucharistia,cap.*1.*&* 2. Cardinalis Alanus *lib.*2.*de sacramento Eucharist.cap.*8.*& cap.*18. Turrecremata *in canonem, in Christo pater,de consecratione, distinct.*2. vbi citat Albertum Magnum. VValdenſis *de Sacramentis,cap.*58. *& cap.*95. &, qui omnium absolutiſſimè de hac vnione diſceptauit, P.Gabriel Vazquez *in* 3.*partem,disp.*204. per plura capita. Ex his autem pro hac tertia ſententia argumentum eiuſmodi conformatur. Conſummatio in matrimonio hoc habet proprium, vt duos coniuges in vnam carnem cogat, & coagmentet: ſed vſus Eucharistiæ carnem Christi & carnem noſtram permiſcet, atque vnam efficit: ergo illius matrimonij, quod Christus Dominus cum Eccleſia copulat,conſummatio,& perfectio ad Eucharistiam referenda eſt.

Suppoſitiones aliquot pro reſolutione præmiſſæ quæstionis.

§. IV.

ERgo vt tres ſuperiores ſententias,quas Patrum authoritas fulcit, concordiæ reddam,ac proprium tempus præfatæ conſummationis aſſignem, præmittere etiam hic oportet, id quod aliàs obſeruaui,matrimonium eſſe duplex,alterum ratum, & alterum conſummatum. Ratum matrimonium per ſolum duorum coniugum conſenſum perficitur, ratione cuius conſenſus(vt tradit D.Thom.*in* 4.*distinct.*27.)coniuges, *fiunt vna anima in duobus corporibus.* quia nimirum ſola conſenſio nubentium animos adſtringit: inter corpora verò vnitatem nullam inducit. Ita verò animos vnit,ac copulat matrimonium ratum,vt per ſe tendat ad vnitatem corporum, & per illud ratione mutuæ traditionis coniuges, alter in alterius corpus ius acquirant (vt ſuprà in hoc capite adnotauimus §.1.) Matrimonium verò conſummatum vltra conſenſum addit etiam ipſam conſummationem, ratione cuius coniuges (vt ait D.Thomas *loco citato*) *fiunt iam tunc vna anima vno in corpore,& vna in carne,* hanc enim vim habet copulatio carnalis, vt vnius carnis identitatem inducat. De qua identitate loquutus eſt Adam *Geneſ.*2.cùm dixit, *& erunt duo in carne vna.* Ex quo teſtimonio probauit etiam Paulus 1. *ad Corinth.*6. inter adulterum, & meretricem vnitatem carnis contrahi. *Qui adhæret meretrici,vnum corpus efficitur: Erunt enim (inquit) duo in carne vna.* & *Matthæi* 19. Christus Dominus de legitimo coniugio,*& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo,ſed vna caro.*

Huic ergo duplici matrimonio,temporali & externo,reſpondet duplex aliud, ſpirituale, & myſticum. Vtriuſque autem meminit Innocentius *in cap.*illo,*debitum,de digamis*, vbi docet inter Deum, & homines aliquid eſſe rato matrimonio, & aliquid conſummato adſimile; ſic enim ait: *Cùm duo ſint in coniugio, videlicet conſenſus animorum,& commixtio corporum, quorum alterum ſignificat charitatem,quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum,& iustam animam; ad quod pertinet illud quod dicit Apoſtolus: Qui adhæret Deo,vnus ſpiritus ſit cum eo. Alterum verò ſignificat conformitatem,quæ conſiſtit in carne inter Chriſtum & Eccleſiam*, &c. Eandem diſtinctionem in ſpirituali matrimonio tradit D. Chryſoſtomus, cùm ait: *vt non tantùm per charitatem hoc fiamus, ſed re ipſa in vnam miſceamur carnem.* ſic habet *homil.* 60.*ad Populum*; & homil. 45. in Ioan. *vt non ſolùm per dilectionem, ſed re ipſa in illam conuertamur carnem.* quibus verbis condiſtinguit vnitatem ſpiritus ab vnitate carnis. Sed elegantiſſimè D.Hilarius *in lib.*8. *de Trinitate*, vbi nomen *conſummationis* adiecit. *Si voluntatis tantùm vnitatem intelligi vellet,*

vellet, cur gradum quendam, atque ordinem consummandæ vnitatis expesuit, vt nos in eo per corporalem nativitatem, & ille in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, &c. Cyrillus etiam lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Vnde considerandum est non habitudine tantùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam & participatione naturali.* Occurrunt alia his similia apud Patres, ex quibus illam distinctionem duplicis vnitatis, aliam affectus, & aliam carnis, depromere licet, quæ respondet duplici matrimonio, rato, & consummato. Itaque licebit sic dicere, iustum hominem ac Christum Dominum sic nonunquam vniri, & sociari, vt fiant vna anima in duobus corporibus: aliquando etiam vlteriùs sic adstringi, & copulari, vt fiant vna anima vno in corpore, & vna in carne.

Vlteriùs circa eam vnitatem affectiuam, quæ cum matrimonio rato comparatur, quæri posset, an hæc per se, & suapte natura exposcat, tanquam vinculum & nexum, dilectionem & charitatem, an fidem tantùm. Et sanè fidem ad has nuptias non consummatas sufficere probari potest; quia illi, qui peccatis grauioribus obstricti sunt, atque adeò charitatem amiserunt, quandiu fidem seruant, membra sunt Ecclesiæ coniuncta, atque adeò aliquid ipsius sponsæ: & consequenter inter ipsos & Christum aliquam matrimonij formam agnoscere oportet. Nam sicut humanas nuptias debita coniugi fides adstringit, & quamuis amor dilectioque postea in odium vertatur, non propterea nuptiale vinculum dissoluitur, quandiu fides priùs data insoluta manet. Ita etiam de coniugio Christi & animarum fidelium decernendum videtur. Confirmat etiam hoc authoritas Hieronymi ad illa verba Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide.* & Cyrilli Alexandrini in eundem locum, vbi sic ait. *Vocati sumus ad necessitudinem spiritualem per fidem.* Græcè πρὸς οἰκειότητα πνευματικὴν, id est *ad cognationem spiritus*, & alij Patres paria scribunt.

Cæterùm in oppositam sententiam pendere videtur Pontifex in lôco suprà citato, vbi ait: *Cùm duo sint in coniugio, scilicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum* (nempe consensus) *significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & iustam animam*, &c. Cum Innocentio sentiunt suprà adscripti Patres, qui condistinguentes vnionem spirituum ab vnione carnis, per vnionem spiritus charitatem intelligunt. Cum his etiam sensit noster Vasquez in ea *disp.* 204. *cap.* 4. vbi sic docet, inter Deum & Ecclesiam per fidem iniri sponsalia, per charitatem contrahi matrimonium ratum, per Euchristiam verò consummari. Sed tamen an iuxta hanc sententiam integrum sit dicere Christum cum Ecclesia vniuersali, prout comprehendit omnes fideles baptizatos, tam iustos, quàm iniustos, nuptias non copulasse. An etiam iuxta oppositam sententiam affirmare fas sit aliquam animam peccatis contaminatam, & fidem incorruptam seruantem Christi sponsam esse, tu videris. Ego in negantem partem propendeo, & in sola charitate matrimonij rati formam agnosco.

Deinde etiam circa vnitatem carnis, quæ cum matrimonio consummato componitur, obseruandum est eam ex vnitate affectus pendere, ita vt sine illa coalescere non possit. Legendus est P. Gabriel Vasquez in illa *disp.* 204. *cap.* 4. vbi de hac re feliciter disceptauit contra Ioannem Heselianum, qui admittebat Christum Dominum non solùm cum his, qui dignè Eucharistiam sumunt, sed etiam cum indignè sumentibus vnam in carnem demigrare: eo nimirum inductus argumento, quia non solùm qui ad legitimam coniugem, sed etiam qui ad meretricem accedit, cum ipsa carnis contrahit vnitatem, vt ex Paulo suprà monuimus. Cui Gabriel noster occurrit, affirmans eum, qui ad meretricem ingreditur, affectu, & amore erga illam duci, propterea que in vnam carnem cum illa coalescere. Quapropter si quis (inquit) dissentientem virginem, aut mulierem aliam vi comprimeret, is certè non fieret vna caro cum illa. Cùm ergo homo in peccato existens neque Christum ex dilectione erga illum sumat, neque etiam Christus ex amore sese illi sumendum præbeat, eapropter in eandem carnem minimè commigrant.

Cæterùm hæc ratio difficultate non vacat, quia (ni fallor) negari nequit eum, qui virgini, aut fœminæ, cuipiam vim attulit, vnam carnem cum ipsa fieri, quia certum est hunc violentum compressorem ratione huius copulæ, cum fratribus, ac sororibus violatæ fœminæ affinitatem contrahere, ita vt cum his nuptias legitimas copulare non possit: affinitas autem, seu cognatio non aliunde nascitur, nisi ex vnitate carnis, quam inter virum & fœminam copula inducit, vt docet P. Thomas Sanctius *de matrimonio, lib.* 7. *disp.* 63. *num.* 25. ex communi Theologorum & Iurisperitorum sententia,

vbi ideò negat ex matrimonio rato, non consummato affinitatem & impedimentum oriri, quia deficit carnis vnitas, quamuis adsit impedimentum publicæ honestatis. Addo etiam idem dicendum de illo, qui ad meretricem accederet, (vt fieri potest) sine aliquo affectu, & amore, imò cum expresso illius odio: hic enim dummodo in ipsam copulam consentiret, eodem modo affinitatem cum scorti sororibus contraheret.

Quapropter vt argumentum ab Hesellano conformatum dissoluamus, obseruare oportet primò hanc vnitatem carnis, quam inter Christum & iustos agnoscimus, non ita fieri, vt homo Christum in suam carnem conuertat, vel sic vt partim Christus nostram carnem in suam, partim nos Christi carnem in nostram commutemus: sed omnino ita accidere, vt Christi caro nostram permutet, & in suam transferat. Ita fert communis Patrum, ac Theologorum sensus, quorum censum hîc adscribere superuacaneum esset. Deinde etiam notandum in ea conuersione duorum in vnam carnem, quæ ex duorum concubitu accidit, accidere posse, vt prædicta vnio facta sit ex parte vnius extremi, & tamen ex parte alterius adhuc infecta sit. Nam in præfato casu, cùm quis vim attulit fœminæ, ipse quidem in fœminæ carnem vertitur: id enim affinitas, quæ inde consequitur, planè euincit (vt nuper dicebam;) fœmina verò in viri carnem nequaquam transit. Argumento sit quòd ipsa nullam contrahit affinitatem, nec impedimentum, ne cum sui violatoris fratribus, aliisque cognatis legitimas nuptias copulare possit, vt expresse traditur *in cap. discretionem, de eo, qui cognouit consanguineam*, & docent ibi communiter Doctores. Eadem ratio est de marito, qui per vim, dissentiente vxore, consummauit matrimonium: hic enim in carnem vxoris prorsus migrauit, atque adeò non licet ipsi Religionem ingredi, nisi ex venia eiusdem vxoris: imò & vxore ingrediente, alteram ducere non potest. Vxor verò in viri carnem nequaquam versa est, ideò illi Religionem suscipere, & viro etiam ex venia ipsius Religionem ingrediente, alteri nubere integrum quoque est. At, inquies, fieri non posse, vt vnus alteri vnitus intelligatur, quin alius vicissim censeatur vnus factus. Respondeo id satis verum esse in physicis vnionibus, non autem in Ethicis, seu moralibus: nam in vnione affectiua hoc accidit, cùm quis alium adamat, non tamen redamatur; tunc enim qui amat, alteri agglutinatur, vnusque animus cum ipso fit: alter verò, qui non redamat, non ita. Ad eundem modum in hac morali corporum vnitate contingere potest: vtraque enim moralis vnio est, non physica.

Hinc ergo ad Hesellani argumentum aptè respondetur. Dicimus enim in humanis coniugiis solum consensum in copulam satis esse, vt is, qui illum præstitit, siue fœmina, siue vir, in carnem alterius vertatur, quia ad hanc conuersionem vterque coniux ita conspirat, vt quilibet suam partem peragat: at verò in ea vnitate, quæ inter carnem Christi, & eius, qui dignè Eucharistiam sumit, coalescit, totam conuersionem perficit Christus, hominis carnem ad se transferens, & in suam conuertens: atque adeò tota conuersio ex Christi consensu pendet. Quapropter cùm istum consensum non præbeat Christus his, qui indignè ad Eucharistiam accedunt, hinc est, vt licèt ipsi in sumptionem ipsam consentiant, non ideò in Christi corpus & carnem, ipso dissentiente, transeant. Quid inde?

Certè ex his sequitur hanc carnis vnitatem, quam inter Christum & Ecclesiam adstruimus, ita ex affectiua vnione animorum pendere, vt sine illa agglutinari non possit. Quapropter etsi forsan matrimonium ratum inter Christum & animam cum sola fide subsistere possit (quod non facilè crediderim, vt nuper dicebam.) tamen matrimonium consummatum, quod vnius carnis vnitatem exposcit, dilectionem prærequirit, & sine illa stare non potest.

Vera consummatio spiritualis matrimonij inter Christum & Ecclesiam.

§. V.

His prælibatis, ad præcipuam controuersiam gradum faciens,

Dico primò, in Christi Incarnatione inueniri perfectam similitudinem matrimonij consummati, non quidem inter Christum & Ecclesiam, sed inter diuinitatem & ipsam Christi animam ratione carnis assumptæ. De his nuptiis diximus suprà *cap. 4.* ex sententia Patrum. Eas verò matrimonij consummati imaginem quandam

ſynceriſſimam in ſe adumbrare certo certius eſt; quia diuinitas & anima Chriſti eidem carni in eadem hypoſtaſi vnitæ aptiſſimè dicuntur *duo in carne vna*, & de illis etiam enuntiare licet, *iam non ſunt duo, ſed vna caro*. Rurſus aio, per ſolam Incarnationem non fuiſſe conſummatas nuptias Chriſti & Eccleſiæ. Luculentiùs dicam, Incarnatio non eſt forma conſummans, aut conſummatio earum nuptiarum; quia ex eo præcisè quòd Chriſtus naturam carnémque humanam ſibi copulauit, tantum ſequitur ipſum, in quantum hominem, vnitatem, aut identitatem ſpecificam cum reliquis hominibus contraxiſſe: hæc autem vnitas ſola, quamuis neceſſaria ſit ad fundandam illam moralem carnis vnionem, quæ ad nuptias depoſcitur, eam tamen neque cauſat, neque continet: ſed præter hanc vnitatem ſpecificam ex ſola Incarnatione, præcisè inter Chriſtum & Eccleſiam, reſultauit nihil: ergo ſola Incarnatio non poteſt eſſe conſummatio nuptiarum. Ad hæc dico, per Incarnationem determinatè, omnibus aliis præciſis, ne ratum quidem matrimonium inter Chriſtum & Eccleſiam copulatum fuiſſe. Ratio eſt in promptu, quia ad ratum matrimonium neceſſarius eſt duorum coniugum conſenſus præſens: atqui ex parte Chriſti ſola voluntas Incarnationis præcisè, excluſis aliis, non eſt conſenſus ſufficiens ad ratum matrimonium: conſenſus enim, qui ad hoc matrimonium requiritur, debet eſſe traditio corporis, quam coniuges mutuò acceptantes, alter in alterius corpus ius inuicem deferunt: voluntas autem Incarnationis ſola prædictam traditionem non continet. Item voluntas Incarnationis, prout præceſſit ipſam aſſumptionem carnis, fuit diuina: at verò voluntas nubendi fuit humana. Deinde Eccleſia ad iſtas Chriſti nuptias non aliter ſuum præbuit conſenſum, niſi per charitatem, aut per fidem, vt ſuprà diximus: ſed Chriſtus per ſolam Incarnationem præcisè præfatum charitatis ac fidei conſenſum ab ipſa Eccleſia non impetrauit: ergo nihil per illam contraxit, quod eſſet matrimonio rato adſimile. Minor propoſitio ſuadetur, quia (vt verior ſententia fert) Chriſtus Dominus nihil nobis obtinuit, aut impetrauit, niſi per merita ſua paſſione & morte conſummata: atque adeò Incarnatio præcisè ſumpta non fuit impetratoria prædicti conſenſus.

Id tamen non vetat, quominus dicere poſſimus hoc matrimonium ratum Chriſti & Eccleſiæ in die Incarnationis fuiſſe peractum; quia licèt ipſa Incarnatio per ſe ſumpta non fuerit impetratoria præfati conſenſus, quo Eccleſia Chriſto copulari debuit: tamen per merita paſſionis, & mortis futuræ, quæ, antequam eſſent, operabantur, iam tunc erant fideles animæ à Chriſto amatæ, & ipſum redamantes: & Chriſtus etiam tunc ex animo ſe ac corpus ſuum Eccleſiæ deuouit, & addixit, cum reſpectu ad futuram vnionem: atque adeò iam tunc erat conſenſus de præſenti ex vtraque parte ſufficiens ad ratum matrimonium copulandum. Ea propter fatendum prorſus, Saluatorem Chriſtum ab ipſò Incarnationis ſuæ momento Eccleſiæ ſponſum, ac maritum legitimum eſſe cœpiſſe per matrimonium ratum, non verò per matrimonium conſummatum, quamuis ipſa Incarnatio hoc non effecerit modo dicto. Patres verò, qui affirmare videntur, per Incarnationem Chriſti & Eccleſiæ nuptias conſummatas fuiſſe, partim quidem intelligendi ſunt de nuptiis illis, quæ inter diuinitatem & animam Chriſti in Virginis vtero, tanquam in thalamo per eiuſdem carnis communionem copulatæ ſunt, iuxta modum ſuprà dictum: partim verò interpretandi, vt non cauſam formalem & completam præfatæ conſummationis, ſed initium illius, & primam radicem aſſignare voluerint. eiuſmodi enim eſt Incarnatio: ſi enim carnem non aſſumpſiſſet, Verbum non poſſet certè cum Eccleſia vnam in carnem coaleſcere. hanc expoſitionem confirmant verba Bedæ Venerab. homil. in Ioannis Euangelium de Nuptiis Cana. *Cuius* (inquit) *thalamus incorruptæ genitricis vterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ coniunctus eſt. Et ex quo ad ſociandam ſibi Eccleſiam tanquam ſponſus proceſſit.* quibus verbis Beda duas iſtas nuptias Verbi & naturæ aſſumptæ, & Chriſti & Eccleſiæ diſtinxit, & has ex illis pendere, ac fluere apertè ſignificauit. Eodem modo loquitur Anſelmus *in cap. 5. Cantic.* vbi ſic ait: *Dicitur enim thalamus ſponſionis venter Mariæ, quia illic diuinitas iungens ſe humanæ naturæ, ſpondet ſe deinde cæteris eiuſdem naturæ.* Mitto alia his ſimilia.

Secundò dicendum eſt, per paſſionem etiam, & mortem Chriſti ſolam, & præcisè ſumptam, omnibus aliis ſublatis, non fuiſſe conſummatas Chriſti & Eccleſiæ nuptias, ita vt paſſio fuerit conſummationis forma. Ratio ſumitur ex dictis, quia in paſſione, ac morte Chriſti nihil apparet, quod nos in vnam cum ipſo carnem conue-

nire, ac compingi fecerit. Nam quòd Christus tunc veram carnem, & nostræ adsimilem se habere patiendo, & moriendo monstrauerit, non satis est, vt ex eo carnis illius ac nostræ vnionem effectam dicamus. Sunt qui vt nuptias istas in passione consummatas defendant, aiunt matrimonium traditione mutua corporum absolui, ac perfici: Christum verò suum ipsius corpus tunc vel maximè Ecclesiæ tradidisse, ac donasse, cùm illud passioni, ac morti pro illa subeundæ sponte obiecit. Cæterùm huic rationi minimè acquiesco. Primò, quia sola traditio corporis non consummat matrimonium: constat enim etiam per ratum matrimonium coniuges sibi inuicem corpora sua tradere, & ius alteri in alterius corpus quæri, ac parari; id tamen non satis est, vt iam tunc dicantur vna caro: deinde longè diuersa sunt tradere se alteri, aut pro altero. Aio igitur, propriè loquendo, in passione, ac morte Christi hoc factum, vt Christus pro sponsa sua Ecclesia corpus suum tradiderit, non autem illi corpus suum donauerit. Ita planè locutus est Paulus ad Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret*, &c. loquitur autem Paulus iuxta antiquorum solemnem morem, apud quos in vsu erat sponsas oblato pretio coëmere, ac sibi vendicare. Quod ita intelligo, vt cùm proprium esset virorum sponsas dotare, ipsa dotis exhibitio emptio ac vendicatio diceretur, vt constat ex pluribus Scripturæ sacræ locis, quos infrà *cap.* 8. *vers.* 7. non perfunctoriè declarabimus. Itaque Apostolus ad hunc morem spectauit, cùm ait, *& tradidit semetipsum pro ea*, id est, qui per sui corporis traditionem illam coëmit. Ad hunc sensum allicienda sunt verba eiusdem Pauli *Actor* 20. cùm ait. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* id est, quam per sanguinis sui effusionem sibi in sponsam coëmit. Huc spectat etiam D. Hilarius *in cap.* 2. *Ioan.* vbi sanguinem Christi sponsi dotem appellat. *Tanquam sponsus* (inquit) *descendit ad terras Ecclesiæ, ex gentibus susceptæ Incarnatione, iungendus, cui & arrhas, & dotem dedit; arrhas, quando Deus homini iunctus est; dotem, quando pro hominum salute immolatus est.*

Nihilominus tamen illud etiam possumus bono aliquo sensu affirmare, per passionem Christi consummatas fuisse Christi & Ecclesiæ nuptias, non quidem formaliter, sed in causa, id est, non quia ipsa Christi passio fuerit consummatio formaliter, sed quia Christus Dominus per passionem suam formam consummationis promeruit, atque obtinuit. Et ad hunc sensum vocandi sunt suprà adscripti Patres, quotquot asserunt, matrimonium Christi & Ecclesiæ per passionem consummatum ac perfectum fuisse.

Tertiò igitur seriò affirmandum est, in coniugio Christi & Ecclesiæ propriam & germanam consummationis formam esse vsum Eucharistiæ: hæc enim (vt suprà diximus ex communi Patrum sensu) vltra vnitatem affectus, quæ in dilectione consistit, causat etiam vnionem corporis Christi cum corpore nostro, per quam arctè ipsi obstringimur, vt iam inde simus *os de ossibus eius, & caro de carne eius*, & in nos quadrent illa verba, *& erunt duo in carne vna.* nec non etiam illa, *iam non sunt duo, sed vna caro.* Hæc conclusio firmatur ex dictis suprà circa tertiam sententiam, quam Patrum, & Scholasticorum authoritate constabilitam dedimus. Et sanè huic vnioni corporis nostri cum corpore Christi, quæ per Eucharistiam perficitur, nihil esse in rebus creatis magis adsimile, quàm illam carnis vnitatem, quam matrimonij consummatio causat inter virum & vxorem, præter Patres suprà allegatos docet noster Vasquez in illa *disput.* 204. *cap.* 4. Michael Mersburgensis, Ioannes Hesellanus, & Claudius Sanctius *locis citatis*, quibus etiam annumerandus est VVilielmus Alanus *lib.* 1. *de Eucharistia cap.* 28.

Vt autem hæc nostra thesis apertior fiat, considerare oportet, in quo consistat, & quid sit ista carnis vnio, quam inter virum & vxorem efficit consummatio matrimonij, & quam imitatur illa, quæ inter Christi corpus ac nostrum Eucharistiæ vsus causat. Certè non est admodum facilè id constituere, tamen dicam quod sentio. In primis illud apud omnes authores constans est, hanc vnitionem non esse physicam & naturalem, sed moralem, & ethicam. Nam cùm pendeat ex causis moralibus, ac liberis, non potest non esse moralis. Deinde etiam audiendi non sunt illi, qui præfatam vnionem ad prolem referunt, quasi non prius vir & vxor vnum fiant, quàm in filiis ab vtroque genitis, tanquam in tertio vniantur; quia antequam filius generetur, imò etiam inter infœcundos coniuges prædicta carnis vnitas concedenda est.

Quapro

Quapropter his atque aliis excluſis, aio vnitatem iſtam in eo ſitam eſſe, quia per conſummatas nuptias fit, vt iure ipſo naturali vxor virque plæraque externa bona communia habeant, ſcilicet vnam domum, vnum lectum, communes honores, communes diuitias, & ſobolem etiam communem, aliaque id genus vna & indiuiſa ſortiantur. Omnis autem communitas fundatur in aliqua vnitate, & identitate, nimirum communitas phyſica in vnitate phyſica; communitas moralis in vnitate, & identitate morali. Illud igitur vinculum, in quo fundatur moralis illa communio domus, lecti, iurium, honorum, atque aliorum bonorum, eſt carnis vnitas, & identitas, quam inter virum & vxorem cogitamus, ratione cuius putamus tanquam vnam perſonam eos, quos tot rerum communionem habere videmus. quam vnitatem non aliter niſi à poſteriori explicari poſſe puto.

At inquies, etiam inter amicos omnia bona eſſe communia, & tamen inter eos non carnis, ſed animorum vnitas intercedit. Reſpondeo, hanc rerum communionem, quæ inter amicos verſatur, eſſe voluntariam, ita vt illam voluntas cuiuſlibet metiatur, & non amplius liceat amico in amici ſui bona, quàm voluntas amici indulſerit: at verò communio bonorum, quæ inter coniuges exiſtit, non eſt libera, ſed neceſſaria, & iure ipſo naturali affirmata & roborata. Rurſus illa ſocietas bonorum, quæ inter amicos exiſtit, oritur ex affectu, & congreſſu voluntatum, & ideo propter illam duos in vnam animam coaleſcere dicimus: hæc verò, quæ reperitur inter coniuges, ex commixtione corporum naſcitur, & ideo duos propter illam vnam in carnem compingi aſſeueramus. Et idem dicendum eſt de vnitate carnis, quam ſcortator contrahit cum meretrice; quia licèt ſcorti congreſſus non inducat communionem, & commercium tot rerum: aliquas tamen res iure ipſo naturali communes efficit, nempe ſobolem, & aliquando etiam fortunas, quas ſcortatores pellicibus effusè admodum dilargiri conſueuerunt: ea propter carnalis concubitus, qui cauſam dedit, vt hæc & alia meretrici cum adultero communia eſſent, carnis vnitatem inter illos efficere, & cauſare dicitur.

Ergo ad eundem modum, quia illi, qui dignè ad Euchariſtiam accedunt, per vſum illius in multorum Chriſti bonorum participium, & communionem vocantur: bonorum, inquam, non animi ſolùm, ſed etiam corporis (huic enim ſacramento Patres tribuere ſolent carnis noſtræ reſurrectionem, immortalitatem, & dotes reliquas glorioſi corporis.) & quia iſthæc bonorum communitas ex corporibus naſcitur, ex eo nimirum, quia corpus Chriſti in corpus noſtrum ingreditur, ea propter vnitas hæc moralis inter corpora eſſe agnoſcitur, & ideò carnis, corporiſque vnitas appellatur. Hæc fuit mens Nyſſeni *in oratione Catechetica cap.* 37. vbi hanc vnionem carnis noſtræ cum Chriſti carne ex communione bonorum depromit: ſic enim ait, Διὰ τῆς πρὸς τὸ ἀθάνατον κοινωνίας ἐν μετουσίᾳ τῆς ἀφθαρσίας γεγόμενον, id eſt, *per communionem cum immortali factam ſit in ſubſtantia particeps incorruptionis.* Atque eodem modo loquuntur Hilarius, Chryſoſtomus, & alij Patres ſuprà citati.

Contra hanc ſententiam, quatenus decernit conſummationem nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ in Euchariſtia perfici, obiicere quiſpiam poſſet ex illa ſequi Chriſtum cum his, qui baptizati, ac necdum Euchariſtiæ participes facti ſunt, matrimonium non copulare. Id verò abſurdum videtur: nam cùm ſint ſponſæ, id eſt, Eccleſiæ membra coniuncta, & viua, à ratione alienum eſt, eos à nuptiis excludere. Accedit etiam Chryſoſtomi authoritas *Hom.* 20. *in Epiſt. ad Epheſios,* vbi ſic ait. *Quomodo ergo ex carne eius, & ex oſſibus eius ſumus? Quemadmodum ille ſine virili congreſſu natus eſt ex Spiritu ſancto: ita etiam nos illud efficimur in lauacro*, id eſt, in Baptiſmo efficimur *caro de carne eius, & os de oſſibus eius*; eam ſcilicet vnitatem contrahimus, quam ſignificant nuptiæ conſummatæ.

Ad obiectionem iſtam reſpondeo, Chriſtum Dominum cum baptizatis ante vſum Euchariſtiæ matrimonium ratum verè ac propriè copulare; conſtat enim tam ex parte Chriſti, quàm ex ipſius baptizati parte ſufficientem conſenſum præſtari, ratione cuius matrimonij rati formam in ſe exprimant, quandoquidem ſeſe inuicem vnus alteri tradit cum reſpectu ad futuram vnionem carnis, ac corporis per Euchariſtiam perficiendam, cuius votum continet Baptiſmus, vt communiter docent Scholaſtici *ad* 3. *partem D. Thom. quæſt.* 73. Addo etiam quòd ſicut Baptiſmus dicitur votum Euchariſtiæ, aut continere Euchariſtiam in voto, eodem ſenſu affirmare licet, Baptiſmum eſſe votum præfatæ conſummationis, aut ipſam in voto continere. Et ad hunc

sensum allicienda sunt Chrysostomi verba *loco citato*, cùm dicit per Baptismum nos fieri de carne Christi, & de ossibus eius. Neque mirum videri debet, si inter ipsa Ecclesiæ coniuncta membra tanta diuersitas reperiatur, vt Christus cum aliis nuptias consummauerit; cum aliis verò non item, quandoquidem alia maior, & latior diuersitas inter hæc membra necessariò concedenda est, hæc scilicet, vt alia sint viua, alia mortua: viua quidem in iustis, & morrua in peccatoribus, qui gratiam amiserunt, sed fidem seruant, hos enim à corpore Ecclesiæ nullus exscindit.

His ergo constitutis, ad rationem illam dubitandi, quam initio præmisi, opportunum ex dictis responsum offero. Illud enim argumentorum robore, & Patrum authoritate hactenus confecimus, scilicet consummationem nuptiarum Christi & Ecclesiæ per Eucharistiæ vsum perfici, & absolui. Vlteriùs etiam ex communi Patrum calculo, & sensu ratum ac certum est, per cœnas, (quæ in hoc Cantico quater repetuntur, vt suprà docuimus *cap.* 3. §. 6.) diuinissimum Eucharistiæ conuiuium, & sacramentum notari. Iam ergo intelligis quò tendam. Quia igitur matrimonium Christi & Ecclesiæ per Eucharistiam consummationem accepit: propterea Vates, Spiritu sancto dictante, librum istum sic contexuit, vt sponsus per singulas noctes expletâ cœnâ, & sponsa in soporem inducta, veluti clanculum discederet, atque aliò se proriperet. Itaque ideò sponsus de industria, & magno consilio quater in hoc libro perfectâ cœnâ abire, nec vlteriùs è cœna ad thalamum cum sponsa pergere à Salomone fingitur, vt vel sic innueret in cœna, id est, in Eucharistia, & cœlesti conuiuio, cuius cœna illa symbolum gerebat, diuiniores illas Christi & Ecclesię nuptias consummari, dum fideles carne Christi pasti, & sanguine illius potati in vnam cum ipso carnem, & vnum in sanguinem vertuntur. Qua ratione factum primò, vt in hoc Cantico nihil non maximè purum, ac syncerum esset: deinde vt ad Christi & Ecclesiæ matrimonium perfectissimè describendum, & adumbrandum, nihil desiderari, aut requiri posset, quandoquidem ne consummatio quidem deest, sine qua nuptiæ coniunctionem Christi & Ecclesiæ ritè exprimere non valent. Denique inde quoque factum, vt liber iste de antiqua Synagoga interpretari non possit, quæ (vti in superiori §. animaduertimus) nuptias cum Deo non modò consummatas, sed etiam inconsummatas ignorauit prorsus.

CAPVT VII.

De tempore nuptiarum Christi & Ecclesiæ in vniuersum.

ITERALIS huius libri sensus propheticus est, adeò vt totum Ecclesiæ fluentis tempus ab Incarnatione Christi, vsque ad mundi consummationem, & ea quæ per singulas ætates eidem Ecclesiæ euenire oportebat, vatidico spiritu annunciet Salomon. Ita docuimus suprà *cap.* 5. §. 6. ex mente Athanasij. Quapropter antequam prophetiæ ordo texatur, de tempore istarum nuptiarum in vniuersum aliqua præfari operæpretium est.

Totum tempus, quo perseuerauerit Ecclesia vsque ad extremos magni iudicij dies, esse tempus nuptiarum ostenditur.

§. I.

VT ad ea, quæ propria sunt huius libri, propiùs accedamus, quandoquidem suprà *cap.* 3. §. 5. fusè probauimus in hoc libro non vnius tantùm, sed quinque dierum nuptias describi, operæpretium est de tempore nuptiarum Christi & Ecclesiæ aliquid præfari, & an ille dierum numerus ipsi aliqua ratione aptari possit, ostendere. Ac primum quidem illud decerno, totum tempus, quo mundus perseuerauerit à primo Christi Domini aduentu in carnem, vsque ad illius secundum aduentum, cùm assumpta iudicis persona ad eundem mundum iudicandum veniet, tempus esse nuptiarum. Per tempus autem nuptiarum non intelligo matrimonij tempus: nam matrimonium Christi & Ecclesiæ perenne est, atque perpetuum, nullo temporum lapsu dissoluendum, & in cœlo, & beatitudine æternandum: sed dies intelligo nuptiales,

ptiales, eos nimirum iucundos, ac delitiarum plenos, qui nuptiis celebrandis primò impenduntur, quos Scriptura ſacra *Iudicum* 14. appellauit, *dies conuiuij*; ſic enim habes: *Proponam vobis problema, quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij*, &c. & Geneſ. 2. *vocat dies copulæ*; ita enim ſcribitur: *Imple hebdomadam huius copulæ.* Hæc noſtra poſitio authoritate, & ratione offirmanda eſt.

Iſaias *cap.* 62. ad tempora Eccleſiæ reſpiciens, vatidico ſpiritu ſic cecinit: *Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabũt in te filij tui.* pro verbo, *habitabit*, ſubeſt in primitiuis יבעל *itbaghal*, id eſt, *maritabit.* Vlteriùs autem ſic attexit: *& gaudebit ſponſus ſuper ſponſa, gaudebit ſuper te Deus tuus.* Sunt qui hæc verba de Republica Hebræorum interpretantur, quaſi Deus promittat illi futurum aliquando, vt intermiſſis bellis, pacatiſque omnibus eius finibus, poſſit nuptias ſuas patrio ritu iucundè, ac feſtiuè agitare. Atque adeò ſententiam ſic conformant. *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſa*, id eſt, tunc agentur paſſim in te nuptiales dies iucũdiſſimè: *&* inſuper *gaudebit ſuper te Deus tuus*, Deus nimirum gaudium ex te, & ex tua felicitate hauriet maximum. Sed tamen non aſſentior: nam Patres communiter hæc verba de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ interpretantur. Cui expoſitioni obſeruit tranſlatio Septuaginta, qui illa verba, addita comparationis nota, ſic extulerunt. *Et ſicut habitans iuuenis cum virgine, ſic habitabunt filij tui. Et erit quomodo lætatur ſponſus ſuper ſponſa, ſic lætabitur ſuper te Dominus.* Iuuant etiam expoſitionem iſtam illa verba, *iuuenis cum virgine*; id enim Eccleſiæ proprium, vt ſponſa ſimul ac virgo ſit, vt ait Procopius in hunc locum. Nam Chriſti, & Eccleſiæ coniugium ſimile fuit matrimonio Ioſeph, atque Mariæ, vt notauit etiam hîc D. Thomas. Senſus ergo eſt luculentus ad hunc modum: Tempus illud felix, & aureum tandem aliquando aduentabit, in quo Chriſtus Eccleſiam virginem ſibi copulans, cum ipſa delitiabitur, & dies nuptiales iucundiſſimè aget. Id ſibi vult illud verbum, *gaudebit.* Hebraicè ישיש *iaſis*, ex radice שוש *ſus*, quod verbum ſæpe aliàs de nuptiali lætitia, gaudio, & tripudiis enunciari ſolet in Scriptura, vt dicemus infrà *cap.* 1. *ver.* 4. Et quidem hæc verba Prophetæ non ſunt coërcenda, aut in anguſtias coniicienda: tandiu enim verum erit illud, *gaudebit ſuper te Deus tuus*, quandiu Eccleſia in hoc mundo permanſerit.

Sed aptiùs ad hanc rem demonſtrandam, eſt illud Matth. 22. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias*, &c. & in fine parabolæ attexit: *Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*, &c. Hieronymus ergo in hunc locum. *Rex qui fecit nuptias filio ſuo, Deus omnipotens eſt: fecit autem nuptias Domino noſtro Ieſu Chriſto, in mundum venienti, & Eccleſiæ, quæ tam ex Iudæis, quàm ex gentibus congregata eſt.* Habes iam Incarnationem Chriſti; in ea enim auſpicatæ ſunt iſtæ nuptiæ. Si autem tempus diſcere vis, ad quod nuptiæ iſtæ earumque gaudia protracta & protelata fuerunt, tene ea quæ ſequuntur. Interim dum agebantur nuptiæ, & conuiuarum turba alacris ac ludibunda regales dapes iucundiſſimè ſumebat. *Intrauit Rex vt videret diſcumbentes*, &c. Audi eumdem Hieronymum. *Sed poſtea cùm veniret Rex vt videret diſcumbentes in conuiuio ſuo, hoc eſt, in ſua quaſi fide requieſcentes, vt ſcilicet in die iudicij viſitaret conuiuas, & diſcerneret merita ſingulorum, inuenit vnum, qui veſte indutus erat nuptiali. Vnus iſte omnes qui ſociati ſunt malitia, intelliguntur. Veſtis autem nuptialis præcepta ſunt Domini, & opera quæ complentur ex lege & Euangelio, nouique hominis, efficiunt veſtimentum. Si quis igitur in tempore iudicij inuentus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtem nuptialem, hoc eſt, veſtem ſupercæleſtis hominis; ſed veſtem pollutam, id eſt, veteris hominis exuuias; hic ſtatim corripitur, & dicitur ei: Amice quomodo huc intraſti? Amicum vocat, quòd inuitatus ad nuptias eſt: arguit impudentiæ, quòd veſte ſordida munditias polluerit nuptiales. At ille obmutuit: in tempore enim illo non erit tempus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cùm omnes Angeli & mundus ipſe teſtis ſit peccatorum.* Hactenus Hieronymus. cuius ſententiam, imò & verba ipſa tranſcripſit Beda; ſed & Diuus Auguſtinus *in libro contra Donatiſtas poſt collationem cap.* 20. ad eundem ſenſum allicit verba Matthæi; nam poſtquam præmiſit verba illa, *intrauit Rex vt videret diſcumbentes*, &c. conferens ea cum his quæ ſtatim Chriſtus attexit: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* ita ſubſcribit. *Quomodo hoc verum eſt, cùm potius vnus è multis fuiſſet proiectus in tenebras exteriores, niſi quia in vno illo grande corpus figurabatur malorum omnium ante Domini iudicium conuiuio Dominico permixtorum, à quibus ſe boni corde interimat, moribus ſeparant ſimul manducantes ac bibentes corpus & ſanguinem Domini,*

mini, sed cum magna distinctione; quia isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærentes, sed quæ Iesu Christi? illi autem non habent vestem nuptialem, id est, fidissimam Christi charitatem, ac per hoc etiam, etsi in vno eodemque conuiuio sunt, isti misericordiam manducant, illi iudicium. Ex his constat Christum Dominum in ea parabola totum Ecclesiæ tempus ab Incarnatione ad extremum vsque iudicium nuptiarum & conuiuij tempus compellasse. Sed apertiùs id ipsum indicant verba Christi apud Lucam cap. 12. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei*, &c. Nam Dominus iste à nuptiis rediens, & in seruos repentè incumbens, ex communi Patrum consensu, Christum adsignificat, perfecta quoque iam mysticarum nuptiarum celebritate ad vniuersum mundum iudicandum subitò descendentem.

Et sanè tempus Euangelij, & Ecclesiæ tempus esse nuptiale, colligere licet ex modo, quo in nuptiarum solennibus sponsus cum sponsa agere ac conuersari solet. quem paucis complexus est Chrysologus in serm. 31. *Qui quærit sponsam* (scilicet inter nuptias) *ieiunia seponit, relinquit austera, totum se dat gaudijs, epulis indulget, totus blandus, totus amabilis incedit, & facit totum quod sponsæ tenera requirit affectio.* Enumerat Chrysologus oblectamenta nuptiarum; hæc autem esse dicit gaudia, epulæ, blanditiæ sponsi erga sponsam, & genio, seu voluntati eiusdem sponsæ per omnia obseruire. Hæc omnia tempus illud delitiosissimum postulat, & nihil eorum Ecclesiæ deest, aut deerit, quandiu perseuerauerit ad extremos vsque sæculi dies. In primis pro epulis est in illa iuge ac perpetuum Eucharistiæ conuiuium. Cùm discipuli Ioannis aliquando obiecissent Christo, quid causæ foret, quòd cùm ipsi à Ioanne informati assiduò ieiunarent, non ita ipse discipulos suos ieiunare & abstinere doceret. Occurrit Christus Dominus Matth. 9. Luc. 5. & Marci 2. *Numquid possunt filij sponsi lugere?* sic Matthæus. Lucas verò: *ieiunare quandiu cum illis est sponsus, venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt.* Duplex quidem est horum verborum sensus: alter quidem in promptu, quem verba ipsa sonant, iuxta quem loquitur Christus de tempore, quo ipse in mundo cum discipulis conuersatus est; & quidem *filios sponsi*, seu *filios nuptiarum*; vel habet Marcus, apud quem Græca habent ad verbum, *filij thalami*, iuxta peruulgatum apud Hebræos loquendi modum pro his capiuntur, qui ad nuptias vocati & inuitati sunt, nimirum sodales & amici sponsi; sicut enim aliàs *filij regni* dicuntur, qui regni consortes effecti sunt. Ita etiam hic *filij nuptiarum* appellantur nuptialium gaudiorum participes. Ergo ait Christus: sicut sodales & amici sponsi per nuptiales dies quandiu sponsum stipantur, & illi assistunt, non ieiunant, aut epulis parcunt, imò potiùs nuptialibus, id est, lautissimis excipi solet conuiuiis. Ita etiam quandiu ego sum in hoc mundo, ad quem tanquam sponsus ad nuptias descendi, vt scilicet mihi Ecclesiam desponderem, discipuli qui tanquam amici, hærent mihi, & me assectantur, non ieiunare & abstinere, sed lautiùs cœnare debent. *Veniet tempus cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt*, id est, non longè abest, cùm mors proxima ipsis eripiet me: & tunc sponso sublato, ieiunia sua inchoabunt. Cæterùm Ambrosius, Hieronymus, Beda, D. Thomas, Glossa, & alij, præmissa Christi verba ad vniuersaliorem sensum traduci, & de qualibet anima, cui Deus tanquam sponsus, per gratiam adest, aut potiùs de tota Ecclesia intelligi debere affirmant. In his autem D. Ambrosius, venustè admodum sic scribit: *Ieiunare non possunt filij sponsi, quandiu cum illis est sponsus*, &c. *qui sunt illi dies, quibus à nobis Christus aufertur, maximè cùm ipse dixerit: Vobiscum ero vsque ad consummationem sæculi. Ipse dixit: Non relinquam vos orphanos.* Et paucis interiectis: *Nobis* (inquit) *non Caiphas, non Pilatus Christum abstulit, nec possumus ieiunare, quia Christum habemus, & Christi carne epulamur & sanguine. Quomodo enim videtur ieiunare, qui non esurit? Quomodo autem sitire potest, qui bibit Christum, cùm ipse dixerit*, &c. Tandiu igitur, ex mente Ambrosij, Ecclesiæ filij sunt in nuptiis, quandiu in nuptiali conuiuio, id est, Eucharistiæ sacramento pascuntur. Quapropter cùm hoc sacramentum, seu conuiuium ad vsque sæculi finem permanere semper, atque instaurari oporteat, tandiu nuptias durare necesse est. Huc spectauit Beda in præmissum locum, vbi asserit ista verba, ad vsque mundi consummationem, & manifestationem Christi, cùm venerit ad viuos & mortuos iudicandos, veritatem habitura. Et sanè hinc petitur ratio præstantissima, suadens totum Ecclesiæ manentis tempus esse nuptiale, quia ex communi sanctorum Patrum sententia, constat, Eucharistiam esse illud conuiuium, quod Christus pro suis

atque

atque Eccleſiæ nuptiis concelebrandis exhibuit. Sed tandiu nuptiarum celebritas permanet, quandiu nuptiale conuiuium perdurat. Ergo cùm lautiſſimum illud conuiuium ad vſque mundi conſummationem perſeuerare oporteat, nuptias etiam Eccleſiæ eodem interuallo permanſuras exploratum eſt.

Secundo loco inter nuptialium dierum oblectamenta, enumerat Chryſologus *gaudia*; ita enim ait: *Totum ſe dat gaudijs.* Audi Chryſoſtomum *homil. 70. in Matth.* ad parabolam Regis facientis nuptias filio ſuo, vbi rationem offerens, cur regnum cælorum, id eſt, tempus Euangelij cum nuptiis totum conferatur, ita ſubſcribit: *Cuius rei gratia Euangelij tempus nuptiæ appellatæ ſunt, inquies? vt nimirum Dei erga nos præcipuam curam, charitatémque cognoſcas, & rerum ſplendorem non ignoras, vbi nihil triſte, nihil luctuoſum, ſed omnia ſpiritualis gaudij plena ſunt.* Hæc nuptialia & Eccleſiæ gaudia vaticinatus eſt Iſaias *cap. 61.* vbi noſtram Eccleſiam per proſopopœiam, ſic loquentem, inducit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Hæc verba omnes Catholici interpretes de Eccleſia exponunt: ſed illud non paruam difficultatem illis affert, quónam ſenſu eadem Eccleſia ſponſus, ſponſaque dicatur? Et ſanè alij alia. Hieronymus, Haymo, & D. Thomas duplex hominum genus, quo Eccleſia conſtat, adumbrari putant: aliud infirmum & molle, ne dicam muliebre, quod ſponſa notat: aliud robuſtum, quod ſponſus adſignificat. Gloſſa, Lyra, & alij non pauci addunt Eccleſiam conſtare Prælatis & ſubditis: illos verò ſponſi, hos ſponſæ nomine, demonſtrari. Cyrillus cunctam Eccleſiam ſponſo quidem propter eximiam fortitudinem, ſponſæ verò propter fœcunditatem comparatam fuiſſe affirmant. Sed vide, an aliquid ſibi voluerit Propheta? Quia ſi germanè loquamur, Chriſtus quidem veluti caput, ac reliqui fideles tanquam membra, Eccleſiæ corpus complent, atque perficiunt, atque adeò rectè admodum à Propheta Eccleſia cum ſponſo, ſponſáque componitur. Hácque Eccleſia tota, prout eſt ſponſus, ſponſaque, nimirum Chriſtus, atque reliquus fidelium cœtus, ita loquitur: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabo*, &c. id eſt, cùm aderit tempus illud aureum, & felix tempus ſub Euangelio, erunt mihi aſſidua & minimè interpellata nuptialia gaudia, (de his enim planè loquitur Propheta:) *quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me tanquam ſponſum decoratum corona, & tanquam ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Deſcribit Propheta nuptialia indumenta, non ſolùm ſponſæ, ſed etiam ſponſi. Quaſi dicat: ideò certè gaudia iſta, iucundiſſimè agam, quia in me erit ſponſus ſimul & ſponſa, Chriſtus & congregatio fidelium; atque adeò tota verſabor in nuptiis: me etenim quatenus ſponſus, id eſt, quatenus ipſemet Chriſtus ſum, induit veſtimentis ſalutis: id eſt, pro nuptiali veſte, ſalutem, vel potiùs ſaluationem impoſuit mihi, (à ſalute enim Ieſus dictus.) Me item quatenus ſponſam, id eſt, quatenus congregatio ſum fidelium, *indumento iuſtitiæ circumdedit*, id eſt, ſanctitate & iuſtificatione pro nuptiali quoque veſte donauit me: *tanquam ſponſum decoratum corona, & tanquam ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Aptiſſimè hæc dicuntur ad vtramque perſonam, ſponſi & ſponſæ Chriſti, & congregationis fidelium; ſponſo enim tanquam capiti corona tribuitur; ſponſæ verò, quæ per membra capiti ſubnexa ſignatur, monilia ad ornatum accommodantur. Itaque his verbis Iſaias venuſtè ſignificat poſt Incarnationem ſub Euangelio, Eccleſiam cum Chriſto, perinde ac ſponſam cum ſponſo in gaudio & nuptiali lætitia ſemper futuram.

Hæc verò nuptialia gaudia ad vſque mundi conſummationem ita peruenient, vt ſub finem ſæculi abrumpantur. Sunt qui ad hanc ſententiam transferant illa verba Hieremiæ 25. *Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Eadem enim verba ex Hieremia libauit Ioannes *Apocalyp. 18.* vbi illum de extremo mundi tempore loqui, ſentiunt Patres communiter. ſic enim Ioannes: *Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audientur in te amplius.* & paucis interiectis: *Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & vox ſponſæ non audietur adhuc in te.* Ergo Interlinearis ad locum Hieremiæ, & Gloſſa *ibidem*, illis verbis ſignificari putant, circa extremos mundi iam iam intereuntis dies futurum, vt nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ gaudia prorſus ceſſent: *& vox ſponſi, & vox ſponſæ*; quia nimirum ceſſabunt delitiæ amatoriæ Chriſti erga ſponſam ſuam & Eccleſiam, & pro gaudiis ſuccedet mœror, & lugubris habitus: tunc enim Chriſtus, non tanquam ſponſus, ſed tanquam ſeuerus iudex, ex iure

aget

aget cum Ecclesia sua. Vel per vocem *sponsi*, & vocem *sponsæ*, intelligere licet Epithalamia nuptialia, quæ inter præcipua nuptiarum oblectamenta recensentur, quorum significationem infrà dabo, *cap.* 8.

Tertiò sponsi recentis ac denuò nubentis est sponsam suam peramanter tractare, & omni seueritate deposita placabilem se, ac beneuolum illi exhibere. Adde etiam votis illius ac desideriis ad nutum acquiescere, vt tradit suprà Chrysologus; *id enim postulat tenera ipsius sponsæ affectio.* Et sanè ita sæpe contingit, vt antiqui coniuges, qui nimirum ex multo tempore vxores duxerunt, & seueriores erga illas esse incipiant, atque votis earum multa denegare non dubitent; cùm tamen eidem, tunc cùm recens erat nuptiarum coniunctio, leniſſimos erga easdem, ac placidiſſimos se præberent, ipsisque postulantibus nihil non deferrent. Ita igitur apud te statue perid tempus quod inter Incarnationem Christi, & sæculi finem excurrit, Christi & Ecclesiæ nuptiales delitias vigere, & Christum tanquam sponsum recentem cum noua nupta, omni remota seueritate, ac supercilio, amantissimè cum Ecclesia sua agere studiosum per omnia, vt ipsi placeat, & cuncta illius vota, seu desideria perficiat. Itaque non antiquum maritum, qui ex multo tempore vxorem duxit, sed recentem ac nouum imitatur. Ad hunc sensum vocare licet illa verba *Ioëlis* 1. quæ de Christo & Ecclesia accipi, & ad extrema mundi tempora referri posse ex Hieronymi sententia nuper dixìmus. *Plange ad me super sponsam accinctam cilicio, & super virum suum virgineum*, &c. vbi Ecclesiam post tot sæcula ad vsque ipsam mundi consummationem, virum virgineum adhuc habere dicit Propheta, id est, recentem ac nouum, qui videlicet cum illa, tanquam cum noua nupta ageret. id enim sibi volunt illa verba, *super virum virgineum.* pro quibus in vulgatis est, *super virum pubertatis suæ.* Cyrillus autem sic exponit: *Virum virgineum, hoc est, ephebum & adolescentem maritum, à se ablatum plorabit.* Quod ad illa tempora relatum, significat, tunc sanè vberes lachrimas effusuram Ecclesiam, cùm sponsus ille nouus & adolescens, qui cum ipsa nuper tanquam cum noua nupta conuersabatur, ipsi auferetur; qui propterea auferendus dicitur, quia eo tempore Christus Dominus amores ac delitias sponsi noui ac recentis in seueritatem iudicis permutabit. Hæc dixi, fultus in temperatione illa Diui Hieronymi, quam nuper dedi.

Certè si conferamus nouum cum veteri Testamento, constabit planè id discriminis inter vtrumque versari, quòd in veteri Deus erga homines veluti dominum atque herum se gerebat, seueritatem suam vbique prodens. ea propter, vt tradit D. Hieronymus, summo Dei consilio factum est, vt Hebræi nomen tetragrammaton, seu quatuor litterarum, numquam exprimerent, sed pro illo subiicerent nomen Adonai, quod dominum, atque herum sonat: vt vel sic profiterentur Deum cum ipsis tanquam cum seruis & mancipiis agere solitum. Est autem nomen quadrilitteron, nomen Iehouah, quod per aphæresim Hebræi pronuntiare solebant *Iah*; id verò nominis maritale, aut nuptiale appellare, ipsis solenne erat, ipsúmque Deum matrimoniis sub eo nomine adesse & præsidere putabant. Hinc nata obseruatio illa Rabinorum, apud quos familiare est illud, quod nimirum si à duobus illis nominibus אישׁ & אשׁה dematur nomen Dei יה *Iah*, remanet אשׁ, quod ignem sonat, quia si à coniugiis, inquiunt, absit Deus, qui prout significatur eo nomine *Iah*, & adesse connubiis, nihil certè in ipsis reliqui fit, nisi merus ignis, hoc est, concupiscentia ac discordia: ideò ergo Hebræi ei nomini parcere iubebantur, quia veteris Testamenti spiritus, non erat nuptialis, sed seruilis. In nouo autem Testamento, cum Ecclesia, deposita seueritate, tanquam sponsus amantissimus recens, ac nouus Deus semper agit. (hic enim est proprius ac genuinus Euangelij spiritus,) non enim iam pertinemus ad spiritum illum rigidum & seuerum, quo lex quasi ceruos coërcebat antiquos Patres, sed ad spiritum beneuolum ac placabilem, quo Christus in Euangelio tanquam sponsam amantissimam, Ecclesiam amplectitur ac regit; iuxta illud, *qui habet sponsam, sponsus est*, luculentiùs dicam, iura nostra non sunt similia, sed connubialia. Ad hunc sensum, me iudice, allicienda sunt verba Oseæ *cap.* 2. vbi de Ecclesia sermonem habens, (vt docent communiter Interpretes) ita fatur: *Et erit in die illa; ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali, & auferam nomen Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Certè nomen בעל *Baghal*, quod hìc occurrit, propriè & germanè, *dominum* sonat, aut *herum.* Addo etiam id nominis in quibusdam aliis Scripturæ sacræ locis, Deo non irreligiosè tribui. Isaiæ 54. *Dominus exercituum nomen*

eius,

eius, & redemptor tuus sanctus Israël. Hebr. בעל צבאות *Baghal Sebbaoth*, & alibi etiam non semel, datur etiam id nominis in Scriptura idolis. Nil certius. Item maritum significat vox *Baghalim*, per quam frequenter in sacris litteris id quoque compertum valde. Quid inde? Profectò locus iste sic vulgò exponitur. In die illa, id est, tempore Euangelij post Incarnationem pro mea in Ecclesiam gratia fiet, vt ipsa abstinens omnino à nomine illo *Baghal*, quod mihi cum idolis commune est, deinceps virum, id est, sponsum ac maritum suum appellet me. Propterea verò nomen illud *Baghal*, aliàs minimè ignobile, mihi nequaquam tribuet, ne videatur vel solo in nomine cum idololatris commercium & communionem habere, qui suos etiam commentitios Deos Baalim appellare consueuerunt. Certè huic interpretationi plurimum defero; est enim Hieronymi ac Cyrilli: sed tamen aliam subiicio, quam cum illa cohærere ac conformari volo, vt loci sententia penitus exhauriatur; id verò mihi in dicta interpretatione difficile apparet; quia si Deus Ecclesiæ suæ ab eo nomine *Baghal* propter idola & idololatriam tantum abstinendum diceret, non equidem affirmaret se *viri* nomine ab eadem compellandum, sed aliis pleriſque nominibus ipsius Dei propriis, quibus affluit Scriptura. Hæc sunt Iah, Sadai, Eloim, Iehoua, & id genus alia, quæ ab idololatria remotiora videbantur, quàm viri nomen. Deinde non video cur illi abstinendum prorsus esset ab eo nomine, quod aliàs Scriptura ipsi Deo, non sine decentia & religione tribuit.

Præmittere autem oportet, apud veteres in vsu fuisse, vt fœminæ nonnumquam Diis ipsis nuptui traderentur; & viri etiam Deas ducerent. Nuptiarum quas viri cum Deabus copulabant, meminit Scriptura, *Machab. 2. cap. 1.* vbi sic habes: *Nam cùm in Perside esset dux ipse, & cum ipse immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus Sacerdotum Naneæ. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici eius, & vt acciperet pecunias multas dotis nomine*, &c. Sententia est perspicua; erat autem Nanea, Diana, seu Venus: hanc Sacerdotes inito consilio Antiocho se matrimonio locaturos polliciti, illum, vt moris erat, cum amicis quasi ad nuptias venientem admiserunt, *cum ea habitaturum.* Græcè συνοικεῖν, quod verbum de nuptiali cohabitatione enunciari solet, id est, cum ea *matrimonium copulaturum*, vt ingentem pecuniæ vim dotis nomine reciperet, quam ipsi Sacerdotes spoponderant, &c. Legendus noster Serrarius in eum locum, vbi ex Xiphilino producit Ehogabali nuptias cum Vrania, aut cum Venere, ex Suetonio *lib. 4.* matrimonium Caligulæ cum Luna, aut Diana. Ex Dione item hæc libat verba: cùm videret Athenienses velle Antonium Dionysij nomine ornari, Mineruam ei desponderunt. Is nuptias placere sibi respondit, ab hisque centum Myriadas drachmarum accepit dotis nomine. Hinc fluxerunt illæ satis celebres apud antiquos nuptiæ Pelei ac Thetidos, mortalis scilicet cum immortali, quorum obuia valde mentio apud Poëtas. Fœminis quoque solenne fuit Diis nubere. Huc spectare crediderim Theocriti totum Idyllion 15. vbi Arsinoë Reginam Adonidi nubere fingit Poëta. Meminit etiam coniugij fœminarum cum Diis D. Augustinus *lib. 6. de ciuitate cap. 10.* vbi Senecæ verba producit: *Sedent quædam in Capitolio, quæ se à Ioue quidem amari putant, nec Iunonis quidem, si credere Poëtis velis, iracundißimè respectu terrentur.* Adi Lipsium in libellum Senecæ de superstitione, & alios illius Philosophi Scholiastes. Quid inde? Profectò ego in ea sum sententia, vt putem Hebræos præfatam superstitionem simul cum idolorum adoratione à gentibus hausisse. hanc meam suspicionem confirmant multa Prophetarum loca, in quibus tota Iudæorum Respublica cum Diis alienis fornicari, atque illis tanquam sponsa præparari dicitur. Nam idem Oseas paulo antè sic præmittit: *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabat se inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos*, &c. & Isaiæ 57. *Dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus, & dilexisti stratum eorum manu aperta, & ornasti te Regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua.* Mitto alia perquam similia, quæ licèt loquantur de tota Hebræorum Synagoga, similitudo sumitur ab eo quòd priuatæ ac singulares fœminæ cum idolis agebant, ipsis nubentes, & ipsos pro maritis habentes, ea propter idolis inditum nomen Baalim, quod certè maritos sonat, quia nimirum ipsis mulieres tradebantur in matrimonium. Confirmat hanc coniecturam animaduersio Rabbi Dauid *in libro radicum*, vbi affirmat Deos & idola, quæ aliis atque aliis nominibus viri appellabant, à fœminis semper vocari solitos Baalim, id est, maritos, quod videtur ex quorumdam sacræ Scripturæ locorum obseruatione adnotasse; id verò nominis fœminæ idolis

dabant obseruantiæ ergò : nam cùm alia sint nomina apud Hebræos, quæ maritos adsignificant, nimirum אשים *isim*, id est, *viri*, & עבר *gheber*, id est *coniuges*, nomen Baalim ad inueniendum fœminæ erga virum obsequium accommodatius est, significat enim *dominos*, aut *heros*. Atque adeò 1. *Petri* 3. ad notandam Saræ erga virum suum Abraham obseruantiam, sic additur : *Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Verba Saræ *Genes.* 18. hæc sunt : *Dominus meus vetulus est*, &c. In originibus est אדוני *Adonai.* Sunt autem *Adonai*, atque *Baal* synonyma, vt docet Hieronymus *in cap.* 37. *Hieremiæ.* Itaque fœminæ illæ idololatræ, quæ cum Diis suis matrimonia contraxerant, non audebant eos *isim*, id est, *viros*, aut *gheber*, id est, *coniuges*, liberè ac licenter dicere : sed vt obsequium, & timorem insinuarent, suum Baalim eosdem vocitabant, id est, *dominos* : vt nimirum eo nomine illis tanquam numinibus deferrent, & eosdem maritorum loco se habere, ac numerare significarent.

Hinc ergo verbis Oseæ lucem afferri puto. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim*, &c. id est, in tempore Euangelij, cùm per carnem assumptam Ecclesiam mihi connubio stabili adiunxero, tanto studio, & amore ipsam amplectar, vti me iam non *Baalim*, id est, *Dominum meum*, vocet, ex nimio obsequio, & timore, quemadmodum olim Deos suos dicere solebant mulieres ipsis nubentes : sed posito omni metu, & terrore coniugali quadam facultate, & licentia, virum suum, & maritum suum compellare audeat. Quod perinde est, ac si dicat, nomina, quæ seueritatem significant, omittet, & quæ delitias, & coniugalis amoris voluptatem notant, vsurpabit. Adde etiam non insulsam obseruationem Abulensis, qui expendens illa verba Geneseos, quibus Sara honestauit virum suum Abraham : *Dominus meus vetulus est*, &c. ex sententia Hebræorum asserit olim apud Iudæos more comparatum fuisse, vti vxores coniuges suos, quandiu vegeti, aut robusti erant, אשים *isim*, aut עבר *gheber*, id est, *viros*, aut *maritos* compellarent : eosdem verò senes, ac viribus effectis grandæuos אדנים *Adonim*, aut בעלים *Baghalim* vocarent, hoc est, *dominos*, nimirum canis ea ratione differentes. Quòd si hæc vera sint, sensus euadit luculentior ad hunc modum. *Et erit in die illa, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim*, id est, non tanquam vetulum, senémque maritum, marcescentibus coniugalis amoris deliciis : vocabit me Baalim, id est, *dominum meum* ; sed veluti nouum, ac recentem vernanti voluptate sponsum appellabit me *Isai*, id est, virum meum. Talem enim se exhibet Christus erga Ecclesiam suam, scilicet virum planè nouum, & nuptias nouas, & recentes assiduò cum illa celebrantem. Hanc interpretationem commendat ipse contextus : ita enim præmiserat : *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinẽ, & loquar ad cor eius.* id est : Ecce ego delitiosè admodum cum ipsa agam, & vt Regibus solenne est, vxores suas primùm in hortos, & nemora amœnissima deducere, vt ibi iucundiùs nuptiæ peragantur. Non aliter cum Ecclesia me geram. *Ducam illam in solitudinem.* (quidquid spatij iacet extra vrbem, solitudo dicitur in Scriptura, vt dicemus ad illa verba, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto.* infrà *cap.* 3. *ver.* 1.) id est, ducam illam in villam, & hortos extra vrbem (verbum *ducam*, nuptiale est, vt aliàs dixi.) quasi dicat, illam è domo sua in solitudinem transferens, ibi ducam vxorem : *& loquar ad cor eius*, id est, consolatoria, delitiosa, & amatoria verba ipsi dicam, qualia fari decet nouum sponsum ad nouam nuptam. Est etiam modus iste dicendi nuptialis in Scriptura. Nam Ruth postquam Booz ipsam ducere spontè acquieuerit, sic adiecit cap. 2. *Inueni gratiam in oculis tuis, Domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Sed huius loci magis exactam expositionem dabimus infrà.

Denique tempus Euangelij post Christi aduentum in carnem ad vsque sæculi finem nuptiarum celebrationi impendi comprobat optima ratio. Quia per totum hoc tempus aliis & aliis subinde ad fidem, & dilectionem Christi denuò, ac recenter vocatis, semper noua, ac recens est sponsa : atque adeò nouæ semper, ac recentes sunt nuptiæ, & consequenter celebritas connubialis assiduò innouari, & instaurari debuit. Quamuis enim ab initio Ecclesia fuerit sponsa integra, membris suis constans : tamen hæc membra in singulos dies partim augentur, partim aliis decedentibus, & aliis accedentibus permutantur : atque adeò nunquam non est noua, & recens sponsa, vt propterea sponsus cum illa noui ac recentis mariti amores, & delitias conseruare, ac repetere assiduò debeat. Hinc autem lucem accipit locus Apocalypsis cap. 19. *Et audiui quasi vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium Alleluja, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & demus gloriam*

riam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est ei, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum. Et dixit mihi, scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, &c. Locum istum ex Patribus aliqui de illis nuptiis interpretantur Christi cum Ecclesia in cœlo, & beatitudine iucundissimè celebrandis. Et sanè Scriptura sacra nō semel cœlestes nuptias Christi cum Ecclesia commemorat: nam parabola decem virginum de his agit, vt suprà monuimus. & Ioannes etiam infrà *cap.* 21. de eisdem multa scrit. Est etiam apud Patres crebra admodum istarum nuptiarum mentio: adeò vt sint nonnulli, qui matrimonij Christi, & Ecclesiæ consummationem in beatitudinem differre videantur. ita loquitur D. Augustinus *in lib. de bono coniugali, cap.* 18. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Beda, & D. Thomas *in Matthæum*, ad parabolam decem virginum, & alij passim. Cæterum plures alij præmissum locum interpretantur de nuptiis Christi & Ecclesiæ in hoc sæculo ante resurrectionem. Hi verò sentiunt tempus quoddam felicissimum ante finem sæculi à Ioanne describi, in quo totum latè mundum ad fidei agnitionem venire, atque vnum ouile sub vno pastore constituere oportet: ita enim sæpe denunciatur in Scriptura sacra. his assentior. Sed cur tunc agni nuptias celebrandas dicit Ioannes, cùm isthæc iam inde ab Incarnatione peragi cœperint, & nostro quoque tempore iucundissimè eadem agi, & celebrari ex dictis constet?

Huic dubitationi facilè occurri potest. Cogita ergo, non ideò Augustinum, & alios Patres nuptiarum Christi & Ecclesiæ consummationem in cœlo post resurrectionem carnis perfici dixisse, quia Christum cum huius sæculi Ecclesia consummatum matrimonium iungere differentur. Absit: hoc enim planè erroneum sit. Sed quia animæ, quæ per mortem corpus exuerunt, quandiu in cœlo sunt, ante resurrectionem carnis non habent nuptias. Nam, vt suprà *cap.* 5. §. 1. multis probaui, non potest matrimonij spiritualis, & mystici, de quo nunc agimus, forma seruari, nisi duo coniuges actu corpore, & carne constent, quam sibi inuicem tradant. Quapropter sicut Verbum Dei ante Incarnationem non potuit nuptias contrahere cum Synagoga, quia necdum ipsum carnem induerat: ita etiam nunc Beatorum animæ in cœlo non habent nuptias, propriè dictas, quia carnem exuerunt. Tunc verò, cùm illam in generali resurrectione iterum assumpserint, repetentur antiqua connubia, & Christus, & sponsa eius Ecclesia velut instaurato fœdere erunt vnum corpus, & vna caro in cœlo. Dixi autem de industria antiqua connubia repeti, & iterari; quia nuptiæ, quas tunc rediuiua corpora cum Christo copulabunt, non erunt nouæ à prioribus diuersæ, sed veteres redintegratæ, ac renouatæ: atque adeò in cœlo non est futurum aliquid nouum, quod rationem consummationis habeat: sed consummatio, quæ per Eucharistiæ vsum fit in hoc sæculo, eadem in cœlo innouata, & instaurata perseuerabit. Quapropter cùm D. Augustinus, & alij Patres docent nuptias Christi, & Ecclesiæ, in beatitudine post resurrectionem carnis perficiendas (ita enim loquitur S. Doctor in lib. de bono coniugali. *Quæ tunc perficientur, cùm reuelauerit Deus occulta tenebrarum, & manifestauerit consilia cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*) non agunt de consummatione matrimonij, ex qua resultat carnis vnitas (hanc enim in hoc sæculo copulari sæpè aliàs docet idem Augustinus;) sed de perfectione ipsius sponsæ, quatenus Ecclesia iam tunc suis membris constans vlteriùs crescere, & alios post alios sibi incorporare non potest. Itaque propterea nuptias tunc consummandas dicit, quia præter eas, quæ iam tunc copulatæ fuerint, non erunt deinceps aliæ animæ simili modo Ecclesiæ aggregandæ, & Christo tanquam sponso iungendæ.

Igitur ad eundem modum, quia in aureo illo tempore, de quo Ioannes vaticinatur, cunctus latè mundus abiectis erroribus fidem catholicam suscipiet, ideò tunc nuptiæ agni celebrandæ dicuntur: non quia tunc primùm ineunda, atque inchoanda sint hæc coniugia; sed quia tunc perficientur, & celebriùs, siue iucundiùs agentur, cùm sponsa, id est, Ecclesia maximum illud susceperit incrementum, & tota ab infidelitate ad Euangelium traducta fuerit. Ergo sic cogita, quòd licèt iam indè ab Incarnatione Christi Domini nuptiæ illius cum Ecclesia procedant, & decurrant: tamen prima illa traductio Ecclesiæ ab infidelitate ad fidem, & Euangelium, à qua incipiunt coniugia (quæ similis est primæ translationi sponsæ à domo parentum, in gynæceum, & inde in hortum, aut villam, vbi nuptialis celebritas agebatur, vt suprà

adnotaui) secundùm aliquas eiusdem Ecclesiæ partes hoc etiam tempore per conuersionem infidelium populorum in singulos dies fit. Nam ordo, seu status Catechumenorum, qui ad fidem initiantur, similis est omninò gynæceo, seu parthenoni, in quo sponsæ ad futuras nuptias adornabantur, vt suprà etiam tradidi. Itaque hodie ab erroribus patriis ad Catechumenorum ordinem, tanquam à domo parentum in gynæceum, & inde ad fidem, & Euangelium, veluti in locum nuptiarum transeunt non ignobiles Ecclesiæ partes. Quapropter secundùm hanc considerationem Ioannes nuptias agni distulit in tempus illud, cum perfecta iam illa traductione Ecclesiæ ab infidelitate ad fidem secundùm omnes partes suas integra, & tota simul nuptias suas peraget. Id sibi volunt illa verba, *Quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se.* Particula, *&*, habet vim rationalis aduerbij, *quia.* quasi dicat. Ideò venerunt iam nuptiæ agni, quia perfecta est, ac consummata præparatio sponsæ secundùm omnes partes suas: omnibus enim gentibus ad fidem conuersis, & Ecclesiæ corpori agglutinatis, iam non erit opus illa præparatione, quæ ante Baptismum præmitti solet per catechesim. Itaque Ioannes illis verbis, *vxor eius præparauit se*, planè alluſit ad præparationem gynæcei, in quo puellæ ad nuptias excolebantur: & hanc illo tempore, omnibus ad fidem conuersis populis, consummandam dicit, totamque Ecclesiam in nuptiis futuram.

Ex his constat totum tempus ab aduentu Christi ad vsque extremos iudicij dies esse nuptiale, in quo nimirum Christi & Ecclesiæ connubia, eorumque celebritas viget, & assiduò instauratur, atque innouatur. Quapropter cùm hic Canticorum liber nuptiarum solemnes ritus contineat, cunctamque celebritatem, & tempus, quod in illis poni solebat, exactissimè describat, vt fusè ostendimus, haud immeritò dicimus in illo totum Ecclesiæ processum, & decursum ab aduentu Christi vsque ad illud tempus iudicio proximum, in quo nuptiarum celebritas intermittetur (vt nuper dicebamus) per singulas eiusdem Ecclesiæ ætates, aut sæcula expressum, ac deformatum fuisse.

Mundi duratio à prima conditione vsque ad finem, septimana quædam est.

§. II.

SVprà *cap.* 3. §. 5. huius Isagoges fusè probaui, nuptias apud Hebræos per quinque extremos hebdomadæ dies celebrari solitas, ita vt tertia Sabbati, aut feria tertia ad vesperum inchoarentur, & Sabbato primo manè desinerent. Iam nunc, vt ad mysteria sub hoc cortice latentia gradum faciam, per quinque præfatos dies cunctas Ecclesiæ perseuerantis ætates ad vsque mundi finem adumbrari, & exprimi affirmo. Id verò vt suadeam, præmittere oportet dogma quoddam Patribus valde familiare, scilicet totam mundi durationem à prima ipsius conditione vsque ad finem per septimanam, seu hebdomadam metiri, ita vt septem illius ætates, aut dies passim enumerent. Sic enim apud se statuunt, septem illis diebus, quibus Deus initio huius mundi fabricam molitus fuit, septem alios dies, vel ætates eiusdem mundi respondere, quibus ipsum permanere oporteat: his autem perfectis, eundem mundum finem habiturum. In illo enim perbreui septem dierum spatio, quod in prima mundi conditione Deus posuit, cunctam eiusdem mundi durationem tanquam in figura quadam, aut imagine compendiosè admodum ab eodem adumbratam, vel potiùs præluſam sentiunt. Sed tamen circa enumerationem harum ætatum, vel dierum permanentis mundi non eodem modo decernunt.

D. Irenæus aduersùs hæreses *lib.* 5. *cap.* 28. dictam enumerationem sic conformat, vt Sabbatum, in quo *requieuit Deus ab vniuerso opere, quod patrauerat*, ad futuram beatitudinem spectare dicat: sex autem reliquos hebdomadæ dies sex annorum millia significare putet, quibus hunc mundum permanere oportet. Et ad hunc sensum transfer ea, quæ de numero nominis bestiæ scribuntur *Apocalyps.* 13. sic enim habet: *In recapitulationem vniuersæ apostasiæ eius, quæ facta est sex millibus annorum. Quotquot enim diebus hic factus est mundus, tot annorum millenarijs consummatur. Eapropter ait Scriptura Geneseos: Et consummata sunt cælum & terra, & omnis ornatus eorum, & consummauit Deus in die sexto omnia opera sua, & requieuit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc autem est & antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt,*

&

& futurorum. Mens autem Irenæi hæc eſt, in prima mundi conditione eiuſdem durationem repræſentatam fuiſſe : & illud verbum, *conſummo* (quod ſemel & iterum adiecit ſacer ſcriptor. *Conſummati ſunt cæli*, &c. iterum, *& conſummauit Deus in die ſexto omnia opera ſua.* pro quibus in vulgatis habemus, *Perfecti ſunt cæli*, &c. & ſubinde : *Compleuítque Deus die ſeptimo opus ſuum*, &c.) hoc, inquam, verbum *conſummo*, aut *perficio*, ſi referatur ad illam priorem mundi molitionem, ſignificare extremam manum, quam Deus huic fabricæ impoſuit : relatum verò ad tempora futura, quorum vaticinium illa priora continent, mundi conſummationem, & finem notare. Sic Irenæus, cuius ſententiam, quatenus mundi permanentis dies ea ratione æqualibus ſpatiis per ſex annorum millenaria diſtribuit, omnes ad vnum confutant Patres, & interpretes : quatenus verò ſex primos illius prioris hebdomadæ dies ſex mundi ætates notare dicit, & ſeptimum, vel Sabbatum beatitudini donat, non paucos ſectatores habet.

D. Auguſtinus *de Geneſi, contra Manichæos, lib. 1. cap. 25. & de Trinitate, lib. 4. cap. 4. & quæſtionum ſuper librum Iudicum lib. 7. cap.... & in lib. 75. quæſtionum, quæſt. 26. & contra Fauſtum Manichæum lib. 12. cap. 8. & in Ioannem tractat. 9. & de ciuitate Dei lib. 22. cap. vlt. & in Pſalm. 92. & in lib. 83. quæſtionum, quæſt. 53. & 58.* in ſeptimana, quam Deus in creatione mundi poſuit, cunctas eiuſdem mundi ætates propheticè adumbratas docet. Has verò ætates, ſiue dies, ſic partitur : ſubiiciam illius verba ex Commentariis in Pſalm. 92. expetita : *Primum enim tempus tanquam primus dies ab Adam vſque ad Noë. Secundum tempus tanquam ſecundus dies à Noë vſque ad Abraham. Tertium tempus tanquam tertius dies ab Abraham vſque ad Dauid. Quartum tempus tanquam quartus dies à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Quintum tempus tanquam quintus dies à tranſmigratione Babylonis vſque ad prædicationem Ioannis. Sextus dies iam à prædicatione Ioannis agitur vſque ad finem mundi. Poſt finem ſexti diei perueniemus ad requiem, id eſt, ad Sabbatum,* &c. Hæc Auguſtinus, qui eadem fermè verba repetit in omnibus aliis præcitatis locis. Eundem dierum, ſeu ætatum mundi cenſum facit Chryſoſtomus *in homil. de Iephthe, tom. 1.* Accinit Imperfectus *homil. 39. in Matth.* qui eo tantùm ab Auguſtino, & Chryſoſtomo diſcedit, quòd tertium diem numerat ab Abraham ad vſque Moyſem. Quartum à Moyſe, vſque ad captiuitatem Babylonicam. Accedunt præterea Beda *in lib. de temporum ratione, cap. 64.* & in ſpeciali libello *de ſex mundi ætatibus.* D. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus *lib. 2. contra Iudæos.* Ado Viennenſis *in Chronico.* D. Iſidorus *orig. lib. 5.* & alij paſſim. Itaque omnes Doctores præfati ſex ætates, vel dies mundi adſtruunt, & Chriſtum in ſexto mundi die, aut ætate veniſſe affirmant, atque ſeptimum diem, vel Sabbatum Beatorum quieti adſcribendum eſſe. Quòd ſi obiicias, in nouo Teſtamento octauam potiùs diem propter Chriſti Domini reſurrectionem beatitudinem repræſentare, acquieſcit D. Auguſtinus *de Ciuitate, loco ſuprà citato :* tamen ſeptimam, & octauam diem ita diſtribuit, vt ſeptima animorum, octaua verò corporum beatitudinem adſignificet. Ita enim ſcribit : *Septima dies erit Sabbatum noſtrum, cuius finis non erit veſpera, ſed Dominicus dies velut octauus æternus, qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt, æternam non ſolùm ſpiritus, ſed etiam corporum requiem præfigurans.* Eodem modo octauum & ſeptimum diem accommodat Beda *locis citatis.*

Cæterùm quamuis hæc partitio idonea videatur, ſi tamen conſulamus ea, quæ alij Patres de hac ſeptem dierum apta diſtributione tradunt, aliter dies digerendi ſunt. Aſſero ergo durationis mundanæ dies, aut ætates ſeptem numerari debere ante eiuſdem conſummationem, & ante Beatorum requiem in cælo, quæ extremum iudicij diem inſequi debet. Ita docet Ambroſius *epiſt. lib. 6. epiſt. 39. ad Horatianum.* Gregorius Magnus *in Ezechielem, homil. 16.* Origenes *in cap. 11. libri Numerorum, homil. 6. & in cap. 12. homil. 7.* Gregorius Nyſſenus *oratione 2.* ad illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. & in orat. 1. de Chriſti Reſurrectione.* Adde etiam D. Iſidorum *originum lib. 18. cap. 36.* Hæc noſtra poſitio, quam tot Patrum authoritas roborat, tres partes continet ſuperiori ſententiæ contrarias. Prima eſt dies durationis mundialis vſque ad iudicium extremum, non quidem ſex, ſed ſeptem eſſe numerandos. Id verò præter authoritatem Patrum, quos nuper dedimus, confirmat quoque ratio ſatis robuſta. Quia iſti mundi perſeuerantis dies diſtinguuntur planè per ordinem, ſeu reſpectum ad ætates hominis : atqui ætates iſtæ, ſi exactè numerentur, non ſunt ſex, imò ſeptem. (ita docet D. Ambroſius *loco citato*, vbi citat Hippocratem.

Et Hieronymus *in cap.6. Amos Prophetæ, & contra Pelagianos lib.3.cap.2.* & vtrobique Philonem producit, qui eundem ætatum numerum exactissimè tradit in libro *de mundi opificio.* Adde etiam Aristotelem *lib.7.Politicorum, cap.16.* Plutarchus *in Moralibus*; & alij non pauci. Has verò ætates sic partiuntur. Prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta virilis ætas, sexta senectus, septima senium.) Ergo septem quoque huius mundi dies percenseri debent, qui cum septem illis diebus mundanæ conditionis omnino congruant: ita vt septimus dies, id est, Sabbatum, non ad requiem beatorum, sed ad durationem ipsius mundi computari debeat.

Hinc autem fluit secunda pars nostri asserti, quæ sic habet. Beatorum requies, consummato sæculo, non per septimam diem, sed per octauam repræsentatur. Ita expressè tradit D.Gregorius Magnus *loco citato*, vbi sic scribit: *Nec immeritò mensuræ vestibuli in octo cubitis ponitur, quia septem diebus vniuersum tempus euoluitur: æterna enim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, octaua est.* Sed luculentiùs D. Ambrosius *in epist.ad Horatianum*, vbi rationem, propter quam in nouo Testamento significatio quietis beatæ à septima die ad octauam translata est, rescribit ad hunc modum: *Atque vt Apostolicis vtamur testimonijs, vbi hominem fecit Deus, requieuit ab omnibus operibus suis in die septima. Sed quia populus Iudæorum per contumaciam contempsit mandata Dei sui, ait Dominus, si introibunt in requiem meam. Et ideò aliam Deus præfiniuit diem, de qua dicit: Hodie si vocem meam audieritis. Hæc autem dies est octaua.* Hanc rationem petit Ambrosius ex Pauli verbis *ad Hebræos* 4. nam cùm præmisisset Apostolus illa verba Psalmi 94. *Sicut iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* atque requiem istam, de qua loquitur Propheta, per Sabbatum, siue per septimam diem, in qua Deus requieuit ab operibus suis, significatam dixisset, ita subscribit: *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & hi, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam. Hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut suprà dictum est: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei: qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requiebit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Sententia est perspicua. Cùm requies (inquit Apostolus) præparata esset hominibus, atque adeò illos in ipsam ingredi oporteret, necessum fuit, vt quandoquidem Iudæi eam amiserant requiem, quam significabat Sabbatum mundanæ creationis, in quo Deus opera intermiserat, aliàs dies determinaretur, aut præfigeretur ad istiusmodi requiem capiendam. Ergo de hac Propheta subiecit: *Hodie si vocem eius audieritis*, &c. Quasi dicat: non periit Sabbatum simul cum lege, sed peculiaris, ac proprius Sabbatismus populum Dei, id est, Ecclesiam Christianorum manet. Sed quis iste? Certè octaua dies pro septima. *Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam requiebit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Quasi dicat: Nam & Christus Dominus noui Testamenti dux, & caput octaua die resurgens, & quietem suæ beatitudinis ingrediens, perinde cessauit ab operibus reparationis mundi, sicut Deus olim cessauerat ab operibus primæ conditionis. Quapropter sicut illa Dei intermissio antiqui populi requiem notauit: ita etiam Christi cessatio noui populi adumbrauit beatam quietem. Hunc sensum planè tradere videtur eo loci D.Ambrosius, quem ego libentiùs amplector.

Et quidem in censu dierum, siue ætatum huius mundi ante eiusdem finem septimam diem, siue Sabbatum computandum, ita vt in ipsam iudicium est finis mundi incidat, (quæ est tertia nostri asserti pars) perspicuè tradunt Patres suprà citati. In his enim Origenes *in ea hom.7.* sic scribit. *In septimana enim dierum creaturæ totius visibilis substantiæ videntur esse productæ: tunc enim quæ non erant, facta sunt. In septimana verò secreta quadam, & soli Deo manifesta dispensatione, quæ tunc producta sunt, explicantur.* Et plura attexit in hanc sententiam. Item D. Isidorus septem spatia, seu interualla, quibus hunc mundum perdurare oportet, cum septem spatiis, quæ in ludis Circensibus olim quadrigæ permetiri, ac conficere solebant, eleganter componens sic addit. *Septem spatia quadrigæ currunt, referentes hoc ad cursum septem planetarum, quibus mundum regi dicunt: siue ad cursum septem dierum potentium, quibus peractis mundi terminus consummatur, cuius finis est creta, id est, iudicium.* Alij codices emendatiùs habent, *quorum finis est certa meta, id est, iudicium.* Itaque Isidorus futurum putat, vt septima huius mundi die, sicut in septimo curriculi spatio iudicium incidat. Sed absolutissimè

lutissimè de hac re D. Gregor. Nyssen. *in orat. 2.* super illud, *Faciamus hominem*, &c. vbi expendens illa Petri Apost. verba ad Christum: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei; vsque septies?* ita subnectit: *Obseruauerat Petrus ex antiqua traditionis norma, septenario numero contineri quandam vim remissionis peccatorum, cuius indicium Sabbatum est dies septimus à creatione mundi.* Et paucis intercalatis sic ferit: *Et quod ergo mysterium est, septima dies dicitur tempus iudicij, in quo & peccator septies punitur, & eximiè peccator septuagies septies. Iustus item septies, & eximiè iustus septuagies septies remuneratur.* Et subinde non longo interstitio. *Septimus igitur iste dies septimi illius diei, quo æuum omne perfectum erit, est indicium, & nota. Et requiebit Deus ab operibus suis: nulla scilicet amplius opera erunt in illo die, nullæ amplius nuptiæ, non contractus, non mercaturæ, non agri cultus, sed omnis terra in formidine erit, omnes res procreatæ in iudicio, & certamine versabuntur: sudor, & labor incredibilis: ipsi etiam iusti cum timore sententiam expectabunt,* &c. Et iterum post pauca. *Septimus igitur ille dies ab hoc septimo declaratur. Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis, quæ ad vitam hanc pertinent, eo die non erunt. Quiescent iuuenum studia: nulla erit de nuptijs consultatio, nulla suscipiendorum liberorum solicitudo, nulla parandi auri cura: sacculi, & arcæ auarus obliuiscetur. Hic septimus dies illius est diei septimi signum, & nota,* &c. Hactenus Nyssenus. Neque verò totus dies septimus huius mundanæ durationis ad iudicium spectat, sed vespera tantùm illius diei tristitiæ & iudicio adscribenda est: habebit certè ille dies manè felix, atque serenum, cui succedent nubila vespertina. Audiendus est Origenes loco suprà laudato, vbi matutinum huius diei tempus describit. Nam de septem diebus, quibus Maria soror Moysi propter lepram, quam ipsi Deus immiserat, extra castra fieri iussa est, sermonem habens, asserit tandem illam die septima primo manè ab omni lepra mundissimam castra repetiisse. Sed quid in hoc Mariæ reditu speculatur? Addit Origenes: *Veruntamen hæc lepra non perpetuò permanet, sed vbi septimana compleri cœperit mundi, reuocabitur ad castra. In fine enim mundi cùm plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël saluabitur, & tunc cessabit lepra de facie Mariæ: recipiet enim decus fidei, & splendorem Christi agnitionis accipiet, & restituetur vultus eius, cùm fiet vterque vnus grex, & vnus pastor. In quo verè dicendum est. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, qui ita concluſit omnia sub peccato, vt omnibus misereatur in Christo Iesu Domino nostro.* Obserua illa verba, *cùm compleri cœperit septimana huius mundi.* nam perinde est, ac si dicat: Cùm cœperit septimus dies, qui est durationis mundanæ vltimus, hoc est appetente illo die, seu primo manè illius diei; hoc enim manè ante extremi iudicij vesperam futurum affirmat, vt Iudæi, & cuncta infidelium multitudo ad Catholicam fidem sese recipiat, ita vt fiat tandem aliquando vnus grex, atque vnus pastor. Libet denique hîc adscribere appositissima verba Vbertini Casalij, viri grauissimi, *in tit. de septem statibus Ecclesiæ, cap. 1.* vbi sic fatur: *Illud tempus crescere debet à manè per gradus congruos vsque ad meridiem, quando totus orbis & totus Israël conuertatur ad Dominum. Deinde verò per gradus etiam congruos decrescet ad tantam vesperam, & noctem iniquitatis, vt vix inueniatur fides in terra: ita quòd propter abundantiam malitiæ Christus compellitur ad iudicium venire.* Hæc ille. Manet igitur ex dictis, totum illud interuallum temporis, quod inter primam mundi molitionem, & eiusdem finem interlabitur, septimana concludi. Pergo ad alia.

Christum Dominum in tertia huius mundialis septimanæ die carnem induisse, & nuptias cum Ecclesia copulasse.

§. III.

PAtres suprà allegati, qui mundi ætates, aut dies sic definiunt, vt velint prorsus mundi durationem sex ætatibus circumscribi, omnes ad vnum decernunt Christum in sexta mundi ætate carne indutum fuisse: addúntque ætatem istam, seu diem sextum ex eo tempore ad finem vsque sæculi transigi, ac decurrere. Hi verò in eam sententiam inducti sunt. Quia Paulus de Christi aduentu verba faciens *ad Galat. 4.* ait: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, &c. & ad Ephes. 1. *Secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in ipso*, &c. & iterum in Epist. 1. ad Corinth. cap. 10. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in*

quos fines sæculorum deuenerunt. Quibus verbis Paulus non obscurè significat Christum Dominum in vltima sæculi ætate non longè à mundi fine carnem sumpsisse, & nos quoque hodie, ex quo Christus in mundum descendit, in extremo ipsius mundi spatio versari. Cæterùm alia planè est mens Pauli in his locis: nam illa verba, *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, &c. iuxta communem magis interpretum expositionem id sibi volunt. Postquam impletum est illud spatium, quod Deus decreuerat, ac definierat, vt filium suum carne indutum in terras mitteret. Et eundem sensum reddunt illa, *in dispensatione plenitudinis temporum*, id est, expleto tempore, quod Deus dispensauerat, ac præscripserat. Sed quid subest illis verbis, *in quos fines sæculorum deuenerunt?* Fateor ex Patribus aliquos de imminente iam iam mundi fine, & de extrema illius ætate hæc explicuisse. In his est Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Theodoretus, Euthymius, & alij non pauci. Cæterùm, si vnum Anselmum demas, qui ad præscripta verba tradidit nos ad sextam mundi ætatem redactos esse, reliqui Patres, cùm asserunt mundanæ durationis extremum spatium ex Christi aduentu decurrere, non ita accipiendi, quasi hanc durationem in sex, vel septem partes dissecantes, ex tunc sextam, aut septimam defluere affirment: sed iuxta aliam sæculorum partitionem, ac distributionem exponendi sunt, quæ apud ipsos non minùs solemnis est: totum enim interuallum durationis mundanæ in tria spatia partiri consueuerunt. Primum legis naturalis, secundum legis scriptæ, tertium Euangelij. Ergo iuxta hanc partitionem interpretandi sunt dicti Patres, cùm asserunt nos ad fines sæculorum redactos. Et eadem est Pauli mens, cùm ait, *in quos fines sæculorum deuenerunt*, id est, qui felix, & aureum Euangelij tempus attigimus, quod ideo extremum est, quia ipsum permanere, & ad vsque sæculi fines perdurare oportet. Quam expositionem amplecti videntur Hieronymus, Ambrosius, & alij Patres in eum locum. Vel sensus est, *In quos fines sæculorum deuenerunt*, quia nimirum priora sæcula ad posteriora significanda ordinata fuerunt, nimirum tempora tam legis naturalis, quàm scriptæ, ad designandum Euangelij tempus ex Dei ordinatione impensa fuerunt, atque adeò priora illa sæcula in posteriora tanquam in fines suos influxerunt, ac redundarunt.

Et quidem, si sermo sit de ætatibus huius mundi, secundùm eam partitionem, quam nunc discutimus, ex eodem Paulo licet colligere, mundum tunc, cùm Christus in illum è cœlo descendit, iuniorem esse, & septimanæ, vel hebdomadæ, qua ipsum perseuerare, ac manere oportet, aliquem ex prioribus diem agere. Nam, vt suprà in superiori §. ostendimus, septem illos dies cum respectu ad totidem humanæ vitæ ætates distinguunt præscripti Patres. Atqui Paulus ætatem describens, quam mundus ante Christi aduentum agebat, sic fatur ad Galat. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* & in fine: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cùm essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes*, &c. Quid illustrius? Paulus enim seriò affirmat legem fuisse *pædagogum, & tutorem.* ergo mundus sub lege pueritiam, & adolescentiam extriuit suam. Nam puer statim atque ab infantia excedit, traditur pædagogo, adolescentiam quoque legit sub tutore, & actore, donec iuuenis factus ab his liberatur, & sui iuris esse incipit. Ita igitur cogita mundi infantiam cum lege naturali perseuerasse: subinde verò puerum factum legi tanquam pædagogo, & tutori traditum. Legis verò tempus non à Moyse, sed ab Abrahamo inchoandum, Paulus enim eo loci inter alia legalia numerat circunciſionem, cuius mandatum sibi, ac posteris accepit à Deo Abrahamus. Quapropter Paulus de mundi ætatibus ita videtur censuisse, vt ab Adamo vsque ad Abraham infantiam sub lege naturali; ab Abrahamo vsque ad Moysem pueritiam, sub circunciſionis mandato, tanquam sub pædagogo; à Moyse vsque ad Christum sub lege scripta adolescentiam traduxerit suam, eadem lege tanquam pædagogo simul, ac tutore vtens. Ad hæc idem Paulus *ad Roman.* 5. sic ait: *Cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus, Christus pro impijs mortuus est.* Aliqui verba illa, *secundùm tempus*, ad subsequentia habenda esse dicunt: alij cum antecedentibus copulant: his assentior (textus correctior vt vtrique sententiæ locum faceret, nec antè, nec post illa verba colon defixit.) *Tempus* ergo sumitur pro *ætate*, atque adeò sensus hic est: cùm, sicut ætas illa postulabat, omnes *infirmi essemus*, &c. Sed quænam hæc infirmitas ei ætati respondens? Post pauca infert Paulus, *vsque ad legem peccatum erat*

in mundo. & iterum, *regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem.* quæ verba intelligenda ſunt de lege, ac Moyſe incluſiuè, ſcilicet vſque ad Chriſtum; tandiu enim mors regnum ſuum exercuit in homines. Id autem tempus meritò appellauit Apoſtolus tempus infirmitatis, complectitur enim ætates maxime debiles, ſcilicet infantiam, pueritiam, & adoleſcentiam: nam à iuuentute incepit robur.

Quid inde? Sanè ex his conficitur de Chriſto Domino, qui lege perſeuerante, ac necdum abolita, tamen circa ipſius finem (quem nimirum idem Chriſtus ſua morte illi impoſuit,) in hunc mundum venit, omnino aſſerendum illum in tertia mundi ætate ſub finem legis, vel (quod in idem recidit) in tertio die mundialis hebdomadæ ad veſperam aduentaſſe. Ita expreſsè docent ad illa verba Ioan. 2. *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*, Patres non pauci. S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus *tractat. 1. in illud Euangel.* nam cùm multa de diei lumine præmiſiſſet, ſic demum abſoluit: *Dies itaque fuit in mandato. Primus ab Adamo vſque ad Moyſem, ſecundus ſub lege Moyſi, in tertio gratia Saluatoris, in quo die ſponſus ipſe cæleſtis, amator animarum credentium Dominus Ieſus ſponſam ſibi ex Gentibus conſumpſit Eccleſiam.* Accinit Beda in idem Euangelium: *Nec vacat* (inquit) *myſterio, quòd die tertia nuptiæ factæ referuntur, ſed tertio tempore ſæculi Dominum ad adoptandam ſibi Eccleſiam veniſſe deſignat. Primum enim ſæculi tempus ante legem Patriarcharum exemplo, ſecundum ſub lege & Prophetarum ſcriptis, tertium ſub gratia,* &c. Eadem fermè verba habet Gloſſa in idem Euangelium, Gregorius Emiſſenus, S. Thomas, Haymo, & alij. Quamuis enim iſti Patres in præſcriptis locis non videantur agnoſcere plures dies, quàm tres: tamen quatenus ita ſentiunt, Chriſtum Dominum in tertio ſæculi die ad nos deſcendiſſe, noſtræ coniecturæ fidem conciliant. Deinde etiam dum illis verbis Ioannis, *& die tertia nuptiæ factæ ſunt*, definitum à Deo tempus adumbratum docent, quo Chriſtus Dominus in mundum venit, vt Eccleſiam ſibi ſponſam adiungeret, mirum in modum noſtræ adſuent ſuſpicioni. Nam cùm ſuprà *cap.* 3. §. 4. pluribus argumentis confecerimus, per illa verba, *& die tertia*, tertiam Sabbati, ſeu feriam tertiam hebdomadæ notari, in qua apud Hebræos ſecundùm morem patrium nuptiæ celebrari ſolebant: dum Chriſtus Dominus ea die ad nuptias veniſſe dicitur, non obſcurè ſignificatur in hac mundanæ durationis hebdomada ad carnem aſſumendam, atque Eccleſiam ſibi adiungendam eundem captaſſe diem, ſcilicet tertiam ſæculi ætatem ſub veſperum, hoc eſt, Moſaicæ legis fine iam iam imminente. Huic autem ſententiæ noſtræ adſtipulantur non ſolùm præſcripti Patres, ſed etiam alij non pauci, qui per iſtum Chriſti ingreſſum ad nuptias in Cana factas, eiuſdem Chriſti cum Eccleſia inita coniugia notari voluerunt. Hi ſunt Chryſoſtomus *in Ioannem*, Hilarius, Auguſtinus, Cyrillus, S. Thomas, & alij. Iſtas verò mundi ætates magis ad mentem Pauli enumerauit Tertull. *in lib. de velandis virginibus, cap.* 1. vbi ſic ſcrit: *Nihil ſine ætate eſt, omnia tempus ſperant. Aſpice ipſam creaturam paulatim quidem promoueri, granum eſt primum, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde rami & frondes conualeſcunt, & totum arboris nomen expenditur, inde germinis tumor & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur. Isque rudis aliquando & infirmis paulatim ætatem ſuam diti gens eruditur in manſuetudinem, ſic & iuſtitia (nam idem Deus iuſtitiæ & creaturæ) primò fuit in rudimentis ſola natura Deum metuens. Deinde per legem & Prophetas promouet infantiam (ad pueritiam & adoleſcentiam.) Per Euangelium verò adoleſcentia effectiuè in iuuentutem, quæ nunc per Paraclitum componitur in maturitatem,* &c. Hæc Tertullianus, ætates mundi & Eccleſiæ percenſens, cuius verba ex his quæ ſequenti §. ſubſcribam, lucem clariorem accipient.

Quid tum poſtea? Ad hunc ſenſum anagogicè vocare licet illa verba Geneſis cap. 29. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ*, quibus Laban ſuadet Iacob, vt priùs legitimum tempus nuptiis Liæ impenderet, accepturus poſtea Rachel in vxorem. Menſuram verò huius legitimi temporis tradidimus ſuprà *cap.* 3. §. 4. vbi diximus id Labanum impoſuiſſe genero ſuo Iacob, vt cœptas tertia hebdomadæ die nuptias in finem vſque protrahi ſineret. Atqui D. Iſidorus appoſitè ad ea, quæ diximus, ſic comminiſcitur: *Lia interpretatur ouis laborans, Rachel verò viſus principium. Per Liam ſignificatur Eccleſia huius ſæculi, quæ in laboribus, & angoribus verſatur, & veluti ouis ad victimam continuò ducitur: per Rachelem cæleſtis adumbratur Eccleſia, quæ Deum clarè videt, quæ otia, & ferias ſempiternas agit. Denique Iacob Chriſtum notat.* Igitur hebdomadam nuptiarum cum Lia, id eſt, cum Eccleſia huius temporis implere, ac perficere

Chriſtum

Christum oportuit,antequam Rachel, id est,Ecclesiam cœlestem,& beatam sibi sociaret. Quid sit autem hebdomadam implere,tenes iam ex suprà dictis,nimirum inchoatam in tertia mundialis septimanæ die nuptias absoluere, & ad finem vsque sæculi perducere; vt post tempus hoc sæculare cœlestis Rachel nuptiæ sine fine peragantur.

Reliqui dies hebdomadæ istius sæcularis à tertia ad septimam post aduentum Christi vsque ad mundi finem, quomodo secandi sint.

§. IV.

Diuus Augustinus locis suprà obseruatis, sæpe, ac sæpiùs docet perperam eos facere, qui huius mundanæ septimanæ dies æquales esse decernunt; atque adeò certam, definitam, & non imparem temporis mensuram vnicuique tradunt. Ex eo verò commentitiam istam enumerationem confutat; quia si aliquod temporis spatium pro singulis huius magnæ hebdomadæ diebus statum ac decretum foret,scilicet mille, aut plurium, pauciorúmve annorum. Primò inde fieret,vt extremo dies iudicij,quem Christus nulli compertum esse voluit, nobis à multo tempore innotesceret, quod est absurdum. Secundò, quia dies præfatæ hebdomadæ per habitudinem ad ætates humanæ vitæ distingui, ac partiri solent: quapropter sicut humanæ vitæ ætates inæquales sunt, atque aliæ aliis longiores; ita etiam prædictos dies inæquales, atque impares esse oportet,alios nimirum breuiores,& alios longiores.

Rursus hæc dierum similitudo cum ætatibus humanæ vitæ modum, formámque qua ipsi dies partiendi, & secandi sint, declarat. Nam ætatum discrimina (vt docet Philo, Aristoteles, & alij suprà citati) non annorum spatia, sed roboris, & sapientiæ differentia determinat. Subiicio Philonis non quidem verba singula, sed sententiam in lib.de mundi opificio. *Infantia est prima ætas,in qua puer naturæ ipsi permittitur,nullis legibus, aut præceptis seuerioribus coercetur. Infantiam à pueritia cognitio dirimit: nam pueritia circa septimum annum cum aliquali vsu rationis, enatis iam dentibus,inchoat:ideò tunc pueri traduntur pædagogis. Pueritiæ succedit Adolescentia, in qua adaucta etiam cognitione, vires crescunt, ad generandum facultates incipit: sed quia necdum ratio satis excreuit, adolescentes sub tutorum potestate manent. Adolescentiam excipit Iuuentus, quæ cum cognitionis incremento suscipit etiam virium augmentum, túncque tutorum, & pædagogorum potestatem euadit iuuenis, & hæreditatem paternam adit. Insuper ea ætas idonea est ad statum perpetuum inchoandum, scilicet ad nuptias ineundas,ad sacerdotium, & alia eiusmodi. De hac Philo ex Solone sic carmine cecinit,*

— Hæc festinans ocyùs ætas
Coniugio monuit quærere progeniem.

Iuuentuti succedit Virilis ætas, seu vigor ætatis,in qua virtus,vires, robúrque maximè vigent: & quamuis cum viribus adaugeatur etiam sapientia, ideò à robore censetur hæc ætas, quia in illa vires, robúrque ita florent, ac vernant, vt per sequentes deinde ætates solui, atque marcescere incipiant: non ita sapientia,hæc enim in senectute auctior est. Igitur post virilem ætatem subit senecta,in qua viribus tantisper solutis,sapientia, & prudentia mirum in modum efflorescunt: siue, quia illam anteactæ vitæ experimenta iuuant: siue, quia sedata iam tunc magna ex parte vehementiorum animi affectionum pugna, mens ad speculationem liberior, atque promptior efficitur. Denique senectuti subrogatur senium, in quo initio quidem pacatis omnino cunctis prauis affectionibus, pulsationibus, ac motibus, quies succedit: si tamen ætas ista diutiùs producatur, frigent membra, languet virtus, & mens quoque hominem paulatim deserit, & decrepitus, dementatúsque tandem tempestiuo funere decedit.

Hæc de ætatum differentia, atque terminis, ex quibus mundi ætates, atque dies, quorum seriem, & ordinem vestigamus, accipari oportet. Habemus igitur ex his, quæ in superiori §.præfati sumus, tres mundi priores dies. Primus infantiæ adsimilis fuit à mundi conditione vsque ad Abrahamum. Per id tempus Deus mundum tanquam infantem naturæ permisit, nullis legibus ipsum formauit, sed sui iuris esse voluit, ita vt non alias, nisi ipsius naturæ leges agnosceret. Secundus dies non dissimilis fuit peritiæ ab Abraham vsque ad Moysem. Per id tempus circuncisionis legem accepit tanquam pædagogum seuerum, ac rigidum, & sub Patriarchis illis sanctissimis,

mis, Abraham, Isaac, Iacob, & aliis cognitione diuinorum tantisper auctus est. Tertius dies fuit Adolescentiæ similis à Moyse vsque ad Christi mortem. Per id tempus sub lege circuncisionis tanquam sub pædagogo manens traditus denuo est mundus legi Moysis tanquam tutori, iuxta illud Pauli: *Sed sub tutoribus, & actoribus est.* Et sanè lex à Moyse descripta appositè admodum cum tutore componitur. Quia sicut adolescenti, qui in tutela alicuius existit, nihil licet sponte agere, *sed tutor pro illo agit* (inquit Anselmus) *quæ necdum ipse valet, ac scit agere:* ita etiam populus antiquus sub lege veteri nihil sponte præstare sinebatur, sed cunctas illius actiones lex strictè admodum formabat, ac regebat. Hac igitur tertia die sub finem, vel ad vesperam Christus Dominus in mundum venit, & suas cum Ecclesia nuptias (vt tunc mos ferebat) inchoauit. Habemus ergo iam ex quinque nuptiarum diebus primum diem, quem suprà non semel diximus, non esse integrum diem, sed à vespera tantùm computari. Insuper etiam ex dictis liquet in magna durationis mundanæ hebdomada Christi nuptias in die, seu feria tertia auspicatas fuisse, atque adeò cum antiquo nubendi ritu aptissimè cohærere. Venio ad reliquos dies.

Succedat memoriæ id, quod suprà in hoc cap. §. 2. ex sententia Origenis præfati sumus; ibi enim septimam mundialis hebdomadæ diem sic partiendam esse decreuimus, vt matutinum tempus ad Iudæorum, atque aliarum gentium conuersionem spectet, tunc cum omnibus ad fidem vocatis, erit tandem vnum ouile, & vnus pastor: vespertinum verò eiusdem diei tempus iudicium, & mundi consummationem contineat. Quapropter inde etiam ex quinque diebus, qui nuptiarum celebrationi impendebantur, suppetit nobis vltimus, & quintus dies, quem suprà *cap.* 3. §. 6. fusè probauimus non esse integrum diem, sed matutinum tempus cohibere, & ante vesperam desinere. Cùm autem liquidum etiam sit ex dictis suprà *cap.* 6. §. 1. nuptiarum Christi & Ecclesiæ celebritatem, ita mundi manentis durationi exæquari debere, vt sub finem illius ipsam cessare oporteat ex eo tempore, quo sæculi consummatio, mundi extrema subuersio, & seueriſſimi Dei iudicium peragi cœperit: certè huius quinti, atque vltimi diei nuptialis computatio ad nuptias Christi & Ecclesiæ aptissimè accommodatur; si quidem primum manè ita nuptiis tributum dicimus, vt vesperam excludamus, vt intermissis nuptiarum gaudiis locus fiat seueriſſimo Dei iudicio.

Restant igitur tres dies medij nuptiales, inter quos illud tempus, quod inter Christi mortem, & seram illam totius mundi conuersionem labitur, partiri necesse est: quos item tribus humanæ vitæ ætatibus, scilicet iuuentuti, vigori, & senectæ respondere oportet. Quid igitur dicendum? Certè si Patrum monimenta euoluamus, constabit planè illos tria Ecclesiæ tempora distinxisse, obseruasse, & adnotasse: primum quidem sub Apostolis, & viris Apostolicis: secundum sub Martyribus in decem grauissimas persecutiones distributum: tertium denique sub Doctoribus, qui Ecclesiam suæ sapientiæ luce collustrarunt. hanc temporum, aut sæculorum diuisionem exactissimè tradit D. Gregorius *Moralium lib. 9. cap. 6.* vbi postquam de Apostolorum tempore pauca seruit, de Martyribus, atque Doctoribus ita subtexuit: *Quid itaque post Orionas Hyadum nomine nisi Doctores sanctæ Ecclesiæ designantur, qui subductis Martyribus eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet. Qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cùm ei iam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur.* Et non longo interstitio verborum. *Editis quoque Orionibus protulit Hyadas, quia conualescentibus contra aduersa Martyribus, ad infundendam auiditatem humanorum cordium doctrinam contulit Magistrorum.* Eandem temporum partitionem tradit Anastasius Synaita *Contemplat. Anagog. in Hexaëm. lib. 5. sub finem*, ad illa verba, *Et sint in signa, & tempora, dies, & annos*; sic enim attexit: *Ita & facta est Ecclesia aliud tempus Apostolorum, & Sanctorum, qui afferebant* (nimirum facultates suas ad pedes Apostolorum, & communibus sumptibus victitabant) *aliud tempus sanctorum Martyrum, & aliud tempus Doctorum.* Adde etiam Rupertum *in cap. 5. Amos.* S. Iulianum Archiepiscopum Toletanum *in Nahum Prophetam.* Guilbertum *in cap. 5. Cantic.* Abulensem *in cap. 20. Matth. quæst. 6. & 7.* & alios quamplurimos.

Igitur nuptiarum Christi & Ecclesiæ tres dies medij his tribus Ecclesiæ temporibus ad amussim respondere puto. Suadet hoc ipsa horum dierum cum ætatibus hominis collatio sæpe aliàs à me obseruata. Nam, vt nuper dicebam, isti tres dies sæculi, quorum distinctionem vestigamus, respondere debent tribus illis ætatibus, iuuentuti, vigori,

vigori,& senectæ : cum his autem aptissimè concinunt, vt singulos percensenti apertissimè constabit. Nam tempus Apostolorum, seu primitiuæ Ecclesiæ, quod nos cum reliquis sæculi diebus collatum,quartum esse dicimus,& nuptiarum Christi,& Ecclesiæ secundum ; ab ipsa Christi morte inchoatum peruenit ad primam persecutionem Neronis : hoc, inquam, tempus apprimè respondet iuuentuti. Nam, vt nuper dicebam,in iuuentute homo à pædagogi, tutorisque potestate liber factus paternam hæreditatem adire, & statum inire solet perpetuum, vel sacerdotium, vel nuptias, &c. Ita igitur de mundo cogita,ex morte Christi veluti inuentam ingressum,legis, & circumcisionis,quibus tanquam pædagogis,& tutoribus traditus olim fuerat,potestatem euasisse,atque sub fide,& Euangelio statum iniisse perpetuum : statum, inquam,non amplius cum alio commutandum : nouum enim Testamentum perpetuum est,atque æternum. Adde etiam per id tempus in Ecclesia sacerdotium perpetuum inchoatum : (nam antiquum sacerdotium mobile fuit,ac temporale,ideò status nomen haud meruit) atque nuptias eiusdem Ecclesiæ cum Christo copulatas, perpetuas quidem, ac nullo tempore dirimendas : in antiquo enim testamento sponsalia tantùm fuerunt, vt suprà docui. Adeò,vt mysterio non vacet,nuptias Christi cum Ecclesia eo tempore celebratas fuisse, quo eadem Ecclesia, secundùm labentes à prima conditione mundi ætates considerata, in ea certè mensura erat, in qua homines ad ineundas nuptias habiles sunt, atque idonei, scilicet in fine adolescentiæ, atque ineunte iuuentute. Alterum tempus ad Martyres pertinet,quod decem,vel,si mauis, vndecim Ecclesiæ persecutionum spatia complectitur à Nerone Imperatore, & deinceps : hoc autem vigori,seu virili ætati aptissimè respondet. Sicut enim in ætate ista vires,robur, & lacerti vigent(vnde Macrobius illam ad bella gerenda, & arma tractanda cum primis habilem esse, atque eapropter ab antiquis militarem ætatem appellari solitam docuit *lib.*2. *Saturnal.*) Ita etiam Ecclesia in hac ætate robur, ac vires suas exercuit cum tyrannis,atque aliis fortissimis Catholicæ fidei hostibus fortiter dimicans, & victorias ab eisdem glorioſissimas reportans. Atque adeò id tempus aptissimum est ad quintum mundialis septimanæ diem,& nuptiarum Christi,& Ecclesiæ tertium significandum. Denique tempus consequens ad Doctores spectat, quod ad vsque extremam illam totius mundi conuersionem, & vocationem ad vnam fidem, à qua diem septimum ordiri suprà diximus,peruenturum esse docet D Gregorius *Moralium lib.* 9. *cap.*7. cuius verba infrà dabimus. Comparatur autem hoc tempus senescuti, quia sicut in hac ætate sapientia ac prudentia præ cæteris efflorescunt : ita etiam Ecclesia, mundúsque vniuersus sub Doctoribus,sapientia,ac rerum diuinarum cognitione magnopere resplenduit. Atque adeò id tempus idoneum est ad sextum mundanæ hebdomadæ diem,& nuptiarum Christi & Ecclesiæ quartum denotandum.

Habemus ergo iam post accuratam vestigationem nuptiarum Christi & Ecclesiæ quinque dies his ad amussim respondentes, quos Hebræi in suarum nuptiarum celebratione ponebant : & cohærentes etiam cum illis, quos Salomon in hoc Canticorum libro describit, & per Epithalamia manè vesperique decantata, venustissimè euariat. Reliquum est,vt de singulis dicamus,vti constet,quàm aptè,& concinnè ea, quæ Salomon vnicuique illorum dierum aptat carmina, in dies istos mundanæ durationis ex Christi aduentu vsque ad sæculi consummationem quadrent. Sed antequam singularium dierum proprias notas,& conditiones aperiam, de quibusdam rebus,quæ omnibus hisce diebus communes sunt,aliquid præfari necesse est,eo ordine, quo suprà *cap.* 3. in constructione sensus corticalis de ritibus nuptiarum disserui.

CAPVT VIII.

Epithalamia matutina, & vespertina, ad nuptias Christi & Ecclesia translata, quid propheticè significent.

EX his, quæ suprà *cap.* 3. fusè tradidimus, constat planè, librum Canticorum octo Epithalamiis contextum esse, quatuor matutinis, & totidem vespertinis, quæ per quinque nuptiarum dies, vesperi, manéque per vices decantata fingit Salomon. Quapropter vestigare oportet,an hæc carminum

minum distributio in Christi & Ecclesiæ spiritualium nuptiarum celebritate, quæ ab eiusdem Christi Domini aduentu ad vsque sæculi finem agitur, aliquid propheticè adumbrent.

Aliqui sunt, qui cùm sentiant Canticum istud per modum odæ alicuius, seu carminis à puellis pedissequis decantati à Salomone fuisse confictum, per istarum puellarum canentium chorum, Ecclesiæ concordiam, & veram fidem adumbratam existimant. quorum sententia ad nostram quoque partitionem accommodari potest: si nimirum dicamus octo Epithalamia quinque extremis sæculi diebus aptata, in quibus aguntur Christi & Ecclesiæ nuptiæ, per matutinum, vespertinúmque tempus ad eum modum euariata perpetuam Ecclesiæ concordiam, pacem & fidei vnitatem nullis sæculorum, ac temporum vicissitudinibus disrumpendam præclarè admodum notare, ac describere.

Et sanè per chorum, in quo plures voces ad concentum adductæ consonant, pacem, & concordiam Ecclesiæ, fideique vnitatem optimè notari compertum est. D. Augustinus in Psalm. 50. *Chorus* (inquit) *laudat Deum, cùm laudat illum Ecclesiæ pacata societas.* & in Psalm. 149. *Chorus est consensio cantantium, si in choro cantemus, concorditer cantemus. In choro cantantium quisquis voce discrepauerit, offendet auditum, & perturbat chorum. Sicut vox inconuenienter cantantis disturbat consensum cantantium: sic disturbat hæresis dissocians concentum laudantium. chorus Christi iam totus mundus est. chorus Christi ab Oriente, in Occidentem consonat.* Et non semel etiam alibi eadem verba serit. D. Hieronymus accinit Augustino in eundem Psalmum: *Vbicumque* (ait) *chorus est, vbi diuersæ voces in vnum canticum congeruntur, vbi dissensio est, vbi inuidia, ibi chorus non est.* Sed accommodatissimè Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis Officiis, lib. 3. cap. 3. *Diuersorum* (inquit) *sonorum rationabilis, & moderatus concentus, concordi varietate compactam bene ordinatæ ciuitatis significat vnitatem. Hinc agnoscant cantores, quid significet symphonia eorum. Ea enim admonent plebem, vt in vnitate vnius Dei cultus concordi charitate perseuerent. Et si aliquis surdus adfuerit, id ipsum statu suo in choro ordinatissimo insinuent, vt qui auribus capere non possunt, vnitatem visu capiant.* Cùm igitur chorus canentium consensione illa vocum, atque sonorum plurium hominum in Ecclesia vnam vocem, sensum, fidem, animúmque aptissimè adumbret, haud ineptè dictum videtur hanc Ecclesiæ perpetuam concordiam per puellarum, tum manè, tum vesperi canentium chorum, quem Salomon inducit in hoc libro, propheticè designatam.

Sed tamen aliam longè aptiorem huius puellaris chori Epithalamia occinentis significationem offerre videtur D. Hilarius *homil.* 1. ad illa verba Ioannis, *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Nam in his nuptiis Christi & Ecclesiæ coniugia contemplans, nuptiales choreas, & cantica ad mysticam significationem vocans affirmat per isthæc cantica, seu Epithalamia, gaudia Ecclesiæ sub Euangelio in vniuersum adumbrata fuisse. Sic enim ait: *Quæ istæ sunt nuptiæ, nisi vota, & gaudia salutis humanæ, quæ per confessionem Trinitatis die tertio in huius numeri mysterio celebrantur. Nam & ideò alia Euangelij lectio in choro, & symphonijs, & nuptialibus vestibus conuersio populi gentilis excipitur.* & alia deinde subtexit in hanc sententiam. De his gaudiis, quibus fruitur, gestítque Ecclesia tempore Euangelij, diximus suprà *cap.* 6. §. 1. ad illa verba, quibus Hieremias, Ioannésque vaticinantur fore, vt extremis temporibus deficiant in Ecclesia præcipua nuptiarum oblectamenta. Et inter alia numerantur *vox sponsi, & vox sponsæ*, id est, Epithalamia, quibus sponsi, ac sponsæ laudes celebrantur in nuptiis. Quòd si hæc significatio non displicet, haud ineptè dicemus ad denotanda eiusmodi Ecclesiæ gaudia aptè admodum prædicta Epithalamia in hoc libro induci à Salomone, ita vt per quinque dies, manè, ac vesperi euarientur. Nam in Scriptura sacra passim manè prosperitatem, & secundam fortunam sonat: nox autem aduersam, & reflantem. Nil certius. Quapropter hæc nuptialium Canticorum matutina, atque nocturna iteratio, ac repetitio, opportuna est ad significandum Ecclesiam in aduersis æquè & in prosperis, in gaudiis futuram, ita vt eius oblectamenta nulli laborum, aut passionum tumultus impedire, aut exturbare possint. Apposita sunt ad hanc sententiam verba Magni Gregorij *lib.* 26. *Moralium*, *cap.* 12. ad illa verba Heliu Iob 25. *Vbi est Deus, qui fecit me? qui dedit carmina in nocte. Carmen* (inquit) *in nocte est lætitia in tribulatione; quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe iam tamen de æternitate gaudemus. Hæc carmina in nocte Paulus prædicabat, dicens: Spe gaudentes in*

tribulatione patientes. Et infrà : *Foris quidem nox erat in circundatione pressuræ, sed intus carmina resonabant de consolatione lætitiæ.* Huic verò expositioni morali ex coniectura quorundam recentiorum aliquid leporis accedit, qui putant Heliu ad literam loqui de nuptialibus carminibus, quæ nocte decantari solebant. Nam seuerus iste Iobi obtrectator sic orationem suam contexuit. *Vbi est Deus, qui fecit me? Qui dedit carmina in nocte: qui docet nos super iumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.* Quasi dicat. Pensanda est hominum super reliqua animantia excellentia & præstantia : nam cætera animantia vere ineunte, tunc cùm nuptias, & amores agitant suos, noctu ferè silent, & manè tantùm canore perstrepunt : apud homines autem in vsu est, vt in nuptialibus delitiis non manè tantùm, sed etiam noctu cantilenas instituant, amores suos vtroque tempore concrepantes. Quod ad significanda iustorum tam in prosperis, quàm in aduersis solatia, gaudiaque accommodatissimum est. Videndus etiam D. Augustinus ad illa verba Psalm.41. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.*

Cæterùm quamuis hæc non ineptè dicta sint, tamen per isthæc cantica nuptialia manè ac nocte repetita, & recantata, horarum canonicarum vsum in Ecclesia propheticè significatum à Salomone prorsus reor. hanc meam sententiam corroborant primò D. Augustini verba *serm.41. de tempore*, vbi de nuptiis agens, quibus Christus interfuit in Cana Galilææ, sic scribit : *Nec sæcularia instituta contempsit, qui ad hæc venerat corrigenda. Interfuit nuptijs, & comessationes non renuit, vt psalmos, & tympana ad Dei Patris gloriam prædicandam concitaret : vt Pater honoraretur in Filio, & à Patre Filius nosceretur.* Mens autem Augustini hæc est. Propterea nuptiis & nuptialibus cantilenis adesse voluit Christus, vt vel ex eo monstraret sibi non displicere cantum, & musica instrumenta : imò potiùs suaderet organorum, psalmodiæ, atque symphoniæ vsum in Ecclesia ad suam Patrísque gloriam personandam. Itaque Augustinus censuit cantiones, seu Epithalamia olim in nuptiis dicta acceptum ab Apostolis Psalmos canendi morem in Ecclesia notare. Accedit etiam D. Gregorius Nazianzenus *orat.40. in sanctum Baptisma*, vbi cùm præmisisset olim in Ecclesia vsu comparatum, vt baptizati Psalmorum atque hymnorum cantionibus exciperentur, addit eum concentum eò spectasse, vt celebraretur ingressus animæ tanquam recentis sponsæ in geniale sponsi cubiculum, hoc est, in amplexus, & amorem Christi Domini. Idem etiam in Iambico 19. de comparatione duarum vitarum, spiritualis, & mundanæ, inducit primò mundanam vitam nuptiarum oblectamenta sic obiicientem.

Dulces odores me iuuant, & cantica
In nuptijs, plausus &, pedum & motus, & chorus.
Concine in orbem, barbiti, & concors sonus.

Cui spiritualis vita sic occurrit :

Præstat quibusuis canticis Psalmodia,
Vt quæ supernis rebus animum copulet.
Omnique Christus vnguine est flagrantior
Effusus in nos, vt quo me scelus graue
Impleuit, omni ex parte fœtorem auferat.
Tunc plaude læta, carnifex quando meæ
Cædis scelestum facinus, aut dictum mihi
Suadet, choreæ sanctus, est motus vice.

Hæc Gregorius, qui pro canticis nuptialibus aliquid in Ecclesia nobilius, ac præstantius esse dicit, scilicet psalmodiam, pro vnguentis Christum, pro musicis instrumentis modulatè percussis Martyres, propter fidem cæsi iucundius, quàm omnia organa personabant : denique motus quoslibet sanctos secundùm virtutis atque honestatis leges pro choreis, & saltationibus. Interim verò monitum velim lectorem, in præscriptis Gregorij carminibus fidem Græci codicis me secutum fuisse, & maculas quasdam, quæ in vulgatis exemplaribus sententiam difficilem reddebant, detersisse.

Vlteriùs ad hanc sententiam confirmandam ascíscere licet verba Psalm.67. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Nam, vt suprà animaduerti *cap.3.§.4.* Psalmus iste nuptialis est, & per tympanistrias iuuenculas notantur puellæ Epithalamia occinentes. Sed quæ sunt isthæc puellæ in mysteriis? S. Augustinus, Hieronymus, Beda, & alij aiunt significari animas, aut Ecclesias, quæ carne macerata, & mortificata, Dei laudes concinunt. Basilius sic habet : *Iuuenculas vocat*

vocat virginitatis ſtudium exercentes, ac diuinam Deo melodiam offerentes. Sed luculentiùs Hugo Cardinalis in eum locum. *Exhortatio* (inquit) *bona eſt ad Clericos, vt attenti ſint in pſalmodia, quia præcurrunt Principes, id eſt, Angeli, qui expectant, vt portent orationes eorum, & repræſentent coram Deo.* Huic verò expoſitioni aptè accommodantur ſubiecta verba: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſraël.* Nyſſenus: *In Eccleſiis hymnum dicite*, &c. quæ verba Auguſtinus, Baſilius, Theodoretus, Euthymius, & alij de Eccleſia intelligenda eſſe docent: ita vt ſuadeat iam tunc fidelibus Dauid, ac prædicat futurum, vt ex *fontibus Iſraël*, hoc eſt, ex Prophetis, ac Vatibus veteris Teſtamenti Dei laudes depromerent, & in templis per ſingulos dies occinerent.

Ad eundem ſenſum vocari poſſunt verba *Pſalm.* 44. quæ de puellis Epithalamia canentibus eſſe accipienda diximus ſuprà loco citato. *Adducentur Regi virgines poſt eam: adducentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.* Nam voces primitiuæ, quæ ſubiiciuntur illis verbis, *in lætitia, & exultatione*, canentium, pſallentiumque lætitiam adſignificant, quorum vim carmine ſic expreſſit Montanus:

Hanc chorus lætæ ſocians ſequetur
Vocibus pompæ, veniéntque in aulam
Regis, & gratos thalamos potentis
Plaudere promptæ.

Quapropter dum eiuſmodi puellæ canentes, & choros agentes *in templum* adducendæ feruntur, haud obſcurè canendi, atque horas dicendi in Eccleſiis mos propheticè denunciari videtur.

Denique non vacat etiam myſterio nomen *Chorus*, quod veteri Eccleſiæ vſu inditum eſt illis cœtibus, qui ad occinendas Dei laudes in templis per ſingulas horas congregantur. Nam, vt tradunt peritiores linguæ Græcæ, conſtat id nominis propriè, & germanè nuptialia carmina cantantium virginum cœtus notare: inde autem ad alia tranſlatum. Ita docet Heſiodi interpres, & confirmat ipſius nominis etymologia: nam χόρος non aliunde melius deduci poſſe videtur, quàm ex κόρα, quæ puellam virginem, & innubam ſonat: nam duarum literarum κ & χ non inſolens permutatio apud Græcos, adeò vt apud quoſdam authores Græcos nonnunquam occurrat χόρα pro κόρα, vt obſeruauit conſultò Pollux. Ergo cùm Eccleſia cœtus canentium, ac ſacras horas perſoluentium in templis ex veteri vſu choros vocauerit, (quod nomen propriè, ac genuinè virginum nuptialia pangentium conuentus ſonat,) haud temerè dicemus choros illos noſtrorum chororum ſimilitudinem retuliſſe: atque adeò Salomonem in ſuo Cantico per chorum puellarum, quem ad Epithalamia manè noctúque decantanda inducit, canonicas horas occinentium in templis cœtus vatidico ſpiritu annunciaſſe.

Accedit cohærentia nominum, ac temporum: quia, vt in loco ſuprà citato fusè docuimus, Epithalamia nocturno, ac matutino tempore canebantur. nam quod noctu dicebatur, Epithalamium appellabatur νυκτερινόν, id eſt, *nocturnum*, καθαφοιμητικόν, id eſt, *ſomni inductiuum*; quod verò ad auroram cantabatur, vocabatur ὄρθριον, id eſt, *matutinum*, ſiue διεγερτικόν, id eſt, *excitatorium*. Non aliud certè nomen horis maioribus inditum eſt: ſic enim appellantur matutinæ, & nocturnæ, ad quas reductiuè reuocantur aliæ horæ minores, vt obſeruauit Cardinalis Bellarminus *tom. 2. controuerſ. 4. lib. 1. cap. 14.* Nam Veſperæ, & Completorium cum nocturnis horis cenſentur: Prima, Tertia, Sexta, & Nona ad Laudes referuntur; hæc enim matutinarum horarum propriè nomen ferunt. Atque adeò Epithalamiorum, & horarum nomina, & tempora mirificè inter ſe concinunt. Addo etiam inter fines non minorem concordiam ſpectari. Nam Epithalamiorum alia ad excitandam ſponſam, alia ad conciliandum illi ſoporem pangebantur: ad eundem verò finem horas cantat Eccleſia, non ſolùm, quia Completorium paulò ante ſomnum præmittitur, & ad poſcendum quietum, ſedatum, & nullis aduerſarij ludibriis perturbatum ſoporem: Laudes verò poſt ſomnum ſuccinuntur, & ad excitandos à ſomno fideles compoſitæ videntur: ſed ſublimiori etiam alio conſilio. Quia nimirum ſi adhibeamus antiquos Patres, qui de vſu Canticorum in Eccleſia ſermonem inſtituerunt, Pſalmodia eccleſiaſtica duo in primis præſtat: peccatorum corda excitat, & ad ſenſum internæ compunctionis adducit: Iuſtorum verò animos mirificè delinit, & ad quietem internam, omniúmque animi affectionum pacatiſſimam tranquillitatem, quæ per ſuauem ſomnum notatur, mirum in modum conducit.

Ergo quid cantus Ecclesiasticus in peccatoribus præstet, docuit Bernardus in lib. de modo bene viuendi cap. 52. *Cantus* (ait) *in Ecclesia mentes hominum excitat, fastidiosos oblectat, pigros solicitat, peccatores ad lamenta inuitat: nam quamuis dura sint corda sæcularium hominum, statim vt dulcedinem Psalmorum audierint, ad amorem pietatis conuertuntur, & multi suauitate Psalmorum compuncti peccata sua lugent.* Accinit D. Augustin. lib. 9. Confes. cap. 6. *Quantum* (inquit) *fleui in hymnis, & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat in eis.* & lib 10. cap. 18. *Cùm reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, magnam instituti huius vtilitatem agnosco.* Quid denique piis, ac probis hominibus conferat Psalmodia, docet D. Isidorus lib. 1. de diuinis officiis cap. 5. *Omnes* (ait) *affectus nostri pro sonorum diuersitate, vel nouitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur ad laudes Dei.* Et Author Quæstionum apud Iustinum Martyrem quæst. 107. *Excitat* (inquit) *cantus cum voluptate quadam animum ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium. Affectiones, & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non licet, suggestione oborientes amolitur. Pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit. Omnium, quæ in vita triste & luctuosè accidunt pijs, affert medicinam. Mentes ad fructificationem diuinorum bonorum rigat. Gladium spiritus hoc Paulus appellat in armamentario, vbi contra inuisibiles aduersarios milites veræ pietatis suis instruit armis. Verbum namque Dei, quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, dæmones fugat, atque depellit. Et in rebus omnibus, quæ pijs eueniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.* Hæc Patres de vtilitate Psalmodiæ, ex quibus constat præcipuum illius emolumentum esse, alios quidem à somno excitare, aliis verò somnum immittere.

Denique themata, seu materies nuptialium canticorum, & Ecclesiasticæ Psalmodiæ valde concordant; quia, vt tradit Augustin. in Psalm. 44. *Epithalamia Cantica sunt, in quibus quidquid canitur, ad honorem cantatur sponsi, & sponsæ.* Hæc est, & non alia horarum, atque psalmodiæ perpetua, & solemnis thesis, ad honorem sponsi, & sponsæ occinere, nimirum ad honorem Christi, & Ecclesiæ. Nam aut Dei panguntur laudes, aut alicuius è Sanctis celebrantur encomia: Sancti autem sunt Ecclesiæ membra; atque adeò ex his Ecclesia commendatur.

Manet ergo Ecclesiasticas Horas, & Psalmodiam in his Christi, & Ecclesiæ nuptiis, quæ ex tempore Incarnationis ad vsque finem mundi assiduò peraguntur pro Epithalamiis, & nuptialibus canticis, esse, quæ singulis diebus ad honorem sponsi, sponsæque vespere maneque panguntur: atque adeò ea alacri animo, & festiuo gaudio persolui debent. Libet autem hîc ad extremum aliquid subiicere ad hanc rem faciens: nimirum Ecclesiam repudiatis antiquis vocabulis, quibus hebdomadæ dies olim à Deorum nominibus censebantur, in Ecclesiasticis Officiis, & eorum partitione quasi de iuduſtria vsurpasse feriarum nomen: ita enim appellamus *primam feriam, secundam feriam*, &c. Dubium autem est, vnde fluxerit feriarum nomen. Festus à feriendis victimis ferias dictas esse voluit: alij à ferendis ad sacrificium pecoribus. Sunt etiam, qui à ferendis, seu comportandis mercibus causa nundinarum. D. Isidorus *Originum lib. 5. cap. 3. ferias* dictas putat, quasi *farias*, quia in his labore intermisso otiari, & confabulari mutuò licebat conciuibus. alij alia. Sed tamen Franciscus Robertellus *in Catullum*, & ex illo alij recentiores nomenclatores affirmant, nomen hoc, *feria*, à nuptiis deriuatum, & à ferendis, seu ducendis, ex domo paterna in mariti ædes, vxoribus, fuisse deductum: atque adeò secundùm antiquiorem & magis germanam significationem festiuos ac celebres nuptiarum dies notare; deinde verò ad alios etiam festos & solemnes dies significandos per translationem deflexum. Ergo si his habeatur fides, non vacat certè mysterio pro officiis horisque Ecclesiasticis partiendis ac distinguendis id nominis acceptum ab Ecclesia, quod ex germana magis ac propria significatione solemnes nuptiarum dies olim designabat. Id enim non obscurè innuit horas canonicas & quotidianam Psalmodiam, quasi quædam cantica nuptialia pro celebrandis Christi & Ecclesiæ coniugiis in dies recitari atque cantari solita. Sed quia, vt nuper *cap. 3.* adnotaui, prædicta Epithalamia per suprà scriptos quinque dies vespere atque manè, sic alternantur, vt pro quinta die proprium sit Epithalamium matutinum primo manè cantatum; ve-

spera

ſpera autem eiuſdem diei nuptiali hymno careat, dicendum eſt id quoque myſtica ſignificatione non vacare; nam cùm veſpertinum huius extremæ diei tempus mundi iam iam intereuntis vltimam periodum notet horarum, atque Pſalmodiæ vſum in Eccleſia ea tempeſtate ab Antichriſto abolendum eſſe præclarè ſignificat. Ita tradit expreſsè ſanctus Hippolytus *in oratione de mundi conſummatione.* vbi inter alia, de Antichriſti perſecutione ſic ſcribit: *Lugebant etiam tunc Eccleſiæ luctum magnum, quid nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus, ſed & Eccleſiarum ædes ſacræ inſtar tuguri erunt, liturgia extinguetur, & pſalmorum decantatio ceſſabit*, &c. Fortaſsè autem hoc vatidicè denunciatum fuit à Ioanne Apocalyp. 18. illis verbis: *Et vox ſponſi, & vox ſponſæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in beneficijs tuis errauerunt omnes gentes*, &c. quæ verba de extremo obeuntis ſæculi tempore accipi debere, diximus ſuprà *cap.* 6. §. 1. Senſus autem eſt, tunc cùm mundi extrema conſummatio iam iam proximè inſtiterit, ceſſabunt prorſus Epithalamia nuptialia Chriſti ſponſi & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ; nimirum pſalmodia & cantus Eccleſiaſticus, qui vigentibus Chriſti & Eccleſiæ nuptiis matutinorum, ac veſpertinorum Epithalamiorum ad inſtar obtinet, prorſus intercidet, atque deficiet, &c. Pergo ad alia.

CAPVT IX.

Perſonæ quæ inducuntur in hoc Cantico, ad nuptias Chriſti & Eccleſiæ tranſlatæ in ſenſu prophetico, quid ſignificent.

SVPRA *cap.* 3. §. 3. diximus, in hoc libro non ſolùm induci à Salomone ſponſum & ſponſam, ſed etiam ſponſi amicos, & ſponſæ pediſſequas, & quæ eſſent ſingulorum officia & partes in nuptiis, ſeriò diſcuſſimus. Vlteriùs nunc adiicio perſonas alias, ex quibus duæ ſunt mutæ & elingues, ſcilicet mater ſponſi & mater ſponſæ: iſtæ enim quamuis nullibi in hoc Cantico loquantur, tamen nuptiis intereſſe à Salomone finguntur. De matre ſponſi eſt illud: *Videte Regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater ſua.* Ad ſponſi matrem pertinent illa verba: *Introducam illum in domum matris meæ*, &c. & illa, *ibi corrupta eſt mater tua*, &c. Aliæ verò non ſemel verba faciunt: hæ ſunt, *filiæ Hieruſalem.* eo enim nomine fœminæ Hieroſolymitanæ cenſentur. Huius ergo Cantici germana expoſitio & apta ſingularum partium accommodatio, ad ſenſum propheticum poſtulat, vt de harum perſonarum certa ſignificatione aliquid præmittamus, ne nobis fortaſſe id contingat, quod pleriſque interpretibus accidit, qui præfatas perſonas, velut in ſcena, modò has, modò illas res (ſi licet dicere) minimè repræſentare & exhibere cogunt.

Et ſanè de ſponſo nulla eſt diſceptatio apud Catholicos Doctores, omnes enim ad vnum per ſponſum Chriſtum Dominum notari pro comperto habent; de ſponſa verò lis quædam recens inter nouos interpretes excitata nuper fuit; nam ex noſtris doctiſſimus ac ſubtiliſſimus Pater Luiſius de Alcaçar *in cap.* 18. *Apocalyp.* ad illa verba, *Quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* ita decernit per ſponſam, ſiue in eo loco Apocalyp. ſiue etiam in hoc Cantico, non quidem vniuerſalem Eccleſiam, ſed Romanam, quæ reliquarum Eccleſiarum Mater, ac princeps eſt, deſignari ac deſcribi. Hanc verò ſententiam multis haud infirmis rationibus roborat noſter Luiſius. Prima eſt, quia Patres vulgò aſſeuerant nuptias Aſſueri, atque Eſther Chriſti & Eccleſiæ coniugium ad vnguem repræſentaſſe. Imò potiùs in illis verbis Apocalyp. 19. *Quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* ad hæc Eſther, Artaxerxíſque connubia alluſum videtur: ibi enim traditur modus, quo tam ipſa Eſther, quàm aliæ puellæ ad nuptias Regis ſeſe imperabant & expoliebant vnguentis atque pigmentis. Atqui conſtat ex ſacro textu, non ſolam Eſther fuiſſe vxorem legitimam Aſſueri; ſed inter alias & alias puellas, quæ vel ante ipſam, vel poſt ipſam, ad Imperatoris illius nuptias aſcitæ erant, ſolam illam veluti Reginam ſupremam & excelſam corona, ac diademate inſignitam fuiſſe luculentiùs dicam: ipſa tantùm vxor & Regina erat, reliquæ concubinæ, eidem ſubditæ. Quid inde? Certè vt Chriſti & Eccleſiæ matrimonium cum his Eſther & Artaxerxis nuptiis aptè cohæreat, & congruè componatur, non vnam Chriſti ſponſam cogitare oportet, ſed plures, & inter illas

alteram excelsiorem ac nobiliorem, quasi Reginam inter concubinas; id est, multas Ecclesias contemplari oportet, & ex iis alteram Reginam ac dominam, cui reliquæ obnoxiæ sint ab illius nutu pendentes: hæc autem alia esse non potest, nisi Romana Ecclesia, caput & princeps cæterarum. Secundò confirmatur hæc sententia ex *Psalm.* 44. in quo eædem Christi & Ecclesiæ nuptiæ concelebrantur. Ibi autem postquam Vates ita præfatus est: *Astitit Regina à dextris tuis*, &c. quæ verba significant vnam aliquam vxorem Regi adiunctam, & ad Regni consortium vocatam. Ita demum subiicitur: *Adducentur Regi virgines post eam*, &c. Sed enim quid aliud sunt isthæc virgines Regi adductæ, nisi Ecclesiarum reliqua multitudo? Quid Regina & princeps vxor, nisi vna Ecclesia reliquis imperans, scilicet Ecclesia Romana, quæ in cæteras imperium exercet?

Sed quod caput est præfatam sententiam ex huius nostri Cantici verbis solidè admodum corroboratur. Nam *cap.* 7. sic legimus: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ electa genetrici suæ.* Vbi Salomon inter plures vxores vnam aliquam numerat præ cæteris adamatam, & cæteris antepositam; sed enim per tot Reginarum & concubinarum multitudinem, quid aliud adumbratur, nisi Ecclesiarum aliarum ingens numerus? Quid item per vnam illam ante alias electam & dilectam, nisi Ecclesia Romana, quam Christus cæteris Ecclesiis tanquam Reginam, ac dominam prætulit, ac præfecit? Accedit etiam aliqualis Patrum consensus. Nam D. Augustinus *in lib. de bono coniugali cap.* 13. per nuptias Patrum veteris Testamenti, qui plures vxores sibi adiungebant, vnius Christi cum pluribus Ecclesiis coniunctionem notari affirmauit. Idem tradit Beda, nescio an alij.

Cæterùm licet hæc concinnè dicta videantur, tamen solida non sunt. Quapropter memoria repetere oportet id, quod suprà *cap.* 5. §. 2. diximus de significatione matrimonij, vbi longa tatis oratione, ex Patrum, atque Pontificum locupletissimis testimoniis id euicimus, illud tantùm matrimonium, quod est vnius cum vna, Christi & Ecclesiæ nuptias ad vnguem notare: atque adeò veterum Patrum matrimonia, quotquot plures vxores iustis, atque legitimis nuptiis sibi copularunt, similitudinis perfectæ rationem, ac formam prorsus amisisse. Quod vsque adeò verum esse puto, vt vix credam oppositum salua fide sustineri posse. Nam, vt omittam Paulum ad Ephes. 5. qui ita decreuit: *& erunt duo in carne vna*, & subinde attexit: *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* quæ verba satis apertè declarant, præfatam significationem non inueniri, nisi tantùm in coniugio duorum. Præcipua ratio huius assertionis sumitur ex digamia; quia non aliam ob causam Ecclesia digamos arcet à Sacerdotio, & sacris Ordinibus, nisi quia secundæ nuptiæ perfectam significationem coniunctionis Christi & Ecclesiæ dissoluunt. Ita enim Pontifex Innocentius *in cap. debitum, de digamis*, &c. *Cùm ergo propter sacramenti defectum inhibitum sit, ne digamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros Ordines promoueri, quia nec illa est vnica vnici, neque iste est vnus vnius*, &c. *Propter defectum* (inquam) *sacramenti*, id est, quia deficit à ratione signi, & mysterij significantis coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia. Vide plura *loco citato.* Non inficior in his etiam nuptiis antiquorum Patrum, qui plures vxores sibi adiungebant, similitudinem quandam, vel vmbram imperfectam coniunctionis Christi & Ecclesiæ inueniri. Nam si vnius Ecclesiæ vnam fidem, & vnum cor excipias, quæ in solo vnius vxoris matrimonio repræsentari potest, reliqua omnia per antiquas plurium vxorum nuptias adumbrari etiam certum est. Cæterùm id contendo, perfectam illam similitudinem, quam Patres vbique celebrant, & quam Paulus deprædicat, & in matrimonio illo Adami atque Euæ à sæculo præfiguratam dicit, & quam demum Ecclesia per digamiam solui, ac dirimi semper putauit, non alibi nisi in solo vnici atque vnicæ matrimonio reperiri posse.

Cùm igitur hæc vera sint, aut dicendum prorsus in hoc libro per allegoriam, & similitudinem vnius sponsi cum vna sponsa, vnius Christi cum vna Ecclesia coniunctionem perfectè, & ad vnguem exprimi: vel si dicamus allegoriâ desumi à viro, qui plures vxores sibi adiunxit, fatendum prorsus, præfatam Christi, & Ecclesiæ coniunctionem imperfecta quadam ratione, & rudiori penicillo delineatam. At quis adduci possit, vt hoc credat? Ob hanc causam in eo §. suprà citato seriò animaduerti, in hoc Cantico vnam tantùm vnius sponsi sponsam induci; & illa verba: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ*, &c. sine iniuria nostræ sententiæ bonum ad sensum vocari posse dixi.

Quapropter

Quapropter vt propoſitæ difficultati occurram, ſic pronuncio. Interpretationem noſtri Ludouici ab Alcazar de Romana Eccleſia recipi quidem poſſe tanquam accommodatitiam, & myſtagogicam: tamen ſecundùm veram, literalem, & propheticam expoſitionem, tam huius Cantici, quàm libri Apocalypſeos, per ſponſam Catholicam, & vniuerſalem Eccleſiam, vnicam omnes totius orbis Eccleſias complectentem ſignificari, eiuſque nuptias cum Chriſto per matrimonium vnici viri, atque vnicæ vxoris perfectiſſimo modo deſcribi prorſus autumo: ne ſi vnum virum multas vxores ſibi adiungentem admittam, affirmare cogar in hoc Cantico nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ rudiorem & imperfectiorem imaginem reperiri, & ab illa, quam Paulus agnouit, & *ſacramentum magnum* vocauit, plurimum deficientem.

Ad rationes verò, quæ ſuperiori expoſitioni fidem aliquam conciliare videbantur, facilè reſpondeo ad hunc modum. Dico ergo in eo loco *Apocal.* 19. per ſponſam, vniuerſalem Eccleſiam denotari. Quid autem cauſæ ſit, ob quam hæc tam ſerò præparata, & expedita ad nuptias dicitur, expoſuimus nuper *cap.* 4. &, ſi Deo placet, in noſtris etiam Commentariis in Apocalypſim, quæ iam iam adornamus, vberiùs explicabimus. Deinde aio, in nuptiis Eſther, atque Artaxerxis Imperatoris aliqualem ſimilitudinem nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ deſcriptam fuiſſe, ſed rudem, & imperfectam, atque cum ea, quæ in hoc Cantico exprimitur, minimè conferendam. Fateor denique in Pſalm. 44. Chriſti & Eccleſiæ nuptias exactiſſimè, ac perfectiſſimè delineari: illud tamen adſtruo, in eo Pſalmo non deſcribi nuptias vnius viri cum multis vxoribus, ſed vnici tantùm cum vnica. Virgines enim, quæ inibi poſt Reginam adduci dicuntur, non ſunt vxores ſponſi, ſed ancillæ, ac pediſſequæ ipſius ſponſæ, vt ſæpe aliàs animaduertimus in hac Præfatione, de quarum ſignificatione paulò pòſt dicemus. Manet ergo firma, & inconcuſſa communis ſententia, quæ tradit in hoc Canticorum libro, ſponſam eſſe vniuerſalem, catholicam, & vnam ex multis collectam, & compactam, atque vniuiram Eccleſiam.

Sed quid ſibi volunt amici ſponſi? De ſodalibus, atque amicis ſponſi triplex ſententia occurrit apud Patres. Origenes, Theodoretus *in cap.* 1. *Cant.* Auguſtinus *de Trinit. lib.* 1. *cap.* 8. Bernardus ad illa verba, *Murenulas aureas faciemus tibi*, & alij non pauci, Angelos ſignificari putant. Nam ad amicos ſponſi ſpectat, (vt ſuprà *cap.* 3. §. 3. animaduertimus) vota facere, & donis oblatis ad nuptiarum conſenſum ſponſam alliçere: id autem muneris proprium Angelorum fuit, *qui nimirum* (verba ſunt Origenis) *legem quaſi antenuptialis muneris loco ſponſæ attulerunt, & veteris Teſtamenti adminiſtratores, & interceſſores fuere.* Aliaque ſubiungit in hanc ſententiam *homil.* 1. *in Cantica.*

Plures ſunt, qui per hos ſodales ſponſi Prophetas accipiendos eſſe docent, ad quos longè melius, quàm ad Angelos ſpectauit ſponſam ante nuptias alloqui, & ad conſenſum nuptiarum illam flectere. Huius etiam ſententiæ fuerunt ex præcitatis Patribus Origenes, & Theodoretus, qui indifferenter vel Angelos, vel Prophetas intelligi poſſe annuerunt. Quibus hærent Iuſtus, Aponius, Anſelmus, Bernardus, & alij paſſim in præſcriptum locum. Cæterùm quamuis hæc licentia, & copia, quam duæ ſententiæ præmiſſæ indulgent, intelligendi per ſodales, & amicos ſponſi ſiue Angelos, ſiue Prophetas ad accommodatitios ſenſus obſeruire poſſit: ſi tamen literalem & propheticam huius libri intelligentiam conſectemur, non eſt accommodata. Nam primò in Angelos illud nomen non quadrat: amici enim ſponſi debent eſſe eiuſdem naturæ cum ſponſo. Rurſus Prophetis etiam aptari non poteſt: nam ſponſi amicos præclarâ quadam finitione deſcripſit Ioannes Baptiſta apud Euangeliſtam cap. 4. *Amicus ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Quibus verbis ab eo nomine amicorum ſponſi excludit antiquos Patres; ait enim horum ſodalium maximè proprium eſſe adeſſe ſponſo, coram illo ſtare, & cum ipſo præſente verſari: propterea id nominis Ioannes ſibi vſurpat tanquam proprium, & cum aliis antiquis Prophetis minimè commune, quod poſtea ſuis etiam Apoſtolis Chriſtus Dominus indidit. Matth. 9. *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiu cum illis eſt ſponſus?* &c. Vbi per filios ſponſi iuxta peruulgatum apud Hebræos loquendi modum intelligit ipſius amicos, & ſodales, vt alibi animaduerti.

Quapropter vera ſententia eſt, per amicos ſponſi in hoc Canticorum Cantico ſignificari Ioannem Baptiſtam, & Apoſtolos, qui cum Chriſto Domino in terris agente verſati ſunt: & ſubinde omnes Apoſtolicos viros, hi ſunt Epiſcopi, atque alij Apo-

stolorum successores. Ita docent tres Patres apud Theodoretum, Nyssenus, Gregorius Magnus, Anselmus, & alij plures, quorum censum dabimus infrà *cap. 1. vers. 11.* ad illa verba: *Murenulas aureas faciemus tibi*, &c. & *cap. 5. vers. 1.* ad illa: *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Non solùm autem suadetur hæc sententia ex duplici illo testimonio Christi Domini, ac Ioannis suprà adscripto: sed etiam ex officio amicorum sponsi. Nam, vt nuper dicebam, præcipuum eorum munus erat sponso adesse, & pro illo apud sponsam vota facere, hoc est, sponsæ voluntatem precibus, adhortationibus, & muneribus ad nuptiarum consensum adducere: id autem proprium est Apostolorum, atque Doctorum, vt citatis locis conficiemus.

Sicut sponsus amicos ad nuptias afferebat: ita etiam sponsa virgines, ac pedisequas puellas, quæ non semel inducuntur in hoc Cantico. D. Bernardus *sermone 19. in Cantic.* in his puellis Angelos contemplatur; sed hoc mysticum est. Origenes *homil. 2. in Cantic.* per eiusmodi adolescentulas pedisequas, quæ extra cubiculum manent, & necdum ad nuptias, & thalamum ascitæ sunt, Catechumenos accipere videtur, qui necdum per Baptisma in corpus Ecclesiæ cooptati sponsæ membra esse cœperunt. Sed huic sententiæ aduersatur reliquorum Patrum conspiratio, qui per istas puellas, & virgines pedisequas, aut singulares Ecclesias, quæ vniuersalis, ac Catholicæ Ecclesiæ instituta, & mores sectantur: vel singulares iustorum animas, quæ similem ad modum Ecclesiæ vniuersali parent, eiusque dogmatibus inhærent, capiendas esse affirmant. His assentior. Et licèt inter duo posteriora placita paruum discrimen intercedat: tamen eorum sententiam libentiùs amplector, qui per dictas puellas singulares totius orbis Ecclesias accipi malunt. Hi sunt Ambrosius, & Iustus Orgelitanus Episcopus *in cap. 1. Cant.* ad illa verba: *Adolescentulæ dilexerunt te*, & alij, quos eo loco numerabimus. Nam iuxta hanc acceptionem fit locus, vt per filias Hierusalem, quæ subinde inducuntur à cap. 3. singulares fidelium animas intelligere possimus: ex quo fiet, vt personæ meliùs distinguantur. Sed tamen id non valde curo.

Sed contra hanc nostram sententam aliquis sic obiicere potest: quia nimirum Apostoli, Doctores, & Episcopi, quos nomine amicorum sponsi significari nuper diximus, & singulares Ecclesiæ, seu animæ fidelium ipsius, quas per adolescentulas pedisequas notari etiam asseruimus, vniuersalis Ecclesiæ membra sunt, atque adeò in eius corpore inclusæ, & contentæ: ergo non poterunt alias personas sustinere in hoc Cantico. Respondeo vtrumque satis licere. nam diuersa ista genera personarum duplicem considerationem subire possunt: aut enim eas cogitare licet sub ea ratione, qua veluti membra quædam ad Ecclesiæ compositionem accedunt, per fidei atque amoris vnitatem, aut tanquam singulæ suas personas proprias, & discretas agunt. In priori quidem consideratione, quatenus Ecclesiæ corpus complent, omnes nomine sponsæ veniunt, & in eiusdem sponsi membris repræsentantur. In posteriori verò quatenus singulares, & discretas personas agunt, per puellas pedisequas, & per Hierosolymitanas fœminas adumbrari possunt. Hęc autem quasi compositio vnius sponsę, scilicet Ecclesiæ, ex pluribus personis quasi ex membris, & diuisio eiusdem in plures personas, scilicet in plures Ecclesias, aut in plures animas, sequitur specialitatem, aut communionem actionum. Nam cùm in Ecclesia quædam sint communes omnium fidelium actiones, & affectiones, ideò dicitur vna ea, quæ harum communium actionum effectrix est: & rursus, quia singularibus Ecclesiis, & priuatis etiam personis, quædam sunt etiam singulares, priuatæ, & non communes actiones, atque affectiones: ideò plures Ecclesiæ, ac plures animæ numerantur. Itaque sicut Dialectici, aut Metaphysici ex concordia actionum, atque passionum, quam inter indiuidua eiusdem speciei contemplantur, vnius naturæ identitatem depromunt, atque inde species & genera componunt; & rursus ex discordia, & diuersitate quarundam actionum, & proprietatum, quæ singulis indiuiduis eueniunt, indiuiduales differentias aucupantur: ita etiam de Ecclesia cogitandum est; & esse vnam ex pluribus propter ea, in quibus fideles omnes conueniunt, atque conspirant, & esse etiam plures, propter singulares & proprias tam priuatarum Ecclesiarum, quàm singulorum fidelium operationes, & functiones. Eapropter in hoc Cantico aliquando Sancti fideles sub vnius sponsæ vocabulo, & persona inducuntur; aliquando multæ Ecclesiæ, ac multæ animæ iustæ sub plurium puellarum pedisequarum, aut Hierosolymitarum mulierum nominibus exhibentur. Rectissimè autem Ecclesiæ particulares, vt plures sunt, vnius sponsæ, id est, vniuersalis Ecclesiæ virgines pedisequæ appellantur, quia dictæ Eccle-

siæ

siæ priuatæ vniuersalem velut ancillæ prosequuntur,& nutum illius obseruant. Et eadem ratio est de Apostolis, & Episcopis, cùm per amicos sponsi notantur; & de Doctoribus, cùm per excubitores vrbis non semel designantur in hoc Cantico, vt suis locis adnotabimus.

CAPVT X.

Quid propheticè significet velatio, ac reuelatio sponsæ, per quam nuptiarum dies distinguimus, atque partimur in hoc Cantico.

SI ea, quæ suprà *cap.*3. §.4. *& sequentibus* vberiùs diximus, ac probauimus, memoriæ succedant, ex his certè constabit, quinque nuptiarum dies iuxta Hebræorum solennem morem in reuelatione sponsæ præcipuè poni,atque impendi,imò per hanc reuelationem distingui.Nam in prima die sub vesperum sponsa tradebatur sponso, virgineo amicta velo,scilicet crassiori illo,atque spissiori,quo tecta puella videri quidem ab aliis non poterat: ad alios autem videndos vnum tantùm ipsa oculum liberum gerebat,*dimediatam lucem carpens*,vt ait Tertullianus, cuius sententiam inibi dedimus. In secunda die primo manè crassiori isto velo deposito, quod erat virginum proprium, detegebat faciem priuatè,ac seorsim sponso suo, & ab ipso clarè videbatur, ipsumque videbat, recipiebatque ab eodem sponso flammeum nuptiale. (cuius veli tenuitatem suprà in eo §. descripsimus: eiusmodi enim erat, vt & per illius retia, quamuis non omninò liberè, & apertè tam videre, quàm videri posset.) Rursus hoc velo, seu flammeo tenui, & in faciem pendente amicta in tertia nuptiarum die sponsa non sine pompa in templum deferebatur, vt nuptialia sacrificia persolueret, & benedictionem sacerdotis referret. Ac demùm in die quarta flammeo deposito, detecta facie in apertum prodibat noua nupta, ita vt ipsi omnia liberè videre, & ipsius etiam pulchritudinem, ac speciem liberè conspicere, atque intueri omnibus liceret. Ostendimus etiam in eo §. & deinceps, quàm venustè Salomon nuptialem istum ritum in suis Canticis descripserit, & ex illo nuptialium dierum,atque Epithalamicarum cantionum sectionem,& partitionem acceperit.

Obseruandum est præterea id, quod suprà etiam *cap.*6.delibaui, non solùm inter Ecclesiam, & Synagogam hoc discrimen interessisse, quòd Synagoga diuinorum mysteriorum magna ignoratione laborauit, quorum apertam cognitionem fugatis vmbris,& ænigmatibus Ecclesia adepta est:sed etiam ipsam Christi Ecclesiam in hac diuinarum rerum cognitione erutis veritatibus, & reseratis fidei nostræ arcanis in dies labentibus sæculis progressus magnos hactenus fecisse, & subinde etiam vsque ad extremam totius mundi euersionem facturam esse. Et vt alios Patres missos faciam,qui assertionem istam non tantùm anteacti temporis exemplo confirmant, cuius lapsu scientia,& cognitio mysteriorum fidei in Ecclesia manifestè adaucta est:sed etiam Scripturæ sacræ testimoniis corroborant. Vnius Magni Gregorij verba subscribam: hic enim *Moral. lib.*9. *cap.*6.ita scrit. *Vergente enim sæculi fine superna scientia proficit, & latiùs cum tempore excrescit. Hinc namque per Danielem dicitur: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hinc etiam Ioanni in priori parte reuelationis Angelus dicit: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua; pars quippe reuelationis tunc signari præcipitur,quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initijs latuit, finis quotidie ostendit.* Sed luculentiùs hanc doctrinam tradit in Ezechielem *hom.*16. vbi confirmans ea, quæ nos tradidimus suprà, nimirum mundiales septimanæ, omnes dies, seu ætates singulari quadam ratione per scientiæ incrementa partiri, & distribui, de veteri Testamento sic pronunciat. *Hoc* (inquit) *nobis sciendum est, quia per incrementa temporum creuit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses,quàm Abraham; plus Prophetæ, quàm Moyses; plus Apostoli,quàm Prophetæ in spirituali scientia eruditi sunt.* Hanc verò positionem consequentibus verbis sic probat.*Fallor si hæc ipsa Scriptura non loquitur: Pertransibunt plurimi* (verba sunt Danielis,) *& multiplex erit scientia. Quis enim nesciat, quia Abraham cum Deo locutus est: & tamen ad Moysem Dominus dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Et Psalmista,*

mista, qui alter ex Prophetis fuit, dicit: Super omnes docentes me intellexi; & iterum: Super seniores intellexi. quibus verbis, quia diuinam scientiam plusquam Moyses acceperat, manifestat. De Apostolis autem subest illud: Multi Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire quæ auditis, sed non viderunt, impletaque est, quam superiùs diximus, sententia Danielis: Quoniam pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hæc de prioribus illis ætatibus. De his verò, quæ successerunt, sic attexit Gregorius: *mensura ergo calami, qui est sex cubitorum, & palmo ducatur ad cubitos decem, & mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tredecim, quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur.* Loquitur autem D. Gregorius de structura portæ templi, quam ita describit ibi Propheta, vt initio quidem in limine aditus esset angustior; deinde verò versùs interiorem partem discedente hinc & inde muro latiùs, altiúsque panderetur, vt lux per ipsam irrumpens quoquò versùs diffundi possit. Hinc autem ad Ecclesiam similitudinem deriuat Gregorius, quæ nimirum eodem modo diuinæ cognitionis lucem eò latiùs diffundit, ac spargit, quò propiùs ad fines sæculi accedit. Hæc omnia notissima, & compertissima sunt.

Ex illis autem propositæ dubitationi lux paratur. Itaque sic aio velum illud crassius, & obscurius, quod puella ante nuptias gerebat, & quo etiam amicta sponso tradebatur, crassam illam, & rudem, ne dicam carnalem rerum diuinarum cognitionem notat, quam sub veteri Testamento ante Christi aduentum Synagoga habuit, vnum tantùm oculum liberum gerens, & dimidiatam lucem carpens, quia tantummodo legis, & Scripturæ corticem intelligebat; internum verò sensum ignorabat: sub qua ignoratione, & stoliditate ipsi in prima nuptiarum die ad vesperam, hoc est, circa veteris Testamenti finem Christo tradita fuit. Quod non semel testatus est Christus Dominus id ipsum Apostolis probro dedens. Matth. 15. *Adhuc vos sine intellectu estis.* Et infrà cap. 16. *Nondum intelligitis, neque recordamini*, &c. Et Lucæ 18. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Et passim alibi Apostolorum ruditas, & stolididas ab Euangelistis proditur, & incusatur. Ergo velum istud vsque adeò obesum, & crassum ignorantiæ in prima nuptiarum die, quæ ad primitiua Ecclesiæ tempora tota spectat (vt suprà statuimus) ademit sponsæ suæ Christus Dominus, ipsam erudiens, atque informans. Vnde factum, vt Ecclesia illa prior ipsummet Christum sponsum suum non tantùm externis, atque corporeis obiret oculis, sed etiam internis animi luminibus agnosceret, agnitúmque teneret, iuxta illa Ioannis verba in 1. Can. cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

Rursus sicut sponsa in ea die pro velo illo spissiori, & crassiori recipiebat ab sponso flammeum prætenue, quo iam inde videre, ac videri ipsi licebat: ita etiam Ecclesia reiecto illo antiquioris ignorantiæ crassissimo velo, accepit à Christo Spiritum sanctum, & cum ipso pariter quasi pro flammeo clariorem, & apertiorem rerum diuinarum, ac mysteriorum fidei cognitionem, non tamen omninò liberam, & apertam; hæc enim in posteriora sæcula differebatur. Huius verò flammei simulachrum exhibitum in illis flammeis, aut flammatis linguis, quæ in die Pentecostes super Apostolorum capita insederunt, vt infrà *cap. 4. vers.* 1. ex Patrum doctrina pluribus conficiemus. Inde etiam perfectum, vt ipsa Ecclesia, quæ quasi tecta eatenus delituerat, in apertum sese dederit, ac non omninò clarè, & apertè secundùm omnia membra, & hierarchicam compositionem suam; sed tamen aliquo modo, quasi per flammei retia videri, & adamari cœperit.

In tertia die nuptiarum Christi & Ecclesiæ, quæ (vt suprà etiam *cap. 6.* docuimus,) omne illud tempus complectitur, in quo Martyres diras illas decem persecutiones sub totidem Imperatoribus exegerunt, ac sustinuerunt, Ecclesia Dei sponsa Christi perseuerauit sub flammeo cognitionem illam mysteriorum fidei non admodum claram à Christo, & Apostolis acceptam seruans; quia per id tempus necdum claruerant Doctores, nec pro terminandis fidei controuersiis Concilia generalia Ecclesia coëgerat, ex quibus claram magis, & apertam arcanorum fidei nostræ mysteriorum notitiam ipsam accipere oportebat.

Denique in quarta nuptiarum die, cuius primum manè cum sanctis Ecclesiæ Doctoribus illuxit, & ad cuius vesperam (nisi fallor) nostra tempora iam vergunt, noua nupta depositò flammeo, & vultu retecto, in publicum procedebat, ita vt videre ipsa

liberè

liberè posset, & omnium etiam oculis pateret. Identidem etiam sancta Dei Ecclesia sponsa Christi per id tempus, quo Doctores sancti vixerunt, & Concilia generalia cogi, & celebrari cœperunt, ab eisdem informata, & edocta, quidquid veli, id est, ignorantiæ, & imperitiæ reliquum erat, omninò exuit, & non solùm fidei nostræ mysteria, & arcana liberiùs contemplari ipsi concessum est: sed etiam ab eodem tempore exactis persecutionibus cunctam suæ hierarchiæ formam explicuit, & integra illius elegantia, & pulchritudo omnium oculis obiri cœpit. Et sanè quicunque ea, quæ in illo *cap.* 3. §. 3. 4. & 5. diximus de velatione, & reuelatione sponsæ, memoria tenuerit, facilè agnoscet quàm aptè nucleus iste illi cortici adaptetur.

Sed tamen ne temerè ex propria tantùm coniectura hæc à me dicta existimentur, vlteriùs dico huic nostræ interpretationi ex aliis Scripturæ sacræ testimoniis fidem, ac lucem maximam conciliari. Et quidem ex reuelatione sponsæ duo illa eueniunt, quæ suprà animaduerti: nimirum vt liberè ipsa videre & liberè quoque videri possit. De vtroque reuelationis effectu dicam. Primò igitur, per reuelationem factum, vt Ecclesia sponsa Christi diuina fidei mysteria apertiùs videat, id est, agnoscat, & teneat. Vt intelligas quàm aptè hæc dicantur, cogita apud te ipsum fidem suapte natura in reuelatione niti: quippe quæ de reuelatis est, & in reuelata tantùm intendit. Nil certius. Ita passim Euangelistæ, & Paulus nomen *reuelationis* ad mysteria fidei accommodat. D. autem Hieronymus super illa verba Pauli ad Ephes. 1. *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius illuminatos oculos cordis vestri*; pendenda esse dicit illa verba, *vt det vobis spiritum reuelationis illuminatos oculos cordis vestri.* Ex quibus sic colligit. Tunc cùm reuelantur nobis fidei mysteria, non quidem à mysteriis velum detrahi putandum est, quasi ipsa prius tecta, & velata sint, sed ab oculis nostris velamen remoueri, quo ipsi contecti, opertique sunt, ne eadem intueri possint. Cum Hieronymo Chrysostomus conspirat, & ex vtroque vnum præscripti loci sensum conformare licet ad hunc modum. Nunquam intermitto (ait Paulus) orationem, & gratiarum actiones, enixè cum Deo agens, *vt det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis*, id est, vt cordibus vestris immittat Spiritum sanctum: *ipsius enim est reuelare oculos nostros* (verba sunt Chrysostomi,) *& mysteria Dei enarrare: quòd si agnitio eorum ad reuelationem refertur, iam nulla significatur humanarum rationum inuentio.* His verbis Chrysostomus cunctam fidei naturam delineauit, cuius certitudo non ratione, sed reuelatione fulcitur. Addit Hieronymus: *Christus dat Ecclesiæ sponsæ suæ spiritum sapientiæ, & reuelationis, vt reuelata facie gloriam Domini speculetur. Quæ sapientia, & reuelatio cùm primùm fideles sapientes fecerint, & mysteria illis occulta aperuerint, statim sequetur, vt habeant illuminatos oculos cordis*, &c. Quis ergo non videat Hieronymum hisce verbis ad eam, quæ in nuptiis olim fieri solebat, sponsæ reuelationem perspicuè alluisse: tunc nimirum cùm adempto velo, libera illi fiebat videndi copia. *Dat enim* (inquit) *Ecclesiæ sponsæ suæ spiritum reuelationis.* Ex qua similitudine non solùm Paulum illustrari posse, sed etiam proprium, atque germanum fidei munus apprimè declarari, ac describi putauit. Fides enim mysteriorum, ignorationis, atque insipientiæ velum Ecclesiæ oculis eripit, vt quæ Dei sunt, liberè contueri possit: vt proinde Salomon in hoc Cantico per nuptialis reuelationis similitudinem ea, quæ in sancta Dei Ecclesia futura erant scientiæ, & cognitionis per fidem incrementa appositè admodum adumbrauit.

Sed audiendus est idem Paulus 2. *ad Corinth.* 3. vbi sic scrit: *Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum diem id ipsum velamen manet in lectione veteris Testamenti non reuelatum: quoniam in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen: Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus, ibi libertas. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* Hæc Paulus. Ex quo illud in primis habes, Synagogam olim ante aduentum Christi Domini velum valde crassum, ac spissum super oculos obiectum habuisse, scilicet crassioris, atque obesioris cuiusdam ignorationis vitium, quod per illud velum super Moysi faciem obtentum significatum existimat Apostolus. Sed quid causæ subest, quòd cùm Paulus initio præmiserit velum illud super faciem Moysi demissum, ne in illum Hebræorum

bræorum oculi intenderent, paulò pòst velum super eorundem Hebræorum cor expansum dicit: *Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* An Moyses velamine illo faciem obnubens, Synagogam ipsam notauit? Annuit Chrysostomus, Theophylactus, & alij Patres. Negat hoc D. Anselmus, qui in Moyse obuelato, & gloriæ radios, quos facie sua præferebat, celante, ipsammet veteris Testamenti litteram agnoscit, prout Christi notitiam sub multarum figurarum, atque vmbrarum tegmine, quasi velo quodam obnubit, ac tegit. Affirmatque Paulum præter istud velamen, quo Scripturæ sanctæ sensus Hebræis celabatur, aliud etiam velum commemorasse, scilicet *ignorantiæ*, vel *carnalis intelligentiæ*, quod densissimum erat, & Synagogæ oculos vsque adeò perstringebat, vt non modò obscura, sed etiam clara, & dilucida Scripturæ sanctæ testimonia ipsam capere, atque intelligere non sineret. Perplacet mihi interpretatio Anselmi, cui adstipulari videtur S. Thomas *in eum locum.* Sed quid inde? Subdit Apostolus: *cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* S. Augustinus *lib. de vtilitate credendi*, & *contra Faustum*, ac non semel aliàs, hæc verba sic extulit: *Cùm autem transierit ad Christum, auferetur velamen.* Codex Syriacus: *Cùm aliquis ex eis conuertetur ad Dominum, auferetur ab eo velamen.* Verba sunt luculenta. id est, cùm Israël à Synagoga ad Ecclesiam, à Moyse ad Christum, à lege ad Euangelium translatus fuerit, excidet statim velamen. Quod velamen? Vtrumque illud à me præmissum: nimirum velamen illud figurarum, atque vmbrarum, quod veteris Testamenti faciem contegebat: & carnalis intelligentiæ densissimum velum, quod supra oculos pendebat Synagogæ, ne mysteria fidei prærimaret. Ideò attexit: *Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus est, ibi libertas. Nos verò omnes reuelata facie*, &c.

Sed illud quæres, an Paulus in hoc loco ad eam, quæ in nuptiis solennis erat, sponsæ reuelationem respexerit, vel alluserit? Ego certè ita sentio, Apostolum non obscurè ad hanc respexisse. Mouet me in primis D. Hieronymus, qui *in Proœmio Commentariorum in Oseam*, hæc ad præscripta Apostoli verba ita scribit: *Vnde & nobis dicendum est cum Dauid: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: vt nimirum introducat nos Rex, vel sponsus in cubiculum suum, & velamen, quod ante oculos Moysi positum fuit in lectione veteris Testamenti, tollat à nobis.* Quid illustrius? Sed vt videas quàm aptè sententiam istam ad nuptialem istum ritum reuelandi sponsam retulerit Hieronymus, libranda tibi sunt illa verba: *Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus, ibi libertas.* Qualis est hæc libertas, quam sublato velamine adepta est Ecclesia ad Christum transiens, vt propterea reuelata facie gloriam Domini speculari ipsi omnino liberum, atque integrum fiat. D. Thomas *in hunc locum*, ita scribit: *Ibi libertas ab omni impedimento velaminis.* Reliqui libertatem à lege intelligunt, & ab eo spiritu seruitutis, quo in veteri Testamento Israëlitæ premebantur. Libenter his acquiesco. Sed illud quæro, cur ablato velamine libertas parta dicitur? Id certè mihi assecutus videtur ex nostris Benedictus Iustinianus, qui ad hunc locum ita rescripsit: *Velum subiectionis indicium erat, & ideò sublato velo libertas inita perhibetur. Nam idem Paulus 1. ad Cor. cap. 11. ita de nuptis scribit. Ideo debet mulier habere potestatem super caput suum*, &c. Pro *potestate* autem in plerisque antiquis codicibus erat *velamen*, eodem sensu; quia nimirum velamen, quod mulier nubens capite suo excipit eius obsequij, atque demissionis symbolum, quod vxor viro deferre debet.

Sed tamen necdum tota huius loci difficultas peruicta est: nam Ecclesia ad Christum transiens illi in sponsam tradita fuit: atque adeò velamine illo nuptarum proprio minimè carere debuit, quod eius, qua erga Christum tenebatur, obsequentiæ, atque obedientiæ symbolum erat. Ita ego reor: sed succedant memoriæ ea, quæ suprà *cap. 3. §. 3.* præfati sumus, vbi docuimus velum illud crassius ac densius, quo puellæ ante nuptias vtebantur, in prima connubiorum die ipsis ab sponso detrahi, ac pro illo subtiliori alio velamine donari. Quia verò omnis detractio velaminis libertatis symbolum, eiúsque impositio subiectionis indicatio est, per illam prioris velaminis ablationem, & posterioris impositionem puellæ à potestate patria ad mariti potestatem translationem adumbratam fuisse puto. Itaque, quia sponsa mutui data patriam excutiebat potestatem, quæ grauior, & molestior erat: parentes enim apud Hebræos puellas virgines ante nuptias diligentissimè obseruabant, & clausas, obseratasque continebant (vt alibi non semel dicemus,) hæc patriæ potestatis excussio per illius veli crassioris, atque obesioris ademptionem notabatur. Et quia eadem in potestatem veniebat

niebat ſponſi ſui, quæ poteſtas ſuapte natura liberior, ac dignior eſt, ad hanc poteſtatem notandam flammeum nuptiale capite excipiebat ſuo, ſcilicet velum illud valde tenue, ac gracile, per cuius retia & videri, ac videre liberum erat. Iam intelligis quò tendam. Cùm Paulus ait Eccleſiam, ex quo ad Chriſtum tranſiit, ablato velamine libertatem indeptam fuiſſe, ad illam certè libertatem reſpicit, quam nouæ nuptæ à patria poteſtate excidentes, exuto craſſiori velo aſſequebantur, cùm iam illis videri, ac videre integrum erat: hoc enim exemplum ad ea, de quibus ipſe agebat, appoſitiſſimum erat, vel nimirum ſignificaret. Aliud verò velamen tenue, quod eſt vxorum proprium, & Chriſti in Eccleſiam maritalem poteſtatem innuit, atque eam cognitionem ſpecularem, & ænigmaticam, quam Eccleſia militans ſemper habet, apprimè ſignificat, de quo idem Paulus, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, nequaquam excluſit.

Quapropter aptè ſubnectit. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur.* Hæc perſpicua ſunt. Attexit, *à claritate in claritatem.* Auguſtinus legit, *à gloria in gloriam*, eodem ſenſu. Et *lib.* 15 *de Trinitate*, ſic interpretatur. *A gloria creationis ad gloriam iuſtificationis: quamuis poſſit hoc alijs modis intelligi, nempe de gloria fidei ad gloriam ſpeciei: de gloria, qua filij Dei ſumus, ad gloriam, qua ſimiles ei erimus*, &c. Chryſoſtomus. *A gloria* (inquit) *ſpiritus in gloriam noſtram.* Sed magis ad mentem Pauli locutos fuiſſe exiſtimo Anſelmum, Ambroſium, & D. Thomam *in hunc locum*, adde etiam Tertullianum lib. 5. contra Marcionem cap. 11. *A claritate ad claritatem*, vel *à gloria in gloriam*, id eſt, à gloria, vel ſplendore, qui in facie Moyſi lucebat, & quem velaminis interpoſitio eripiebat Hebræorum oculis, ad gloriam, & claritatem illam, quæ ex facie Chriſti reſplenduit, & quam ſine aliquo velamine retectis oculis, omnibus fidelibus obire licet. Quod S. Thomas ſic graphicè explicuit. *A cognitione obſcura veteris Teſtamenti ad claritatem cognitionis noui Teſtamenti*; hanc enim per ſplendorem ex facie Chriſti liberiùs promicantem: illam verò per radios ex Moyſi facie reſilientes, velaminis tamen interpoſitione contractos, notari putauit. Sed tamen haud diſplicet mihi alia interpretatio, quam graues quoque interpretes amplectuntur, qui illa verba, *à claritate in claritatem*, cognitionis myſteriorum fidei intelligunt, quod Eccleſia Dei per nouas luminis acceſſiones hactenus ſemper fecit, ac deinceps nunquam non faciet. de quo incremento ſuprà non pauca diximus.

Eandem reuelationem, & clariorem cognitionem myſteriorum fidei, quam pulſis antiquarum figurarum vmbris, & excuſſo carnalis intelligentiæ tegmine, Eccleſia Chriſti beneficio accepit per velum templi, quod in eiuſdem Chriſti paſſione à ſummo vſque deorſum reſciſſum fuit, adumbratam fuiſſe, communis Patrum ſenſus tradit. Quod ideò enumerare piget, quia nihil magis apud illos obuium eſt: vnum tantùm, vel alterum adſcribam. S. Hieronymus in Epiſtola ad Hedibiam, quæſt. 8. *Inclamante Ieſu, & emittente ſpiritum, velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum, & omnia legis ſunt reuelata myſteria, vt quæ priùs recondita tenebantur, vniuerſis gentibus proderentur. In duas autem partes, id eſt, in vetus & nouum Teſtamentum. Et à ſummo vſque deorſum, id eſt, ab initio mundi, quo homo conditus eſt, & reliqua, quæ ſacra narrat hiſtoria, vſque ad conſummationem mundi.* Cyrillus in Ioann. lib. 12. cap. 37. *Velum templi à ſummo vſque deorſum ſcinditur: diuinorum enim myſteriorum cognitio non amplius velo legalis literæ tegitur, nec hiſtoriæ figuris, atque vmbris mentis noſtræ acies retardatur. in ſimplicitate namque fidei paucis verbis egimus.* Et paucis intercalatis. *Latum illud velum ſciſſum omninò, atque per totum eſt; hoc enim ſignificat, à ſummo vſque deorſum. Quare ſic? Quia pulcherrimus fidei nucleus ariditate literalis teſtæ perfracta denudatus eſt: non enim trunca, & manca, ſed perfecta fidei illuminatio eſt.* Hæc de prima reuelatione, quæ per ablationem fiebat illius veli craſſioris, quo virgines vtebantur: in ſecunda nuptiarum die, & primo manè, & quam in hoc Cantico latere diximus, ſub illis verbis cap. 2 *Oſtende mihi faciem tuam, & ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Et eadem ratio eſt de altera reuelatione, quæ fiebat in tertia nuptiarum die, adempto etiam prætenui flammeo, quod pro virginali velo ſponſa accipiebat, vt liberè omnino videre, ac videri poſſet. De qua reuelatione accipienda eſſe diximus illa verba cap. 5. *Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* ſignificat enim eam, quam Eccleſia adepta eſt clariorem myſteriorum Dei cognitionem in tertia ipſius Eccleſiæ ætate

per sanctos Doctores erudita, & per generalia Concilia ad veritates fidei informata, & instructa. ita Patres contemplati sunt ad ipsissima illa verba, *Tulerunt pallium meum*, &c. vbi per custodes illos, qui pallium sponsæ non sine vi aliqua detraxerunt, sanctos Ecclesiæ Doctores accipiunt, qui si quid adhuc reliquum erat ignorationis mysteriorum fidei, quo eorum obducebantur oculi, id ipsis ademerunt, ad clariorem rerum diuinarum cognitionem Ecclesiam vniuersam Christi sponsam adducentes, vt in eum locum latiùs dicemus.

Quia verò suprà per reuelationem sponsæ ab initio factam duo præstari diximus: alterum quidem, vt illa retectis oculis liberiùs videret: alterum verò, vt aperta facie videri quoque ipsa posset. Certè id posterius in mysteriis nobili quadam significatione non caret. Quapropter notandum est ex valde propriis Catholicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ notis & signis alterum censeri, *quòd sit visibilis*, quam contra hæreticos nostri temporis sacræ Scripturæ, & Patrum apertissimis testimoniis, & validissimis rationum momentis confutantur vulgò Controuertistæ; sed tum maximè Cardinalis Bellarminus *tom.* 1. *de Ecclesia*, *lib.* 3. *cap.* 12. & P. Valentia 2. 2. *disp.* 10. *de obiecto fidei*, *q.* 1. *puncto* 7. §. 16. *propriet.* 6. Nam Hæretici huius temporis, ne per Ecclesiæ antiquum sensum, & traditiones reuinci possint, ita causantur, & ita olim causati sunt tempore Augustini, hanc, quam nos oculis ipsis contuemur fidelium congregationem, non esse veram Ecclesiam; quia Ecclesia (inquiunt) Dei non est *visibilis*, sed *inuisibilis*: & ideò eam ex fide credere iubemur in Symbolo, cùm vita profitemur. *Credo in vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Nam quod quis videt, non credit. hanc pernicioſam doctrinam, quæ cuncta penè fidei Catholicæ dogmata infringit, damnant, atque refellunt præfati Doctores *locis citatis*, atque illam positionem validissimè propugnant: Ecclesia Dei est modò, fuit semper, ac nunquam non erit *visibilis*, vt apud eosdem videre licet. Ergo ad rem nostram tunc cum sponsa in hoc Canticorum libro ab initio nuptiarum reuelata dicitur, vt non modò illa liberè videre, sed etiam ipsa clarè conspici posset, id ipsum notatum volo, scilicet Ecclesiam Dei iam tunc ex suismet primordiis visibilem esse cœpisse. Rursus cùm eadem sponsa per ablationem prætenuis flammei succedentibus nuptiis in tertio die apertiùs se visendam dedit, illud etiam significatum puto, quod constat Ecclesiæ contigisse: vt nimirum exactis persecutionibus tunc cùm ætas Doctorum in Ecclesia Dei vigere cœpit, cunctam suæ hierarchicæ compositionis elegantiam, & pulchritudinem clariùs prodiderit, & quasi subducto velo omnibus videndum obtulerit. Atque vt missa faciam alia Patrum loca, quibus id confici videtur, de hac certè Ecclesiæ visibilis conditione non sine allusione ad velum nuptiale, & reuelationem sponsæ loquutus est D. Augustinus *in Psal.* 108. vbi ad illa verba, *In sole posuit tabernaculum suum*, ita scribit. *In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum.* Et infrà: *Quid tu hæretice fugis in tenebras? Quid per angulos fugis? Quid latitare conaris?* Iam tenes Augustinum, qui planè alludit ad illa verba cap. 1. *Ne vagari incipiam post greges fidelium*, &c. Quæ Septuaginta ex originibus sic extulerunt. *Ne fiam sicut velata*, vel *operta*, &c. Sed illustriora sunt eiusdem Augustini verba *Epist.* 48. ad Vincentium contra Donatistas, & Rogatistas, qui contendebant Ecclesiam Dei paruam esse, & inter peccatores latere. Quibus sic occurrit Augustinus. *Ipsa est Ecclesia, quæ dicet sponso suo: Vbi pascas, vbi cubes in meridie, non fortè fiam sicut operta super greges sodalium horum. Id est, ostende mihi illos, in quibus luce fulgentibus, & charitate feruentibus quasi in meridie requiescis, ne fortè velut velata, id est, occulta, irruam non in gregem tuorum, sed in greges sodalium tuorum, id est, hæreticorum.* Et post pauca sic attexit. Ipsa est Ecclesia, cui respondetur, *Nisi cognoueris te ipsam, Quia vtique non potest ciuitas abscondi supra montem posita, & ideò non est operta, vt proinde possis incurrere in greges sodalium*, &c. Et multa in hanc sententiam subinfert, quibus probat Ecclesiam Dei manifestam, & reuelatam esse: quippe quæ nunquam sub velo crassiori ita fuit, vt visibilis non foret. Quamuis enim non statim, ac subitò totam suam pulchritudinem intuendam dederit, nunquam tamen omninò latuit.

Succedat igitur memoriæ id quod diximus suprà *cap.* 3. §.... scilicet flammeum nuptiale caput, faciem, & humeros ad vbera vsque velare solitum: ne videlicet hæc membra clarè omninò, & apertè, sed subobscurè, quatenus ipsa veli tenuitas, & subtilitas patiebatur, conspici possint. Vbi illud etiam animaduertimus, sponsam

tunc

tunc commodè deſcribi & deformari ab ſponſo ſuo, quo in publicum progreſſa fuerat. Atque inde factum diximus, vt in ea deſcriptione ſponſæ, quam *cap.* 4. ſponſus ipſe orſus eſt, ea tantùm extinxerit, quæ flammeum celabat: & ideò deſcriptio illa, aut deformatio ad pupillas tantùm peruenit, reliqua miſſa fecit. Nam membra ea ratione ſub flammeo tecta, & velata ab ſponſo deſcripta fuiſſe liquet ex appendice illa, quæ in delineatione oculorum, atque genarum addita eſt, *abſque eo quod intrinſecus latet:* vel *abſque occultis tuis.* In originibus eſt, *intra velum tuum*, vt *in eo cap. ver.* 1. vberiùs dicemus. Quadrat autem hoc mirificè in ſanctam Dei Eccleſiam Chriſti ſponſam, quæ quamuis nunquam non viſibilis fuerit, tamen initio inter diras Imperatorum perſecutiones non minimam ſuæ pulchritudinis partem celebrat. In primis enim ſi qui erant in Eccleſia parum firmi, & imbecilles, quos infima ſponſæ membra repræſentant: hi certè vel quia in perſecutionibus deficiebant, vel quia fidei ſuæ confeſſionem celabant, ita per illud tempus deliteſcebant, vt prorſus deſcribi non debuerint, ſed magis taceri, ac ſupprimi. Reliquos verò, quos digniora eiuſdem ſponſæ membra adumbrant, ſcilicet Pontifices, Epiſcopos, Doctores, & Paſtores, & alios etiam fortiores Chriſtianos, magna ex parte celare, & abſcondere cogebatur: ita vt ex his plures in antris, & cryptis deliteſcerent, ne in perſecutorum manus venirent, ac ne ipſamet Eccleſia digniſſimis fraudata membris deperiret: atque adeò illos non omnino apertè, ſed quaſi per flammeum offerebat videndos.

Huius temporis conditionem graphicè deſcripſit D. Auguſtinus *loco ſuprà citato*, vbi de primordiis Eccleſiæ ad hunc modum ſcrit. *Eccleſia Dei olim non omnino aperta; erant enim pauci fideles in comparatione cæterorum, & hi etiam ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant, & ſic Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit in frumentis Dominicis, conſeruata eſt, & vſque in finem, donec omnigenas, etiam omnes barbaros teneat, conſeruabitur. Ipſa eſt enim in bono ſemine, quod ſeminauit filius hominis, & vſque ad meſſem creſcere inter Zizania prænunciauit*, &c. Nunquam tamen etiam inter perſecutiones Eccleſia Dei ita delituit, vt tamen digniora illius membra quaſi per flammeum videri, ac conſpici non poſſent. Quapropter idem Auguſtinus paulò antè ita præmiſerat. *Ipſa eſt, quæ aliquando obſcurata, & quaſi obnubilata multitudine ſcandalorum, quando peccatores intendebant arcum, vt ſagittarent in obſcura lunarectos corde. Sed tamen tunc in ſuis firmiſſimis eminebat. Et ſi aliqua, & ideo, fortaſſe non fruſtrà dictum de ſemine Abrahæ: Sicut ſtellæ cœli, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris, vt in ſtellis cœli pauciores firmiores, clarioreſque intelligantur: in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum, quæ aliquando tranquillitate temporis quieta, & libera apparet: aliquando autem tribulationum fluctibus operitur. Tale tunc erat tempus, de quo ſcripſit Hilarius: Vnde putaſti inſidiandum contra teſtimonia diuina, tanquam tunc perierit Eccleſia de toto orbe terrarum.*

Deinde etiam alia ex cauſa Eccleſiæ pulchritudo per illud tempus non omnino patuit, qui vigente perſecutorum ſæuitia, non poterat Eccleſia ſuæ hierarchiæ totum ordinem exactè tenere, ac ſeruare. Poſtquam verò tyrannorum immunitas in Eccleſia deſæuiit, & Martyrum ætati ſucceſſit mitius Doctorum ſæculum, ſacri Antiſtites, paſtores, & Doctores in apertum prodeuntes latebras deſeruerunt: imbecilles quoque atque infirmi quaſi miti illa tempeſtate inuitati ſe ſe aperuerunt, & manifeſtarunt. Factumque eſt, vt Eccleſiæ Dei tota pulchritudo, quæ in conformitate ſuorum membrorum ſita eſt, videri iam potuerit: quatenus hierarchica ipſius diſpoſitio per ſuos gradus palam ſeruari, & cuncta eius membra per ſuas iuncturas connexa apparere, & publicè conſpici cœperunt. Ea propter in quarta nuptiarum die ſponſa erepto flammeo in apertum prodiit, & clarè ab omnibus viſa fuit. Vnde Solymitanæ fœminæ à pedibus ipſis, atque ſandaliis orſæ cuncta illius membra eleganter expingunt, & pulchritudinem ipſius abſolutiſſimè delineant. Quæ dies ætatem Doctorum in Eccleſia deſignat, quæ poſt perſecutorum, Martyrumque ſæculum inſecuta eſt.

Sed quia ſuprà in huius capitis initio diximus circa finem mundi maiorem, atque clariorem futuram myſteriorum fidei intelligentiam, quàm quæ olim etiam tempore Doctorum habuit Eccleſiæ impertiendam: quam intelligentiam per reuelationem ſponſæ factam in primo mane quarti diei præclarè admodum deſignatam hactenus docuimus. Addo maiorem iſtam intelligentiam per ea, quæ ſub veſperum eiuſdem quarti diei in ſeptimo Epithalamio facta narrantur, appoſitè admodum delineari, vt

infrà in Prophetiæ acoluthia demonstrabimus, ad illa verba cap. 8. *Ibi me docebis*, &c. Nunc ad alia faciamus gradum.

CAPVT XI.

Nuptiæ Christi, & Ecclesiæ in hortis actæ, cur dicantur in hoc Cantico, & de Prophetica huius rei significatione.

EX his, quæ diximus suprà *cap.* 3. §... constat in hoc Cantico nuptias describi extra vrbem in horto, aut nemore celebratas. Nam primam traductionem sponsæ ex gynæceo in domum quampiam hortensem factam, atque inibi quatuor cœnas nuptiales totidem diebus exhibitas: duos item eiusdem sponsæ ex hortis in vrbem processus, & ab vrbe in hortos reditus iuxta morem, ac ritum perantiquum tam gentibus, quàm Hebræis solennem delineari diximus eo loci. Quia verò valde frequens est horti commemoratio in hoc libro, & illa nuptialium dierum, Epithalamiorúmque partitio, & distributio per aditum ex horto in vrbem, & reditum ex vrbe in hortum tam sponsi, quàm sponsæ, magna ex parte perficitur. Eapropter operæ pretium duximus mysticam huius rei significationem in hac præfatione aperire, vt subinde totius Prophetiæ ordinem contexere faciliùs liceat.

In primis autem Christi & Ecclesiæ nuptias in hortis agendas vaticinatus est Oseas *cap.* 2. illis verbis: *Propter hoc lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Illud ergo ante alia stabiliendum, firmandúmque est, hæc de Ecclesia ad litteram esse capienda: quod certum, ratúmque efficit authoritas Pauli *ad Roman.* 8. qui proxima eiusdem contextus verba Ecclesiæ dedit: vnde aberrant planè omnes illi, qui de Synagoga ab Ægypto in desertum, Deo duce, migrante audacter interpretati sunt. Rursus illud etiam mihi exploratum est, similitudinem istam duci ex re nuptiali: nam antecedentium, ac consequentium nexus ita postulat. Quapropter, vt sententiam totius loci faciliùs eruere possimus, singulorum verborum germanam significationem eruere necessum est. *Lactabo eam.* D. Hieronymus interpretatur, *blandiar ipsi*, id est, per blanditias ipsam alliciam, & inuitabo ad nuptias. Ita multi ex interpretibus. Alij verò multò plures verbum *lactabo*, perinde esse putant, atque *decipiam illam.* Accinunt Septuaginta, qui sic restituunt: *Ecce ego seducam illam.* Adstipulatúrque perfrequens eiusdem verbi vsus in Scriptura pro *decipio.* Prouerb. 1. *Si te lactauerint peccatores.* & 16. *Vir vnicus lactat amicum suum.* Iob 31. *Si vidi Solem cùm luceret*, &c. *& lactatum est in abscondito cor meum.* sic est in primitiuis, id est, si deceptum est cor meum, & passim alibi. Puto autem hoc verbum referendum esse ad nuptias, ita vt *seducere* non sit ex animo ludificandi dolos imponere, sed vt fieri solet in nuptiis, votis propositis, & donis oblatis puellæ voluntatem lentare, vt nuptiis acquiescat: puto enim per verbum istud *lactabo*, significari hîc consuetum olim morem vota faciendi ad inducendas puellas innubas. de quo diximus suprà *in eo cap.* 3. §.... vnde fluxit nomen apud Nostrates vulgare, *vodas*, scilicet ex *votis*, vt in eo loco etiam monuimus.

Addit Propheta, *ducam eam.* Huius etiam verbi vsus in nuptiis nemo nescit: nam quia sponsa à domo paterna, aut etiam à gynæceo ducebatur in ædes mariti sui, ideò *ducere* dictum pro *nubere.* De hac re pluribus dicemus infrà cap. 1. vers. 3. *In solitudinem.* Hoc nomen *solitudo*, accipi solet, vt sonat, pro deserto sterili, & inamœna regione. Cæterùm alia est eius vis in hoc loco. In primitiuis subest מדבר *medibar*, quod nomen licèt alicubi pro deserto accipi soleat, tamen propriè loca vrbi vicina, scilicet pomœria consita, & culta adsignificat, vt admonet Rabbi Dauid ad radicem דבר *dobar*, & ex illo Pagninus. Neque insolens est in Scriptura sacra vsus eius vocis *solitudo* pro hortis amœnis, aut ædibus extra vrbem in syluis ad voluptatem constructis. Iob 3. *Cum Regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*, id est, qui construunt sibi domos syluanas ad solatia captanda. Et Eccles. 2. *Feci hortos, & pomaria*, &c. *& extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium.* In originibus est, *vt irrigarem solitudinem*, &c. de qua re fusiùs dicemus *cap.* 3. ad illa verba, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto.* Denique extrema illa verba, *& loquar ad cor eius*, aliàs in Scriptura

Scriptura ſacra in nuptiali re adhiberi ſolent. *Geneſ.* 34. de filio Regis Sichimorum Dinæ puellæ nuptias ambiente, ſic ſacer textus. *Triſtemque deliniuit blanditys.* In primitiuis ad verbum eſt, *& locutus eſt ad cor adoleſcentulæ.* Item *Ruth* 2. poſtquam Booz ipſam ſeducturum ſpopondit, ſic adiecit puella. *Inueni gratiam in oculis tuis Domine, qui conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.*

Iam intelligis huius loci energiam, & vim. Verba ſunt Dei Eccleſiam ſe ducturum promittentis hoc modo: *Ecce ego lactabo eam,* id eſt, nuptias illius expoſitis votis, doniſque oblatis poſtulabo, tandiu inſtans, vrgenſque, donec ipſam ad conſenſum alliciam. Et quia ſolenne eſt Regibus vxores ſuas in domos ſyluanas, inque hortos, & nemora amœniſſima primùm ducere, vt ibi nuptias iucundiùs peragant: eodem modo cum ipſa geram. *Ducam eam in ſolitudinem,* id eſt, in hortos amœniſſimos transferam, & ibi ipſam mihi legitimè copulans, *loquar ad cor eius,* id eſt, conſolatoria, & amatoria verba ipſi dicam, qualia fari decet nouum ſponſum ad nouam nuptam. Hic ſenſus literalis, & cortex huius loci: nucleus iam excutiendus eſt.

Ac primum quidem videre oportet, quid ſignificet hæc adductio ſponſæ in domum ſyluanam, ad Chriſti & Eccleſiæ nuptias tranſlata. Plures ſunt, qui locum iſtum de Eccleſia interpretantes præfata verba ſic ediſſerunt: *Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem,* &c. id eſt, ad eundem modum cum ipſa geram, ſicut olim cum populo Hebræo, quem è captiuitate Ægyptiaca, Pharaone demerſo, per rubri maris vndas ſicco veſtigio ad ſolitudinem tranſmiſi, &c. Sed tamen huic expoſitioni non aſſentior: nam, vt ſuprà obſeruaui, Propheta eo loci de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ verba facit, ita enim contextus iſte perſuadet: atque adeò ita inſerta alluſio illa ad exportationem Hebraici populi ex Ægypto, vt referenda ſit ad rem nuptialem.

Lyra, quem alij etiam non pauci inſequuti ſunt, in expoſitione huius loci ita ſcribit: *Ducam illam in ſolitudinem,* &c. *Quia tempore Apoſtolorum multi conuerſi ad fidem transferent ſe ſe ad vitam ſolitariam, vt meliùs vacent contemplationi, & reficiantur conſolatione diuina: ideo ſubditur, & loquar ad cor eius.* Hæc interpretatio magis arridet, ſi referatur ad eam, quam præmiſimus, ſimilitudinem tranſlationis nuptialis in ſyluas. Ita vt ſenſus ſit. Quemadmodum de more eſt maritis ſponſas ſuas in hortos amœniores transferre, vt inibi nuptiæ iucundiùs peragantur: ita etiam Chriſtus Dominus egit cum Eccleſia ſponſa ſua, quam tunc ad ſyluas, & nemora amœna tranſmiſit, cùm Monachos, & cœnobitas per ſolitariæ vitæ amorem, & ſtudium ad deſerta impulit, vt ibi inter monaſticæ conuerſationis amœnitates per contemplationem cœleſtium quaſdam nuptialibus oblectamentis ſimiles delitias delibarent, atque per religioſæ vitæ profeſſionem ipſi Chriſto arctiori vinculo ſe ſe obſtringerent: vel, ſi fas eſt ita loqui, arctiùs eidem nuberent. Fruſtrà hîc numerem plures Patres, qui ſolitudinem, atque eremum cum hortorum amœnitatibus contulerunt. Chryſoſtomus contra vituperatores vitæ monaſticæ lib. 2. *Audis* (inquit) *Elyſium campum, ac beatorum inſulas, & prata virentia, myrtos, & auram tenuem, odoremque ſuauiſſimum cuncta replentem.* Ac ſtatim attexit, hæc omnia cum vitæ monaſticæ delitiis conferri non poſſe. S. Nilus Abbas *in Aſcetico lib.* non longè à principio. *Negligamus* (inquit) *agriculturam, ſpinas, & tribulos producentem* (ſic appellat vitam ſæcularem,) *vt paradiſi cuſtodes, atque cultores efficiamur,* id eſt, vt monaſticam teneamus vitam, cuius oblectamenta cum ipſius paradiſi delitiis ſubinde componit. Item D. Hieronymus ad Heliodorum Epiſt. 1. *O deſertum* (inquit) *Chriſti floribus vernans: ſi infinita eremi vaſtitas te terret, tu paradiſum mente deambula,* &c. Mitto alios.

Et ſanè per hortos, & nemora, vbi Chriſtus nuptias ſuas cum Eccleſia celebraturus dicitur, monaſticam, & religioſam vitam accipiamus, non ſine lepore hic ſenſus aptabitur Prophetiæ. Quapropter memoria repetamus ea, quæ ſuprà *cap.* 3. §.... præfati ſumus, vbi diximus nuptias in hoc libro ſic à Salomone deſcribi, vt quinque dies claudant. Prima die ſub veſperum ſponſa in hortum, & ſyluanas ædes traducta eſt. Secunda verò die in eodem horto permanſit. Tertia verò, & quarta die primo manè ſponſa ex ſyluis ad vrbem non ſine pompa à ſuo ſponſo perlata fuit: veſpere autem eadem ab vrbe rediens ſyluanas ædes repetit. Denique quinta die primò manè ſponſa ab hortis in vrbem mouetur, atque ibi ſolutis nuptiis manet. Hæc omnia in acoluthiam ſenſus grammaticalis fusè diximus, & probauimus.

Quæ ad ſenſum ſpiritualem tranſlata, aptiſſimè in Eccleſiam cadunt. Cogita ergo id, quod certum, ac ratum eſt, Apoſtolos duodecim, & ſeptuaginta diſcipulos ad

euangelicæ vitæ perfectionem à Christo vocatos fuisse : ita nimirum , vt ipsi primùm ad consilia euangelica obseruanda nuncupatis votis sese obstrinxerint , ac deuouerint,atque adeò religiosæ,ac monasticæ vitæ Christo institutore, & conditore , primi obseruatores fuerint. Ita docent Eusebius *lib.2.histor.cap.16.* Hieronymus *de viris illustribus,in Philone.* D.Augustinus *lib.2. de vita communi Clericorum.* Isidorus *lib.2.de diuinis Officijs,cap.15.* Cassianus *collatione* 18. S.Thomas *2.2.quæst.88.art.4.* Hanc verò tam perfectam conuersationem , quæ ab Apostolis, & discipulis Christi cœpta , & auspicata fuit , primitiui Christiani auidissimè arripuerunt , qui suis se bonis voluntariè spoliantes , omnia in commune conferebant , & religiosam agebant vitam : non quidem omnes , sed ex paucis,qui tunc crediderant, multò plures , ita vt reliqui cum his collati pro nullis haberentur. Ita expressè tradit D. Hieronymus *loco citato* , vbi postquam Philonem , & ea omnia,quæ de primitiuis Christianis scribit, produxit, ita demum attexit : *Ex quo apparet , talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam , quales nunc Monachi esse nituntur , & cupiunt , vt nihil cuiusquam proprium sit,nullus inter eos diues , nullus pauper , patrimonia egentibus diuidantur , orationi vacetur , & psalmis,doctrinæq; & continentiæ , qualis & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes.* Et S.Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch. cap.10.* multa de Monachis, & eorum institutis serit. Accinit D. Epiphanius *hæresi* 29. vbi inter alia de eodem Philone loquens sic addit : *Monasteria ipsorum in vicinia circa Mariam paludem recensens non de alijs narrauit , quàm de Christianis.* legatur Bellarminus *tom.1. de Monachis , lib.2. cap.5.* contra nostri temporis hæreticos,qui Religiosorum vitam infectantes,quasi nouam,& priscis sæculis ignoratam. Matthæus Galenius *in lib.de origine Monastices cap.5.* Plati.*de statu Religiosorum lib.2.cap.20.& seq.* vbi citat VValdensem *de Sacramental.lib.3.cap.9.*& Aluarum Pelag.*de planctu Ecclesiæ lib.2. cap.56.* Sed ex Philone aliquid hîc adscribere licet , quod nostræ expositioni non parum inseruit. Subiicio illius verba , quæ recitat Eusebius lib.2. histor. cap.17. *Hoc in primis testatur , quòd facultatibus suis renunciauerint , ac bonis ad se pertinentibus cesserint hi , qui philosophari cœpissent , & cunctis vitæ huius curis abstinuerint , relictísque muris in agris, & hortis solitarie conuersati sint* , &c. Deinde verò succedentibus sæculis , & cùm numerus Christianorum creuisset , cœpit in ipsa duplex status sæcularium , & Monachorum , ex quibus illi in vrbibus degunt,& temporalis vitæ negotia gerunt : isti verò in claustris quietem, & à negotiis,& solicitudinibus remotam transigunt vitam.

Quorsum hæc? Iam intelligis quò tendam. Succedat memoriæ illa quinque dierum distributio , & partitio , qua mundi istius post Christi Domini aduentum durationem emensi sumus suprà *cap.* 7. §. 3. nam vbi hæc omnia tibi præstò fuerint , accommodatio erit valde facilis. Ita ergo apud te constitue Ecclesiam ex duplici illo hominum ordine coalescere , & constare , scilicet ex Religiosis , ac sæcularibus , atque adeò vtriusque exercitationes amplecti. Sed quo ordine ? Subiicio. In primæ diei vespera Christi & Ecclesiæ nuptiis initium datum fuit, scilicet sub finem antiquæ legis. Tunc ergo Christus Dominus paruam Apostolorum , ac discipulorum Ecclesiam sponsam suam (hæc enim sola tunc sponsæ nomen ferebat) ex mundana conuersatione , & temporalis vitæ curis ad sublimiorem, & perfectæ vitæ conditionem,quæ monasticæ vitæ prima exordia continuit , tanquam ex vrbe in hortum , nemúsque traduxit. In secunda die , quæ primitiuæ Ecclesiæ tempus , & ætatem repræsentauit , eadem Ecclesia sponsa Christi mansit in hortis ; quia nimirum primi illi Christiani Apostolorum exèmplo ad perfectionem inducti idem vitæ genus maiori ex parte professi sunt , aut monasticam prorsus , aut monasticæ valde similem conuersationem agentes. quod congruit omnino cum illis Philonis Iudæi verbis : *Relictísque muris , in agris , & hortis solitariè conuersabantur.* In tertia verò , & quarta die , quæ sequentes eiusdem Ecclesiæ ætates , alteram sub Martyribus , alteram sub Doctoribus adumbrat , cœpit in Ecclesia duplex ordo, sæcularium , ac Religiosorum : atque adeò appositè admodum per hosce dies à Salomone inducitur ex hortis ad vrbem progrediens,& vrbe ad hortos sese per vices referens , vtriusque scilicet vrbanæ , & solitariæ vitæ exercitationes complectens.

Quid plura ? In quinta die , cuius primum manè ætatem illam Ecclesiæ designat, in qua futura est tam gentium , quàm Iudæorum conuersio ad Christum. Vesperum autem tempus Antichristi,& extremi iudicij dies notat : manè quidem sponsa vrbem ingreditur,ibique mansitat , nec syluas repetit ad vesperum. quod certè vitæ monasticæ

ſticæ maximam relaxationem futuram tempore Antichriſti mihi repræſentat. Ita tradit Ioachinus *in cap.* 12. *Apocalypſis*, vbi aſſerit proximè ante tempus Antichriſti omnes religioſos Ordines à ſui inſtituti ſeueritate excidentes ad ſæcularium vitam, & ſtudia diſceſſuros: poſtmodum verò Antichriſto Eccleſiam perſequente, vacuanda eſſe clauſtra, & monaſteria, aliis quidem ad infidelitatem relabentibus, aliis ab eodem Antichriſto ſublatis, aliis demum in ſpeluncas, & antra fugientibus. Ad hunc ſenſum traducit Ioachimus illa verba. *Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Hæc enim, inquit, propterea cauere ſtudioſiùs iubet Chriſtus, quia ipſiſſima ſunt, quæ non ſolùm ſæcularium, ſed etiam Monachorum inſtituta, cunctis ad huius vitæ, ac ſæculi curas conuerſis, labefactatura ſunt. Accinit S. Hypolitus *in Oratione de Conſummatione mundi*, vbi de illo tempore agens inter alia ſic ſcribit. *Templa diuina domorum inſtar erunt, paſtores fient quaſi lupi, & Monachi clauſtra deſerentes expetent ea, quæ ſunt mundi.* Denique Ioachinus ad eundem ſenſum euocat illa verba *Danielis* 8. vbi de Anchriſto loquens ſic habet. *Et proſperabitur, & faciet, & interficiet robuſtos, & populum Sanctorum ſecundùm voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu eius*, &c. Quis enim, inquit, eſt *populus Sanctorum*, niſi Religioſorum cœtus, & Ordo, quem ab Antichriſto ſubuertendum vaticinatur Propheta. Ergo cùm Salomon in hoc Cantico innuit ſponſam in extrema nuptiarum die ex hortis ad vrbem progreſſam ibi manſiſſe, neque iterum ad hortos, ac nemora reducem gradum paraſſe facilè demonſtrat futurum, vt Eccleſia Dei per illud tempus Monachis aut ſublatis, aut lapſis; ad curas ſæculi, & vitæ iſtius negotia tota conuertatur.

Quòd ſi accommodatio præſcripta, quæ mihi valde probatur, tibi parum arridet, recurrat mens ad illa Oſeæ verba: *Ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem.* quæ verba gloſſa interlinearis de Eccleſia exponit, ac per ſolitudinem intelligit receſſum à mundo, & mundanis affectionibus. Ita vt ſenſus ſit: Ego Eccleſiam blandimentis alliciam, & terrenarum, temporaliumque rerum amore ad ſpiritualium dilectionem transferam. Et ſanè vt hæc interpretatio concinna ſit, ad eam ſimilitudinem nuptialis traductionis ex vrbe in hortos reuocari, & ſententia ſic conformari debet. Cùm Eccleſiam mihi ſponſam adiunxero, ſicut ſolenne eſt maritis puellas innubas ex vrbe in ſyluas transferre, & ibi nuptias cum ipſis iucundiùs agere: ita ego Eccleſiam mihi deſpondens ab hoc mundo, ac temporalium rerum dilectione ad amorem diuinarum, quaſi ex vrbe in hortos ducam, &c. Id verò vt teneas, cogitare oportet, Chriſtum Dominum eo conſilio in hunc mundum deſcendiſſe, *vt mundum* (liceat ſic dicere) *à mundo extraheret.* Ita loquitur D. Auguſtinus *tract.* 140. *in Ioannem*, id eſt, ab amore rerum temporalium ad dilectionem diuinarum transferret. *Chriſtus* (inquit) *à Deo Patre miſſus eſt, vt mundus ex mundo liberaretur.* Per eum autem mundum, à quo mundus liberandus dicitur, eos intelligit, qui viuunt ſecundùm concupiſcentias mundi; nimirum ſecundùm illas, quas Ioannes enumerauit in 1. Can. *Quidquid eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Hic eſt mundus ille, de quo idem Ioannes ait, *& mundus eum non cognouit.* Ille autem mundus, qui à mundo extractus, & ſeparatus dicitur, non alius certè in Eccleſia fidelium, atque electorum. Ita idem Auguſtinus. *Vniuerſæ hoc dicit Eccleſiæ, quam plærumque etiam Chriſtus mundi nomine compellat.* Itaque mundus à mundo ſeparatus, eſt Eccleſia è mundanis educta concupiſcentiis. de qua loquitur Chriſtus Ioan. 15. *Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Vtriuſque verò mundi differentiam paucis verbis complexus eſt Auguſtinus in eum locum. *Qui de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non inuenit: mundum redemptionis à mundo perditionis diuidens, hoc eſt, Eccleſiam ſponſam ſuam mundam, & puram, ex mundo immundo, & impuro diſcernens.* De hac ergo diuiſione, aut ſeparatione Eccleſiæ mundæ à mundo immundo loquitur Oſeas *in eum locum*, qui per vrbem, à qua in ſolitudinem deferenda ſponſa dicitur, mundanas, id eſt, eas, quæ ad mundum componendum accedunt, concupiſcentias intelligit: per ſolitudinem verò vitam accipit ab his affectionibus immunem, quam tenere debent omnes fideles, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 5. *Ne commiſceamini fornicariis*, &c. *alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.* Oſeas ergo ſic ait: *Eccleſiam ad nuptias meas inuitabo, & ducam illam in ſolitudinem*, id eſt, ex vrbe, ac multitudine in ſyluas transferam, vt ibi eam mihi ſtabili connubio adiungam: ipſam nimirum à temporalis, ac mundanæ vitæ amore ad mundi contemptum,

atque cœlestium bonorum dilectionem traducens. Itaque per hanc translationem sponsæ, id est, Ecclesiæ ex vrbe ad nemora, assumptionem eiusdem Ecclesiæ ex mundo, & mundana conuersatione, ad euangelicam vitam intelligo.

Sed quid inde? Certè iuxta eum sensum dictam partitionem nuptialium dierum, progressúsque sponsæ in vrbem, & eiusdem regressus in hortos ad Prophetiam aptare facile, ac pronum est. In prima enim die sub vesperam sponsa ex vrbe in domum syluanam, hortósque traducta dicitur: hanc autem vesperam Ecclesia in Apostolis, ac discipulis Christi exegit, qui mundum, & mundanam conuersationem deserentes, ad Euangelicæ vitæ perfectionem tanquam ex vrbe in solitudinem traducti sunt. In secunda die sponsa in hortis extra vrbem cum sponso perseuerasse fertur: ad quam diem pertinent primitiui Christiani, qui mundo etiam perfectè renuntiantes, & extra mundum facti eam, quam ab Apostolis acceperant, vitæ perfectioris normam tenuerunt, atque seruarunt. In tertia, & quarta die sponsam ex saltu in vrbem venisse, & ex vrbe in saltum rediisse per vices vespere manéque, scribit Salomon. Hæc autem dies duas futuras mundi ætates adumbrauit, in quibus Ecclesia à prioris vitæ perfectione desciscens partim extra mundum fit, in his scilicet, qui eidem mundo nuntium remittentes, Dei obsequio sese deuouent: partim in mundum transit, in illis nimirum, qui terrena sapiunt, & huius sæculi curis, atque negotiis, & amori sese impendunt: vtroque enim hominum genere Ecclesia coalescit. Denique in quinta die sponsa manè hortum deserens, vrbem ingreditur, ac vespere iam amplius non redit. quia hæc dies extremam illam mundi ætatem præ se fert, quam iudicium extremum claudet, in qua fideles in deterius abeuntes, mundi amatores erunt, & curis, atque negotiis huius sæculi se totos dedent. hanc enim futuram per illud tempus rerum conditionem satis declarant illa Christi verba Lucæ 21. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Ideò enim hæc mala cauere suadet Christus Dominus, quia eorum, quæ per illud tempus euenire oportet, maxima futura sunt. Legendus Ambrosius, & Beda *in eum locum.*

Sed quamuis hæc non insulsè dicta sint, & iuxta duas præscriptas sententias Prophetiæ ordo aptè contexatur: tamen de hac sponsæ ex vrbe in hortos translatione aliquid magis accommodatum dici posse credo. Sed quid illud? Succedat memoriæ primi hominis delictum, quod humano generi extremam perniciem attulit. Nam statim atque Dei præceptum violauit, ex ipsius Dei sententia à Paradiso pulsus, ac relegatus est. Quid tum postea? Christus Dominus Adam secundus in mundum venit, vt ad Paradisum, & ad vitam illam beatam, à qua exciderat, ipsum reuocaret. Ita docet Gregorius Nazianzenus *in orat. 1. Apolog.* vbi ea, quæ contra generis nostri vulnera Christus Dominus contulit, amuleta commemorans ita rescribit: *Idcircò lignum aduersùs lignum, & manus aduersùs manum: illæ quidem fortiter extensæ aduersùs incontinenter extensam: illæ clauis confixæ, atque constrictæ aduersùs remissam, & solutam. Idcircò sublimitas aduersùs lapsum, fel aduersùs gustum, spinea corona aduersùs prauum imperium, & mors aduersùs mortem, & sepultura aduersùs illam in terram reuersionem. Hæc omnia diuinæ cuiusdam erga nos disciplinæ loco erant, infirmitatísque nostræ veluti medicina quædam veterem Adamum eò, vnde exciderat, reducens, & ad illud vitæ lignum adducens, à quo scientiæ lignum intempestiuè, atque incommodè sumptum nos remouerat.* id est, ad Paradisum restituens, vnde illum incontinentia infeliciter extruderat. Et sanè Paradisus iste non alius, nisi Ecclesiæ orthodoxæ vita, & conuersatio Euangelica, ad quam fideles Christi Domini gratia traduxit.

Est autem valde familiare sanctis Patribus eam vitam, quam sub Christi gratia, & Euangelio degit Ecclesia, cum Paradiso conferre, & ex hac comparatione quasdam eiusdem Ecclesiæ proprias notas aucupari. S. Irenæus *contra hæres. lib. 5. cap. 20.* Ecclesiam ab hæreticorum doctrina abstinere ex Paradisi collatione persuadet. *Plantata* (inquit) *est Ecclesia tanquam Paradisus in hoc mundo: ab omni ergo ligno Paradisi escas manducabis, ait Spiritus, id est, ab omni scriptura Dominica manducate, neque tetigeritis vniuersam hæreticam dissensionem: ipsi enim confitentur semetipsos agnitionem habere boni, & mali,* &c. Et post pauca: *Ne illorum manducantes agnitionem, eam scilicet, quæ plus quàm oportet sapit, proÿciamur de Paradiso vitæ, in quem Dominus inducit eos, qui obediunt præconio eius, recapitulans in se omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt,* &c.

D. Cyprianus in numeranda arborum pomiferarum multitudine, qua Paradisus erat consita, cunctos Christi fideles contemplatur, & per quatuor flumina eas arbores irrigantia

irrigantia totidem Euangelia, quæ aquis Baptiſmi ſcaturientia ab Eccleſia ſterilitatem remouent. *Eccleſia* (inquit) *Paradiſi inſtar exprimens, omnes arbores fructiferas intra muros ſuos intus includit: has arbores rigat quatuor fluminibus, id eſt, Euangelijs quatuor, quibus Baptiſmi gratiam ſalutaris cœlesti inundatione largitur.* Aliquid etiam de his Baptiſmi aquis ſuppeditat nobis D. Auguſtinus *in lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1.* vbi ſic ait: *Eccleſia Paradiſo comparata indicat nobis poſſe quidem eius Baptiſmum homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel accipere, vel tenere.* & plura ſubdit in hanc ſententiam.

Rurſus idem Auguſtinus *de ciuitate, lib. 13. cap. 21.* iterum Eccleſiam cum Paradiſo confert, & ſingula, quæ in Paradiſo erant, venuſtè admodum accommodat. *Poſſumus* (inquit) *hæc eadem in Eccleſia intelligere, vt ea melius accipiamus tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradiſum, ſcilicet ipſam Eccleſiam; quatuor autem Paradiſi flumina quatuor Euangelia, ligna fructifera Sanctos, fructus autem opera eorum, lignum vitæ Sanctum Sanctorum vtique Chriſtum, lignum ſcientiæ boni & mali proprium voluntatis arbitrium.* Quid plura? Idem Auguſtinus *de Geneſi ad literam lib. 12. cap. 34.* Paradiſum Eccleſiæ vmbram fuiſſe dicit, propter voluptates, & delitias; ſic enim habet: *Omnis ſpiritualis regio, vbi animæ bene eſt, meritò Paradiſus dici poteſt: nam etiam in ipſo homine lætitia bonæ conſcientiæ Paradiſus eſt. Vnde & Eccleſia in Sanctis temperanter, iuſtè, ac piè viuentibus Paradiſus rectè dicitur, pollens affluentia gratiarum, caſtiſque delitijs: quandoquidem & in tribulationibus gloriatur de ipſa patientia plurimum gaudens, quia ſecundùm multitudinem dolorum in corde conſolationes Dei iucundant animam eius.* Sed reticenda non ſunt alia verba, quæ Auguſtinus *in eodem lib. cap. 28.* ſcribit ad hunc modum: *Eccleſia* (inquit) *quæ nos congregat in charitatis ſinu, Paradiſus dicta eſt. Sed hoc figuratè dictum tanquam in illa Paradiſo, vbi propriè fuit Adam, Eccleſia figurata ſit per formam futuri. Nam diligentiùs conſideranti ſtatum occurrit in illa Paradiſo corporali, in qua Adam corporaliter fuit, iſtam vitam Sanctorum figuratam, quæ agitur in Eccleſia.* Mitto alios, & alios Patres, qui hanc eius vitæ, & conuerſationis, quam fideles in Eccleſia ſub Euangelio, & Chriſti Domini gratia degunt, Paradiſique ſimilitudinem paſſim recolunt, & vſurpant.

Sed quid inde? Inde certè ad explicandam illam traductionem ſponſæ ex vrbe in hortum, quam pro celebrandis nuptiis iuxta morem tam Hebræorum, quàm Gentilium effectam ſæpe diximus, procliuis ſternitur via. Et ſanè aliquid mihi nunc occurrit, quod ad ea, quæ ſuprà *cap. 3. §....* tradidimus, addi, & apponi poſſit: ibi enim docuimus pleraſque ceremonias, ac ritus nuptiales, qui communes erant Hebræis, atque Gentilibus, ab ipſomet Adamo fluxiſſe, qui non ſine afflatu Dei celebrandarum nuptiarum modum, & formam poſteris ſuis præſcripſit, qui futura Chriſti, & Eccleſiæ connubia (quorum ipſe primus Vates fuit, vt inibi etiam monuimus) expreſſiùs adumbrarent. Ergo eidem coniecturæ innixus addo morem iſtum celebrandi nuptias in hortis, qui in vtroque populo Gentili & Hebraico tam ſolennis fuit, vel ab ipſo Adamo poſteris traditum, vel ab eiſdem poſteris eo conſilio cœptum, ſeruatúmque deinceps fuiſſe, vt priores illas Adæ, atque Euæ nuptias in Paradiſo voluptatis, Deo inſtituente, initas in ſuis connubiis retractarent, atque exprimerent. Ergo vt ad rem noſtram propiùs accedamus,

Primò illa Oſeæ verba hunc ad ſenſum vocanda eſſe cenſeo. *Ecce ego lactabo eam, &* (vt de more eſt his, qui ſponſas ducunt) *ducam eam in ſolitudinem*, id eſt, in ſaltum amœniſſimum ex vrbe, *loquar ad cor eius*, &c. Nam idem Oſeas quid nomine ſolitudinis ſibi velit, ſtatim aperit ſequentibus verbis: *Et dabo ei vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Atqui Achor nihil differt ab Engaddi, vt oſtendam infrà *cap. 1.* ad illa verba: *In vineis Engaddi.* Erat autem Engadditanus ſaltus ante alios amœnus, & aromatum, aliorúmque fructuum valde ferax. Ad cuius amœnitatem, & delitias reſpiciens Chaldæus, extrema illa verba, *ad aperiendam ſpem*, ſic extulit: *ad delitias animæ.* Et ſubinde attexit Propheta: *& canet iuxta dies iuuentutis ſuæ, & aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.* Et ſtatim ſubiungit: *& deſponſabo te mihi in ſempiternum*, &c. Cùm huius allegoriæ contextus, tam qui antecedit, quàm qui inſequitur, ad nuptias pertineat, certè ea, quæ interſeruntur verba, ad eandem allegoriam referri debent: atque adeò illud, *canet iuxta dies iuuentutis ſuæ*, &c. de nuptialibus cantilenis accipienda eſſe puto.

Adſcribenda hîc Hebræorum obſeruatio: nam Helias in Thisbe ex aliorum ſententia docet, ſaltum illum Engadditanum, ſeu vallem Achor Iudæorum vulgari ſermone

mone appellari solitum *Edem*, id est, Paradisum, scilicet ob exaggerationem amœnitatis: atque illa verba Moysis *Genes.* 13. qui Sodomæ, & Gomorrhæ delitias describens, ait: *Eleuatis oculis Loth vidit omnem circa regionem*, &c. *sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* Quo in loco per Paradisum Domini prædictum saltum Engaddi, seu Achor intelligendum esse dicunt. ita vt sensus. Omnis illa regio Sodomæ, atque Gomorrhæ feracitate, & amœnitate non erat inferior Engatica sylua: nec cedebat etiam ei Ægypti plagæ, quæ occurrit euntibus in Segor. Et quidem priorem collationem in eo loco non fieri cum Paradiso illa felici, in qua homo ab initio conditus est, facilè demonstrat posterior. Esset enim valde inelegans, ne dicam turpe vnius orationis decrementum, si postquam regio illa cum Paradiso voluptatis collata fuerat, statim cum Ægypto componeretur.

His ergo præsuppositis, verba Oseæ ad Ecclesiam translata hunc sensum reddunt. Ego (inquit Deus) Ecclesiam connubiali vinculo mihi adiungam, & vt mos fert nubentium, *ducam eam in solitudinem*, nimirum *in vallem Achor ad aperiendam spem*, seu *ad delitias animæ*, hoc est, in saltum Engadditicum hortorum amœnitate valde nobilem, qui propter eximiam amœnitatem *Edem*, id est, *Paradisus Domini* vulgò appellari solet. Luculentiùs dicam. Ecclesiam meam, quæ ob protoparentis culpam à Paradiso pulsa est, ego Paradiso restituam; non quidem illi corporeæ, atque visibili, in qua homo formatus fuit, sed alteri spirituali, atque inuisibili. Id est, transferam illam ad eam sanctam, piam, & honestam conuersationem, & vitam secundùm fidem, & Euangelium, quæ Paradisi delitias facilè superat, vt nuper ex Augustino confecimus. Sicut enim earum nuptiarum, quas Adamus contraxit cum Eua, locus fuit Paradisus: ita etiam illæ, quas Christus celebrauit cum Ecclesia, in Paradiso actæ sunt, vt res suæ figuræ, & corpus vmbræ responderet. Huc fortasse spectauit Ambrosius *in Psalm.* 118. *serm.* 1. vbi sic habet. *Sancta Ecclesia, quæ in primordijs mundi desponsata fuit in Paradiso*, id est, cuius nuptiæ per Adami atque Euæ matrimonium in Paradiso copulatum adumbratæ sunt. quæ verba non solùm nuptias Adæ, atque Euæ, sed etiam locum ipsum, in quo celebratæ fuerunt, ad significationem nuptiarum Christi, & Ecclesiæ pertinere significant: vt quemadmodum nuptiæ nuptiis, ita etiam locus loco respondeat. In eundem sensum recidunt alia eiusdem Ambrosij verba *in lib. de Cain & Abel*, vbi expendens illud, *Veni in hortum meum soror mea sponsa*, &c. *Comedi fauum cum melle meo*, &c. sic addit. *In horto, hoc est, in Paradiso est connubium Ecclesiæ, vbi erat prius Adam, quàm peccatum committeret; vbi recumbebat Eua, priusquam culpam crearet, ac pareret.* quibus verbis significat ideò conuiuium, quod agitur in nuptiis Christi & Ecclesiæ, in horto exhibitum dici à Salomone, vt per hortum Paradisum significaret, innuens scilicet eam innocentiam ad cœleste conuiuium nos afferre debere, qua Adamus Euaque in Paradiso ante lapsum prædicti fuerant.

Hinc liquet iam quid significet in hoc Cantico translatio sponsæ ex vrbe in hortos, & syluas, iuxta sensum Propheticum: propriè enim designat eam, quam hactenus diximus, Ecclesiæ ad Paradisum, ex qua olim pulsa fuerat, reuocationem, & restitutionem per Christum factam: qui nimirum ex infelici, & ærumnosa vita, quam priùs degebat, ad beatam aliam conuersationem sub gratia, & Euangelio ipsam transmisit: quæ conuersatio Paradisi delitias, & felicitatem non æmulatur tantùm, sed etiam vincit. Sed quid notant, inquies, progressus illi sponsæ in vrbem, & reditus eiusdem in hortos per vices facti, iuxta præfatam expositionem? Respondeo in parabolicis allegoriis, qualis est hæc, in qua versamur, non esse necessarium, vt singula membra, partesque spirituali sensui aptentur, vt circa plærasque Euangelij parabolas Patres animaduertunt. Tamen ne quid requiras in hac expositione, sic aio. Traductio sponsæ in hortum facta in prima nuptiarum die sub vesperum denotat vocationem Apostolorum, ac Discipulorum Christi ad perfectam obseruationem Euangelij, quæ continet perfectam significationem Paradisi, iuxta illa verba August. suprà adscripta. *Ecclesia in Sanctis temperanter, iustè, ac piè viuentibus Paradisus est, pollens affluentia gratiarum, castisque delitijs: quandoquidem & in ipsis tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gaudens*, &c. Subdit autem statim Augustinus huius beatissimæ vitæ exemplum in Apostolis, & primitiuis Christianis, ad quos spectat secunda nuptiarum dies, quam sponsa in horto transegisse dicitur, delitiosè conuersans cum sponso suo, ad significandam eam, quam diximus, primitiuorum fidelium sanctam, perfectamque viuendi rationem, delitias etiam Paradisi perfectè imitantem. In tertia verò nuptia-

rum

rum die, quæ duodecim Eccleſiæ perſecutiones includit; & in quarta, quam Doctores eiuſdem Eccleſiæ aperuerunt, & in qua (ſi Deo placet) adhuc verſamur, ſponſa ab hortis in vrbem, & ab vrbe in hortos ire, ac redire dicitur; quia nimirum in his duabus ætatibus, ſeu diebus, Eccleſia poſtquam ab illa ſanctiori, & perfectiori conuerſatione ad aliud vitæ genus remiſſiùs, & imperfectiùs delapſa fuit, non integram, ſed quaſi dimidiatam felicitatem habuit in Paradiſo, & extra Paradiſum agens, hoc eſt, à Paradiſo excedens, & ad ipſam per vices rediens. Denique in quinto die ſponſa hortum deſerens vrbem ingreditur, ibique manſitat, nec iam ſub veſperum ſyluas repetit, quia illud veſperum ad extremos conſummationis mundi dies pertinet, in quibus Eccleſia, vacillante fide, & charitate refrigeſcente, à ſtatu priſtinæ felicitatis ad miſeram conditionem decidet, & pro delitiis Paradiſi, ærumnarum, & calamitatum genus omne experiri cogetur.

CAPVT XII.

Cœnæ nuptiales quater repetitæ, & in horto exhibitæ, in hoc libro quid propheticè ſignificent.

EX his, quæ diximus ſuprà *cap.* 3. §.... conſtat quinque nuptiarum dies ita partiri, ac diſtribui in hoc libro, vt priores quatuor ſinguli ſingulas cœnas nuptiales ſub veſperum exhibitas contineant; quintus autem cœna careat, quia nimirum nuptiæ in huius diei manè terminantur, ita vt ad veſperam illius non perueniant. Conſtat etiam dictas cœnas datas in horto, aut nemore, vbi nuptiæ iſtæ celebrari feruntur. Nam tertio, & quarto die, quibus ſponſa ex horto ad vrbem procedit, eiſdem diebus veſpertino tempore in hortum ad cœnam celebrandam redire dicitur, vt ab hoc reditu initium accipiunt illorum dierum Epithalamia veſpertina, vt in eo loco adnotauimus. Quapropter in hoc capite videri oportet primò, quid notent quatuor cœnæ quatuor prioribus diebus repetitæ: deinde quid ſignificet tempus, quo exhibentur, ſcilicet veſpertinum: rurſus quid ſibi velit locus, in quo dantur, nempe in horto, aut in nemore: ac demùm cur quintus, & extremus nuptiarum dies ſine cœna abeat. De ſingulis aliquid dicam.

Suprà *cap.* 6. §. 3. & *cap.* 7. §. 1. & alibi non ſemel ex communi Patrum ſenſu docuimus per nuptiales cœnas in hoc libro Euchariſtiam notari. Nam quamuis aliquando per dictas cœnas totius Scripturæ ſacræ lautam menſam, aliquando etiam ſolius Euangelij magnificas dapes accipere Patribus non ſit inſuetum, iſtæ tamen interpretationes accommodatitiæ ſunt. Ad ea igitur, quæ huius loci ſunt propria, veniens aio primum Euchariſtiæ ſacramentum epulum nuptiale propterea meritò dici, & compellari, quia ſicut ad nuptiales epulas non ſolent euocari alij niſi amici, & familiares ſponſi: ita etiam ad ſacram Synaxim illis tantùm accedere integrum eſt, qui amici ſunt Dei, & gratiam illius inierunt, recti nimirum, ac iuſti homines.

De repetitione verò cœnæ quatuor prioribus diebus facta, non vno modo ſentire licet. In primis enim aliquis ita ſecum ſtatuere poſſet, per dictam cœnarum iterationem futuram in Eccleſia ſacræ Euchariſtiæ frequentiam non adumbrari tantùm, ſed etiam perſuaderi. Ita enim conſtat olim à primitiuis fidelibus piè ac religiosè obſeruatum, qui per ſingulos dies ſacrum iſtud conuiuium ſumebant, vt conſtat ex illis verbis, Actorum 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis*, quam frequentiam ab ipſomet Chriſto commendatam volunt grauiſſimi quidam Patres, ad illa verba orationis Dominicæ: *Panem noſtrum quotidianum*, &c. hi ſunt Ambroſius *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 4. & Auguſtinus *ſermone* 28 *de verbis Domini. & lib.* 4. *contra duas Epiſt. Pelag. cap.* 9. Tertullianus *in lib. de Oratione.* Hieronymus *in Matth. cap.* 6. Cyprianus *ſermone* 6. *de oratione Dominica.* Hilarius *in cap.* 6. *Matth.* atque alij non pauci. Et ſanè libenter acquieſco, ac boni conſulo, per quatuor illas cœnas frequentem Euchariſtiæ vſum in Eccleſia notari in hoc libro: tamen non ita, vt temporis alicuius ſignati, qualis fuit in primitiua Eccleſia, aut quorundam hominum pietate inſignium vſus ſpecialis in ſingulos dies communicandi ſignificetur: ſed ita, vt totius in vniuerſum Eccleſiæ hoc ſacrum conuiuium

uium singulis diebus instaurandi, ac repetendi designetur consuetudo. Puto enim Ecclesiam non solùm id habere in promissis, vt scilicet istud sacrificium vsque ad sæculi extremum tempus nunquam in illa desiderandum sit: sed etiam quòd nulla dies sit abitura, in qua id non offeratur, atque libetur. Hunc enim sensum inesse puto illis verbis Matth. vltim. *Ego autem vobiscum sum in omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, quæ de præsentia Christi in Eucharistia à Patribus interpretari solent, vt infrà dicam. Nam illud, *omnibus diebus*, notanter à Christo dictum puto, vt significaret nullam futuram diem, in qua Eucharistiæ libatio non repetatur, eiúsque in illa præsentia non instauretur. Addo etiam eodem sensu donari posse illa verba orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quia dum quotidianum appellat, facilè demonstrat ita institutum, vt in singulos dies suppetat: atque adeò cùm recitamus illa verba, id certè petimus, vt panis ille, qui alioqui ideò quotidianus est, quia quotidie in Ecclesia offertur, nullo die non adsit, ac suppeditet, quotiescunque nobis illo opus fuerit. Ergo si hæc ita credamus, vti credenda esse certissimè sentimus, fas erit dicere per istas cœnas in singulos nuptiarum dies exhibitas, hanc iugem, perpetuam, & nullo die non repetitam Eucharistiæ oblationem propheticè denotari.

Sed tamen, quia hîc quatuor nuptialium dierum numerus non exæquatur temporis labentis diebus singulis, sed quatuor sæculis, aut ætatibus mundi (vt sæpiùs adnotauimus) quamuis non renuam ea similitudine aliquid etiam ad dies singulos pertinens designari posse: tamen germana, & genuina magis significatio est generalis, & in vniuersum, nimirum innuens totis illis quatuor ætatibus, aut diebus mundi decurrentis perennem ac iugem futuram esse in Ecclesia Dei Eucharistiam. Cæterùm vt teneas quàm appositè hæc cœnarum significatio in rem ipsam quadret, aliquid præfari oportet. In primis illud certum, & constans est apud Patres, Eucharistiæ cœleste conuiuium iuge, ac perpetuum in Ecclesia futurum esse. Ex illis autem non pauci hunc ad sensum euocant illa verba Matthæi, *Ego autem vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Nam quamuis alij locum istum de præsentia morali exponere soleant, per quam Christus Ecclesiæ suæ affuturum se pollicetur, opem, & auxilia illi assiduò suppeditans: tamen plures etiam de illius reali, & vera præsentia in Eucharistia interpretantur. hi sunt Ambrosius *in cap. 5. Lucæ*. Clemens V. *in Concil. Viennen. & in Clementina vnica, de Reliquijs & veneratione Sanctorum*. Innocentius III. *lib. 4. de mysterio Missæ, cap. 44*. S. Laurentius Iustin. *in sermone de Eucharistia*, Lyra, & Iansenius, & alij noui interpretes *in eum locum*.

Eodem sensu donanda sunt illa verba Danielis cap. 12. *Et à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis*. & cap. 8. *Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit iuge sacrificium*. & infrà. *Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium*, &c. & iterum, *Vsquequò visio, & iuge sacrificium*, quibus verbis, quatenus Eucharistiam *iuge sacrificium* toties appellat Daniel, illius perennem, ac perpetuam in Ecclesia durationem facilè demonstrat. Addunt Pintus & Pererius *in ea loca*, propterea fortasse iugis sacrificij nomen Eucharistiæ inditum fuisse; quia cùm religio Christiana per totum latè orbem sit propagata, ac Sol, nunquam non aliquam Ecclesiæ partem suis collustret radiis, ita vt alicubi semper successiuo decursu dies incipiat: inde fit (inquiunt) vt nulla sit hora, imò nullum alicuius horæ momentum, in quo Eucharistia non immoletur: eapropter *iuge*, id est, continuum, & nunquam intermissum sacrificium appellatur; huic coniecturæ neque repugno, neque succenseo.

Cæterùm Eucharistiæ sacramentum in Ecclesia ad sæculi vsque consummationem ita iuge, ac perenne futurum, vt tamen ante mundi finem per aliquod temporis interuallum omnino eius in Ecclesia defectus futurus sit, docet expressè D. Irenæus *aduersùs hæreses lib. 5. cap. 25*. qui de Antichristi aduentu intelligit Danielis verba cap. 9. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*. Vbi asserit per tres annos, & menses sex futurum, vt in Ecclesia Dei Eucharistiæ sacrificium deficiat; quia nimirum Sacerdotes sancti, qui illud offerunt, ab Antichristo in fugam vertendi, aut de medio tollendi sunt. Et sanè, quamuis hæc verba Danielis, & alia, quæ nuper ex eodem produxi, secundùm literam de excidio Hierosolymitano accipi debere plures sentiant: tamen illa de Antichristo etiam ad literam exponenda esse non dubito. Nam Christus Dominus *Matth. 26.* cùm discipuli ita rogassent: *Dic nobis*

quando

quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Subiecit Saluator: *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta*, &c. Prædixerat nuper Christus desolationem templi, illis verbis: *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et occasione inde arrepta, discipuli de duobus simul edoceri à Christo postularunt, de tempore, quo templum desolandum; & de secundo aduentu Christi, & mundi consummatione. Atque vno, eodemque orationis filo vtrique interrogationi Christus satisfecit, ita nimirum verba temperans, & conformans, vt quæ de Hierosolymitano excidio prædicebat, eadem de sæculi consummatione intelligi vellet, significans vtique futurum, vt ea, quæ in vna vrbe Hierosolymitana paulò pòst euentura erant, ipsissima sub finem sæculi in euersione totius mundi contingerent, atque adeò ex vno alterum coniici posse: & vlteriùs ea subiiciens, quæ specialiter in mundi consummatione accidere oportebat. Ita sentiunt ex Patribus, Gregorius Magnus, Hieronymus, Beda, Chrysostomus, Euthymius, & alij non pauci. Quapropter ipsemet Christus testimonio suo satis innuisse videtur, Danielis prophetiam non tantùm de subuersione Hierosolymitana, sed etiam de extremo mundi excidio intelligi debere. Sunt etiam qui putent Danielem de sola mundi consummatione, & de Antichristo vaticinatum fuisse. In his Hilarius, & Author Imperfecti. quam sententiam haud refelli debere existimarunt D. Hieronymus, & Beda, & ex recentioribus Maluenda *de Antichristo lib. 8. cap. 9.* & Pinetus *in cap. 8. Danielis*, & alij. Sed tamen prior sententia accommodatior videtur: vt nimirum Prophetam vtrumque, mundi scilicet, ac Hierosolymæ excidium eisdem verbis prænunciarit.

Ad hæc, sub finem mundi per aliquod tempus sanctum Eucharistiæ sacrificium in Ecclesia non futurum docent expressiùs Author operis imperfecti *in Matthæum, homil. 49.* S. Hippolytus *de mundi consummatione.* Ephrem Syrus *in sermone de Antichristo.* Adde etiam D. Hieronymum *in cap. 9. Danielis*, vbi S. Hippolytum citat, & ex illo ad hunc modum scribit: *Hippolytus nouissimam quoque hebdomadam ponit in consummatione mundi, quam diuidit in Heliæ tempora, & Antichristi, vt nimirum tribus & semis annis vltimæ hebdomadæ Dei notitia confirmetur, de qua dictum est: Confirmabit pactum multis hebdomada vna, & tribus alijs annis sub Antichristo deficiet hostia, & sacrificium,* &c. Rursus idem S. Hieronymus magis accommodatè ad eam, quam versamus nuptiarum similitudinem, eandem doctrinam tradit *in cap. 1. Ioëlis*, vbi ad illa Prophetæ verba. *Plange ad me super sponsam accinctam cilicio, & super virum suum virgineum. Ablatum est sacrificium, & libatio de domo Domini: lugete sacerdotes de domo Domini, quoniam desolati sunt campi: lugeat terra, quoniam afflictum est triticum, & aruit vinum,* &c. (data opera adscripsi translationem Septuaginta, hanc enim interpretatur Hieronymus,) qui subinde postquam præfata verba de Iudæis ante Saluatoris aduentum exposuit, ita subnectit. *Possumus eadem & post aduentum dicere Saluatoris*, ac primùm interpretatur de Hierosolymitano excidio, ac denique ad sæculi consummationem transfert, hoc modo: *Postquam sponsa* (id est, Ecclesia) *quæ receperat doctrinam Domini, & probyssinis, lineísque vestibus cilicio circundata, hoc est, habitum lugentis admiserit, tunc peribit sacrificium,* &c. Et breui interstitio. *Auferetur autem sacrificium, & libatio de domo Domini, quando multiplicata iniquitate refrixerit charitas multorum, & principes populi, ac ministri altaris viderint populos, & plantas credentium fructus non afferre virtutum, sed omnia vitijs inhorrescere, quando frumentum, & hordeum, vineasque, & oleum, eruca, locusta, bruchus, rubigo consumpserit, & nequaquam habuerimus calicem, de quo scriptum est: Et calix meus inebrians quàm præclarus est.* Hæc Hieronymus, qui consectariè mundi iam iam intereuntis extrema tempora latissimè describit. Attingit autem alteram rationem, ob quam fortasse eo tempore sacramentum Eucharistiæ deficiet in Ecclesia Dei, scilicet ob defectum materiæ ad consecrationem idoneæ. Nam cùm inter alia illius temporis mala numeretur fames, *& erunt pestilentiæ, & fames*, &c. veritati perquam simillimum est, frumentum, ac vinum omnino tunc non futurum, ex quibus fiat consecratio.

Denique si cum Hieronymo sentiamus Ioëlem Prophetam de mundi consummatione locutum, quod non parum suadent consequentia eiusdem Vatis verba: nam *cap. 2. sub finem*, iudicij extremi formam describit ab illis verbis: *Et dabo prodigia in cælo*, &c. (ego enim propè sum, vt existimem eandem esse rationem Ioëlis, atque Danielis, vt nimirum vterque vno eodémque orationis filo de mundi subuersione, & de excidio Hierosolymitano ad literam exponi debeat.) Si, inquam, hæc interpretatio

idonea sit, appositè admodum Propheta Ecclesiam veluti sponsam affatus suadet illi, vt depositis nuptialibus indumentis, assumat mœroris insignia, quibus nuptiarum celebritas cum conuiuiis tota simul absoluitur. De hoc luctu, quem, Eucharistia cessante, Ecclesia suscipiet, S. Hippolytus sic scripsit: *Lugebunt tunc etiam Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ instar tugurij erunt, pretiosúmque corpus, & sanguis Christi non extabit in illis diebus, liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit.* Denique S. Ephrem Syrus *loco cit.* sic habet: *Lugebunt Ecclesiæ Christi vniuersæ luctu maximo, eo quòd amplius Deo non offeratur oblatio diuina, & sanctificatio, sanctorúmque Sacerdotum cessabit ministerium.* Aliqui affirmant sacrificium hoc, ac cœleste conuiuium publicè tantummodo cessaturum, non tamen priuandam Ecclesiam eo solatio, vt sicut olim vigente Imperatorum persecutione in cryptis, ac spelæis sacerdotes Christi rem diuinam agebant: ita etiam per illud tempus corporis, & sanguinis Christi immolationem in subterraneis, aut in desertis locis secretò peragant. Sed tamen Patres suprà citati iuge sacrificium eo tempore cessaturum absolutè pronunciant. Nec video cur extrema illa calamitas, de qua dictum est, *& erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio*, cum antiquis Ecclesiæ cladibus conferri debeat, vt propterea Ecclesia eo solatio omnino priuanda non sit.

Recurrat igitur memoria ad ea, quæ nuper dixi, scilicet quinque nuptiarum dies ita distribui in hoc Cantico, vt in primo, secundo, tertio, & quarto nuptialis cœna exhibita dicatur: in quinto verò nuptiis matutino tempore finitis, ac perfectis, vesperi cœna nulla sit. Manifesta enim est similitudinis assumptæ cum re significata concordia, & concentus: nam cùm dies isti cunctas Ecclesiæ ætates repræsentent, repetitio nuptialis cœnæ per priores dies ad vesperum facta sacratissimæ Eucharistiæ perennem, ac iugem oblationem in Ecclesia ad extremos vsque sæculi dies perduraturam adsignificat: defectus autem eiusdem cœnæ ad vesperam quintæ diei præsagium etiam est rei futuræ; significat enim circa mundi finem, qui per vesperam præfatæ diei adumbratur, cessaturum in Ecclesia Dei Eucharistiæ sacrum, ac cœleste conuiuium, vt ex communi Patrum sensu hactenus confecimus: siue, quia sacerdotes fugandi sunt, vt ait Irenæus: siue, quia materia idonea ad consecrationem non suppetet, vt tradit Hieronymus.

Cœnarum nuptialium vespertino tempore exhibitarum prophetica significatio.

§. Vnic.

SEcundò illud etiam mystica significatione non vacat, quòd ad notandum sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, non matutina, aut meridiana prandia, sed cœnæ nuptiales vespertinæ, siue nocturnæ adhibentur. Et quidem nuptialia conuiuia priscis temporibus cœnas nocturnas fuisse Scriptura ipsa passim affirmat. Item Eucharistiam à sanctis Patribus *cœnam Domini* vulgò appellari nemo nescit, & cum cœna nuptiali collatam sentiunt omnes illi quotquot ea verba Matthæi, *Homo quidam fecit cœnam magnam*, &c. de Eucharistiæ sacramento interpretantur, ac cuncti ferè expositores huius Cantici *cap. 2. vers. 4. cap. 5. vers. 1.* & alibi, quos suis locis producemus. Quapropter nunc videre oportet, cur Eucharistia cum cœna noctu exhibita conferatur. Nodus iste facilè admodum expediri posset, si quis diceret, ideò Eucharistiam cœnam appellari, quia à Christo Domino de nocte instituta fuit post datum, exhibitúmque legale obsonium. Sed tamen id nostræ quæstioni non facit satis: nam quatuor cœnæ nuptiales, quæ in hoc Cantico describuntur, non eam tantùm Christi Domini cœnam adsignificant, in qua sui corporis mysteria primus libauit, sed perennem eorundem mysteriorum vsum ex tunc & deinceps in Ecclesia Dei adumbrat: atque adeò quæstioni aliter occurrendum est.

Theophylactus ad illa verba Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam*, obseruauit pro cœna ibi subesse δεῖπνον, quæ vox cœnam sub nocte exhibitam adsignificat. sic autem infert, δεῖπνον *appellauit œconomiam istam, quia extremis temporibus, & fermè sub occasum sæculi Christus venit.* Quia verò Matthæus *cap. 22.* eandem cœnam perscribens ait: *Simile factum est regnum cælorum homini qui fecit nuptias filio suo.* & infrà: *Ecce prandium meum paraui*, &c. vbi pro *prandio* in Græcis occurrit vox ἄριστον, quæ dapes matutino tempore sumptas propriè significat, vulgò *almuerzo*. idem Theophylact. id obseruans ita subscripsit, ἄριστον *hîc appellat, quod apud Lucam* δεῖπνον, *non sine ratione.*

δεῖπνον

δεῖπνον *enim*, (id est, cœna) *dicitur, quia postremis temporibus, & ad vesperum, siue in fine sæculorum hæ nuptiæ perfectæ apparuerunt.* ἄριστον *autem, quoniam prioribus temporibus, licèt obscuriùs*, (scilicet per vmbras, ac figuras,) *fuit patefactum.* Hæc Theophylactus satis acutè, qui totum sæculi labentis tempus à prima mundi conditione ad finem vsque vnam diem constituit, eiúsque manè ad ea tempora refert, quæ Christum præcesserunt: vesperum autem ad eam ætatem reuocat, quæ Christum insecuta est: & ideò ἄριστον & δεῖπνον, prandium videlicet, ac cœnam illi tribuit.

Quapropter licèt hęc expositio in verba Christi Domini, qui vnam tantùm nuptiarum diem, atque vnam tantùm cœnam numerare videtur, haud ineptè cadere possit: tamen in Canticum istud quadrare nullo modo potest, in quo plures dies, ac plures cœnæ, quinque nimirum dies, & cœnæ quatuor recensentur. Quamobrem dico vocem illam ἄριστον ferè pro prandio matutino sumi solitam: tamen nonnunquam per extensionem vocabuli ad cœnam vespertinam significandam assumi, vt obseruauit Stukius *lib. 1. antiq. conuiuial. cap. 7.* & videtur eius vocis vsus pro cœna reperiri *Luc. 11.* vbi sic habes: *Rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se.* & subinde: *Cœpit apud se reputans dicere, quare non baptizatus esset* πρὸ τοῦ ἀρίστου, id est, *ante prandium.* Hæc autem inuitatio non fuit vtique pro ientaculo, imò nec pro aliquo epulo meridiano: Hebræi enim meridianas dapes, aut nullas, aut certè leuissimas de more sumebant, vespere autem lautiùs cœnabant: atque adeò credibile est Christum Dominum à Pharisæo non nisi ad lautam mensam, atque adeò ad cœnam euocatum. Quapropter cogitandum est tum hîc, tum etiam *Matth. 22.* ἄριστον non pro ientaculo, sed pro cœna vsurpatum fuisse. Et sanè id nominis tum vel maximè cœnis datum puto, cùm ad illas veteres ieiuni veniebant in his diebus, quibus ex obseruantia ieiunabant. Nam verbum ἀριστάω, quod ex illa fluit, propriè significat id, quod apud nostrates dicitur *desaiunarse.*

Id verò mystica significatione non vacat: nam quispiam ita comminisci posset, conuiuium illud nuptiale ἄριστον appellatum apud Matthæũ, quia quamuis in ea parabola sub eo nomine vespertina cœna notetur: hęc tamẽ vmbra erat Eucharistię, quã postea fideles manè ieiũni quasi pro ientaculo sumere, & ad eam ieiuni venire consueuerũt.

Vlteriùs etiam addo, illa duo nomina δεῖπνον atque ἄριστον, quæ in locis præfatis ad Eucharistiæ sacrum conuiuium significandum adscripta sunt, valde nata & apposita esse, si vtrius etymologia obseruetur. In primis enim ἄριστον quidam dictũ putant quasi *optimum*; ea enim est eius vocis magis obuia significatio. Reddunt autẽ rationem, quia cibus à ieiunis, & famelicis sumptus optimus, & maximè salubris est. An non cibus est omnium optimus, ac saluberrimus Eucharistia? Alij rursus etymologiam illius nominis deriuant à voce ῥᾴστον, id est, *facile*, ita vt litera α, sit paragogica, quia nimirum facilè parantur: ad ientaculum enim nõ exquisita, sed obuia, & facilia adhiberi solent. Quid autem paratu facilius, quàm Eucharistiæ epulum, quod Sacerdos verbis tantummodo conficit, conditq; suis? Stukius Homeri interpres ἄριστον ex voce ἄρης, ηος, id est, *Mars*, deriuandum putat, ita vt ἄριστον perinde sit ac Martiale, quia nimirum primo manè militibus bellum gerentibus ad cõfirmandas vires dabatur. Nam apud veteres matutinas epulas solis militibus præliũ iam iam cõmissuris carpere sine probro licebat, vt tradit, probatq; præmissus Stukius *loco cit.* Videndus etiam *lib. 1. cap. 2.* vbi de militari prandio non pauca scrit. Quid autem militari, seu Martiali prandio magis adsimile, quàm Eucharistiæ conuiuium, quod ad omnia pugnarum discrimina animum hominis robustũ præstat; siue ad ea, quæ cum internis affectionibus, ac viribus; siue ad ea, quæ cum externis aduersariis committi solent: adeò vt quemadmodũ solis militibus licebat olim sine probro ἄριστον capere: ita etiã his tantùm sine piaculo Eucharistiam sumere integrũ sit, qui prędictã virtutis militiã seriò exercent. Quomodo autem Eucharistia sit militare conuiuium, haud perfunctoriè diximus ad Prouerb. Salomonis *cap. 9. v. 2.* & *c. 23. v. 1.*

Sunt etiã nonnulli, qui præfatæ vocis originem à precibus trahunt, quas Græci ἀρὰς appellant; quia nimirum non nisi præmissis precibus ad illud accedere oporteat: ita scilicet, vt ἄριστον sit quasi precariũ. sic Stukius *loco cit.* Huius autem etymologiæ quàm sit apta accommodatio ad sacras epulas, nullus non videt. Item Suidas ἀπὸ τῆς ἀρίστης dictum putat, id est, *ab strenuitate*, quia nimirũ ientaculum strenuos, expeditósque ad agendum reddit sumentes, quos ieiunium dissoluit, atque elidit. Hæc autem est nota satis Eucharistię vis, quę homines ad bene operandũ strenuos, atque expeditos efficit.

Denique alij ἄριστον dictum existimant quasi ὥριστον, id est, *tempestiuum*, quod scilicet definitum tempus, ac definitam horam habet, in qua sumatur. Habet etiam Euchari-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

stia præfixum, decretúmque ab Ecclesia suæ sumptionis tempus. Quòd si aliis potiùs credas, qui aiunt ἄωρον dictum quasi ἀώριστον per aphæresim, id est, nec tempus, neque horam decretam habens, erit etiam appositum eiusmodi etymon, ad significandum pro communione sacra non esse expectandum tempus ab Ecclesia definitum, sed præuertendum potiùs, quia quodlibet tempus, ac quælibet hora ipsi opportuna est. Ideò autem huius nominis cunctas origines, quas diuersi authores aucupantur, hîc adscripsi, vt ostenderem non sine lepore, atque emphasi ad significandum Eucharistiæ sacramentum adhibitum fuisse *Matth.* 22.

Quia verò idem sacramentum *Lucæ* 11. appellatur δεῖπνον, id est, *cœna*, aliquid etiam circa huius vocis etymologiam non insulsum pro Eucharistiæ sacramento audire non pigeat. Eustathius in Homerum ὠδ. β. eam vocem δεῖν & ὕπνος dictam autumat, quia nimirum post cœnam opus est somno. Identidem autem post Eucharistiam opus est contemplatione, & gratiarum actione, quam mysticè somnus adumbrat. Alibi etiam δεῖπνον dictum asserit ἀπὸ τοῦ δεῖν πονεῖν, id est, *opus est laborare*, quia nimirum post diurnum laborem, & exercitationem ad instaurandas vires cœna sumenda est. Addit autem ob eandem rationem *cœnam* à Græcis δόρπον appellari solitam, ἀπὸ τοῦ δόρυ παύειν ab hasta scilicet deponenda, quia nimirum post bellicam totius diei exercitationem, parta iam victoria, discinctis militibus exhibebatur. Quid autem Eucharistiæ magis adsimile, quæ incipientibus quidem ἄριστον, seu ientaculum est ad pugnam ineundam: perfectis autem viris δόρπον, aut δεῖπνον, id est, cœna copiosior finita pugna, fugatis hostibus, & parta victoria. Quapropter sicut ientaculum parcè admodum sumi solet, ad cœnam verò plura fercula induci consueuerunt, præsertim apud veteres, inter quos cœna erat præcipua dici esca: ita etiam tyrones, atque incipientes parcè quasi ientaculum, id est, non ita frequenter Eucharistiam capere debent: perfectis verò copiosiùs quasi cœnã sumere, id est, longè frequentiùs ad sacram Synaxim accedere integrũ est.

Aliquis ergo ita ex dictis comminisci posset, ideò Eucharistiã in hoc libro per quatuor cœnas adumbratam, quia quę in hoc Cantico scribuntur, pertinent ad perfectos; hos autem frequentior illius sacramenti vsus docet, qui per cœnam notatur. Ita recentiores quidam huius libri interpretes, qui minimè audiendi sunt, quia sensus iste neque ad propheticam huius libri explicationem aptari, neque in allegoricam, aut tropologicam quadrare potest: nam, vt infrà in expositione de Christo, & anima dicemus; ex quinque diebus, quibus nuptiæ celebratæ feruntur in hoc Cantico, prima, & secunda dies ad incipientes pertinet, vtraque autem in cœnam desinit.

Sunt etiam, qui per cœnam, quæ sub vesperum dari consueuit, Eucharistiam notatam ideo volunt, quia nox ingruens fidei tenebras adsignificat, quæ ad sacramentum hoc sumendũ cum primis necessaria est: quæ suspicio ad propheticam expositionem nata magis videtur. Et sanè per noctem, quam luna irradiat, fidem notari non vnus docet: audiendus Richard. de S. Vict. *in lib. de erudit. hominis interioris*, vbi de reuelatione, quę nocte profunda Danieli facta est, sic scrit: *Nocte fit reuelatio mysterij, quando veritatis illustratio cernitur quidem ex parte, & velut ad lunæ lumen videtur, & quando de aliquo diuinitatis arcano quid sentiendum sit, ipsi quidem intelligimus, sed rationem, qua illud probare possimus, in promptu non habemus*, &c. Ideoque non sine diuino consilio factum autumant prædicti authores, vt Christus sacram cœnam luna quarta decima celebrarit: tunc scilicet, cùm luna orbe pleno fulget è cœlo, vt fidem, quæ per noctem modico lunæ splendore parcè illustratam designatur, ad prædictam cœnam cum primis necessariam esse monstraret. De hac fidei necessitate ad sacras epulas optimè Augustinus *serm.* 30. *de verb. Domini*, appendens illa verba, *Iuga boum emi quinque*, &c. quibus se à nuptiali cœna adeunda excusauit ex tribus alter. vbi sanctus Doctor per quinque iuga totidem sensuum paria accipienda esse dicit, quorum curiosa probatio à Dei cœna hominem fide carentem retraxit. Cæterùm ista etiam expositio, & accommodatio nocturnæ cœnæ ad prophetiam texendam parum apta mihi videtur.

Quapropter alia mihi succurrit accommodatior, & cum his, quæ sancti Patres in Canticum istud coniecerunt, longè cohærentior. Cogita ergo apud veteres Hebræos, tam matutina, quàm meridiana prandia nec lauta, nec splendida de more fuisse; ita vt ad ea sumenda nec domestici omnes in cœnaculum conuenirent, nec mensa vna cunctis esset, sed suas quisque partes, vt volet, seorsim carperet. Pro cœna autem nocturna maior ciborum copia, & exquisitior cultus adhibebatur, & non modò vnà omnes domestici epulas sumebant, sed etiam externis ascitis, atque inuitatis, opipara

quæuis

quæuis conuiuia, & ſplendidæ compotationes agebantur. Eapropter triclinia cœnationum, aut cœnaculorum nomen olim tulerunt à præcipuo, & maximè nobili eorum vſu. legendus Stukius *loco ſuprà laudato*, *& lib.* 1. *cap.* 14. vbi hanc conſuetudinem, Deo Opt. Max. ita ſuadente, Hebræos tenuiſſe affirmat. Nam *Exod.* 16. id demandat Deus exulanti populo, vt manè quidem Man tantùm ſumerent, veſperi autem carnes etiam adhiberent. Id ſibi vult illud, *Veſperi comedetis carnes, manè ſaturabimini panibus.* Rurſus illud etiam Hebræis familiare, vt ex carnibus hoſtiarum, quas matutino tempore ceciderant, ac Deo libauerant, veſpertinas cœnas ſplendidiores inſtruerent, non verò ientacula, aut prandia. Nil certius. *Prouerb.* 7. meretrix impudica laſciuum iuuenem ſub veſperum ad cœnam inuitans ita ſubiecit: *Victimas pro ſalute voui, hodie reddidi vota mea.* Vide quæ in eum locum contulimus. Nuptiales verò cœnas ex ſacrificatis Deo carnibus præparari ſolitas ſuadent illa verba *Matth.* 22. vbi de conuiuiali epulo ſic Rex ille, qui nuptias fecit filio ſuo, *Tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata.* vbi pro illis verbis *occiſa ſunt*, ex Hebraico textu legitur, *ſacrificata ſunt*, id eſt, ex ſacrificio præparata, & condita. de qua re infrà *cap.* 4. *verſ.* 7. non perfunctoriè dicemus.

Iam igitur ſic aio. Propterea Salomon ad Euchariſtiæ ſacras epulas notandas cœnas induxit in hoc libro, vt primò ſignificaret hoc ſacramentum eſſe plurium fidelium vnà veſcentium, concordiæ, pacíſque conuiuium: id enim ientacula, aut prandia deſignare non poterant. Secundò cœnas nuptiales propterea adhibuit Salomon, vt quemadmodum iſtæ ferè ex hoſtiarum carnibus: ita etiam Euchariſtiæ conuiuium ex corporis, & ſanguinis Chriſti incruento ſacrificio fidelibus præparatum innueret. Vtrumque verò ſignificat nomen *cœnæ*: nam cœnam Plutarchus dictam putat quaſi κοινὴν, id eſt, *communem*, ἀπὸ τῆς κοινωνίας, id eſt, *à communione*, quia nimirum à multis vnà conſidentibus communi conſortio accipi conſueuit. Ex Plutarcho deſumpſit D. Iſidorus *in Originibus lib.* 20. *cap.* 1. vbi ſic ſcribit: *Cœna vocatur à communione veſcentium,* κοινόν *quippe Græci commune dicunt, vnde & communicantes, quòd communiter conueniant. Eſt autem cœna veſpertinus cibus, quam veſperam antiqui dicebant, in vſu enim non erant prandia.* Atqui Euchariſtia communionis gaudet vocabulo. de qua S. Dionyſ. Areopag. ſic ſcribit: *Diuiniſſima vnius panis, atque poculi communis, pacificaque communicatio diuinam illis ceu conuictoribus vitæ, morúmque coniunctionem ſancit, & diuiniſſimi illius conuiuij, ſeu exemplaris horum myſteriorum memoriam ſacram affert.* Eandem ob cauſam ſanctiſſimus ille Pater nomen σωάξις Euchariſtiæ inditum dicit, ἀπὸ τῆς σωαγῆν, quia nimirum *reducit, ac reuocat fidelium omnium vnitatem, & communionem ad Deum eſſentia vnum, & hypoſtaſi trinum.*

Rurſus alij ſunt, qui cœnæ vocabulum aliunde petendum, deriuandúmque eſſe dicunt, nempe ex θοίνη, mutato θ in κ, quod Græcis perquam familiare eſt: ſic enim Græci appellant conuiuium, teſte Athenæo *lib.* 2. quam vocem fluere dicit ex θεὸς, atque οἶνον, ſcilicet ex Deo & vino: tum, quia in conuiuiis Dij à compotoribus ſalutabantur: tum etiam, quia ex vino libato, & hoſtiis mactatis ſplendidiora conuiuia inſtrui ſolebant. Vtrumque verò ad Euchariſtiæ ſacrum epulum ſignificandum quàm ſit appoſitum nullus non videt. Sed de hac theſi vlteriùs dicemus infrà *cap.* 2. *verſ.* 4. nam id tantùm in præſentiarum volo, ac contendo, Salomonem valde accommodatè ad Euchariſtiæ ſacramentum propheticè adumbrandum cœnas nuptiales ſub noctem datas induxiſſe in hoc libro.

Illud reſtat nunc diſceptandum, cur idem Salomon præfatas cœnas extra vrbem in horto, aut nemore exhibitas fingat. Nam, vt ſuprà *cap.* 3. non ſemel animaduerti, quatuor cœnæ nuptiales omnes in hortis actæ ſunt: adeò vt quamuis ſponſi ex horto in vrbem proceſſerint, ſemel quidem ad nuptialia ſacrificia perſoluenda, & iterum ad pulchritudinem ſponſæ oſtentandam, vt in eo capite docuimus: tamen ſub veſperum ad hortos cœnandi gratia nunquam non rediiſſe ex textu ipſo liquidum fit. Id verò myſtica, & prophetica ſignificatione haud vacare exiſtimo, atque adeò examini ſubiiciendum eſt

Et ſanè illud cuipiam in mentem venire poſſet, per hunc receſſum ex vrbe in agros vitam notari ſolitariam, à curis, & negotiis huius vitæ remotam, quam aſſiduus Euchariſtiæ vſus potiſſimum expoſcit. Non enim aliter ad ſacramentum hoc dignè accedere licet, niſi mens, animúſque à mundi ſolicitudinibus auocatus, ad vitam quietam, & tranquillam ſeſe transferat, quam ſyluæ, & nemora ſignificant. Cæterùm ali-

quid magis accommodatum offert nobis S. Ambrosius *in lib. de Cain & Abel.* Nam quemadmodum suprà per traductionem sponsæ in hortos, Ecclesiæ restitutionem in Paradisi felicitatem, à qua olim exciderat, denotari diximus: ita etiam cœnæ in horto datæ significant Eucharistiæ sacramentum in hac Euangelicæ conuersationis Paradiso esse cibum vitæ, qui longè excellentius, quàm arboris vitæ fructus salutem, & immortalitatem sumentibus adducit. Ambrosius ergo ad illa verba: *Veni in hortum meum*, &c. sic habet: *In horto, hoc est, in Paradiso, est conuiuium Ecclesiæ, vbi erat prius Adam, quàm peccatum committeret. Ibi recumbebat Eua priusquam culpam crearet, ac pareret. Ibi manducabis panem, qui confirmat cor hominis: ibi vindemiabis myrrham, id est, immortalitatem*, &c. (quia nimirum myrrha à corruptione immunem seruat.) Sententia verborum est luculenta, quibus Ambrosius per hortum Paradisum intelligit, ad quam vsus Eucharistiæ nos transfert, vt nimirum ad Dei gratiam, & amicitiam admissi his fermè fruamur bonis, quibus Adamus, Euaque ante lapsum gaudebant, scilicet iustitia, immortalitate, & aliis.

Et sanè Eucharistiæ sacramentum arboris vitæ fructum vi sua imitari vulgò docent sancti Patres. Idem Ambrosius *in Psalm.* 35. sic scribit: *Paradisum nobis crux Christi restituit, hoc est, lignum, quod Adæ Dominus demonstrauit, dicens de ligno vitæ quòd esset in medio Paradisi edendum. Per lignum cœpimus esurire, quia suum caro accepit alimentum. Ideò Dominus in Christo carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua cessaret. Beatum lignum, quod omnium peccata crucifixit: beata caro, quæ victum omnibus ministrauit.* Audiendus etiam Paschalius Abbas Corbulensis in lib. de corpore & sanguine Domini cap. 9. *Sicut fuit arbor vitæ in Paradiso, ita sancta Dei Ecclesia, quæ Paradisus delitiarum in Canticis appellatur, habet in se mysterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur, ex quo qui edunt seruantes mandata vitæ, nunquam possunt mori in æternum. Quòd si veluti Adam à diabolo rursus peccato mortis perempti fuerint, sicut ille de Paradiso, ita ipsi remouentur à sacris altaribus, & à ligno vitæ, scilicet à corpore, & à sanguine Christi, qui est verè Paradisi lignum, cuius folium non defluet. Remouentur autem, donec resipiscant à malis, per hunc cibum rursus reinserantur visceribus Christi, & felicitèr viuant in æternum.* Mitto alios.

CAPVT XIII.

Octo Epithalamiorum, & quinque dierum nuptialium numerus, velatio, ac reuelatio sponsæ, & translationis ipsius forma in hortos, & syluas, iuxta secundam interpretationem huius Cantici, quæ est de anima iusti, qualiter accommodari debeant.

VLTRA propheticum sensum de Ecclesia, cuius formam, & syntaxim in hac præfatione longiori oratione discussimus, est alius valde nobilis *de Christo, & de anima iusti*, in quo plures tam ex Patribus, quàm ex aliis interpretibus versati sunt, & quem à me non perfunctoriè pertractandum sæpiùs dixi. Quapropter operæ pretium est, vt in fronte etiam huius Commentarij modum aperiamus, quo ea, quæ hactenus diximus circa partitionem huius libri in octo Epithalamia per quinque nuptiales dies vespere, maneque decantata eidem aptari, & accommodari queant.

Et sanè circa præfatam expositionem huius libri de Christo & anima duplex est interpretum consilium. Alij enim Canticum istud cum Ecclesiaste, & Prouerbiis ita componunt, vt hæc tria Solomonis opera ad tres vitas instruendas, formandasque præscripta, Prouerbia incipientibus, Ecclesiastem proficientibus, Cantica perfectis præcepta accommodent. Sic docent Ambrosius *in Proœmio Commentariorum in Lucam*, Origenes *in Prologo libri Canticorum*, Albinus Alcuinus *in Ecclesiastem*, Salonius Viennensis *in expositione mystica Prouerbiorum*, Hugo, Dionysius, & alij passim interpretes, qui tria illa nomina *Salomon, Coheleth*, atque *Idida*, quibus Sapiens in Scriptura censetur, tribus illis dicendi, aut docendi generibus aptanda esse dicunt: ita vt in Prouerbiis pro rudioribus *Salomonem*, in Ecclesiaste pro his, qui proficiunt, *Coheleth*, in Canticis verò pro perfectis *Ididam* agat.

Cæterùm

Cæterùm quamuis hæc expoſitio nobiles patronos habeat, eam tamen, vt iacet, non probo: quia, vt ſuprà non perfunctorie probauimus, imò euicimus, tunc primùm nuptias, & matrimonium anima contrahit cum Deo, quando per gratiam, & charitatem ipſi copulatur. illæ verò tres vitæ, quas vocant purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam, non niſi à iuſtis, & Deo gratis hominibus aguntur, & exercentur: nullus enim eſt, qui eos peccatores, qui necdum reſipuerunt, nec culpas ſuas per pœnitentiam diluerunt, in aliquo ex tribus illis vitæ gradibus ponat. Atque adeò dictas tres vias cum nuptiis ſimul inchoari, & intra nuptias promoueri, & progredi neceſſe eſt. Quapropter cùm Salomon in libro Canticorum, nuptiarum Chriſti atque animæ initia, finesque deſcribat, tres illos vitæ gradus, per quos dictæ nuptiæ ad perfectionem euadunt, omnino includere dicendus eſt. Huic verò rationi tantum tribuo, vt putem ſuprà ſcriptam interpretationem, ſi, vt iacet, accipiatur, omninò explodendam eſſe, & citatos ibi Patres exponendos, vt loquantur de his, quæ in quolibet libro potiſſimum ſplendent, atque excellunt, & quibus alius alium facilè ſuperat. Nam in Prouerbiis ante alia Salomon ea, quæ ad purgationem animi ſpectant, pertractat: in Eccleſiaſte verò, quæ ad illuminationem, in Canticis, quæ ad vnionem pertinent, præ cæteris verſat. Luculentiùs dicam. Ita liber vnus cum altero cohæret, vt poſterior priori aliquid addat, prioris tamen theſim non excludat: Prouerbia nimirum de purgatione agunt, Eccleſiaſtes de purgatione, & illuminatione, Cantica verò purgationem, & illuminationem claudunt, & vnionem vlteriùs attexunt.

Sed quamuis viæ iſtæ vulgò ternaria menſurari ſolea nt, tamen ab aliis minutiùs conciduntur. Gerſon *Alphabeto 99. à litera V.* in tractatu de eleuatione mentis in Deum, quindecim excogitauit vias, ac ſingulas ſanctorum Patrum teſtimoniis communiuit. Inter alios autem Anſelmum, & Bonauenturam producit, quos aſſerit tribus illis, quas ex S. Dionyſio Areopagita hauſtas, & expreſſas reliqui Patres celebrarunt, ſcilicet purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam, duas alias adieciſſe, atque illas hoc ordine collocaſſe. *Prima dicitur purgatio, quæ nimirum animum per timorem Dei à bono in malum traducit, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum; & peccatorum reliquias, prauaſque eorum affectiones repurgat, ac detergit. Secunda appellatur illuminatio, per quam anima incipit videre, & cognoſcere dilectum ſuum, quem priùs propter velamen peccatorum videre non poterat. Tertia nuncupatur compaſſio, per quam anima appetit compati, imò commori cum Chriſto configurata paſſioni ipſius. Quarta vocatur vnio, per quam anima vnitur per amorem creatori ſuo, & ipſi arctiſſimè copulatur. Quinta eſt quies, aut exultatio, quæ meditatur gaudia cœlorum, & quantum ſtatus viatoris patitur, ipſis gustatis, ac delibatis, leuius ducit quidquid grauat in hoc mundo.* Hæc Gerſon, quæ ex Anſelmo, & Bonauentura petita eſſe dicit: ac demum attexit has quinque vias quaſdam eſſe velut ætates hominis interioris, quas à prima conuerſione in Deum, alias quidem ſub aliis per vices tranſigit. Et certè, niſi fallor, hanc ſectionem ſpiritualis vitæ, ac profectus in quinque vias prætulit ſanctiſſimus Pater noſter Ignatius in illo exercitiorum libello. Nam ad *purgationem* ſpectant duo examina, particulare, & generale confitendi ratio, & meditationes de nouiſſimis, ex quibus omnibus ſanctiſſimus Pater primam hebdomadam componit. Ad *illuminationem* referuntur quæcunque circa electiones præſcribit, quæ de duobus vexillis, & tribus gradibus humilitatis, cum meditationibus vitæ à Chriſto Domino inter homines actæ inibi tradit: ex his enim ſecundam hebdomadam conſtruit. Ad *compaſſionem* reuocantur, quæ circa meditationes paſſionis Chriſti ibidem præcipit: his enim tertiam hebdomadam impendit. Ad *vnionem* reuocatur illud exercitium, quod ſtatim poſt tertiam hebdomadam, & proximè ante quartam ſubiicit, quod diuini amoris exercitium compellat. Denique ad *exultationem*, ſeu *quietem* reducuntur meditationes gloriæ, ac reſurrectionis Chriſti, & ex his quartam hebdomadam conformat. Ea igitur, quæ de viarum partitione hactenus dixi, memoriæ commendare oportet pro his, quæ paulò pòſt ſubtexam.

Propiùs ad rem noſtram tranſmittit nos Petrus Bleſenſis *in lib. de amore ac dilectione Dei*, qui deſideratur in noua editione Colonienſi, eſt tamen in antiqua excuſa Pariſiis *anno* 1519. vbi progreſſum illum, quo anima mouetur à culpa ad gratiam, & inde ad perfectionem, deſcribit, & ex omnibus iſtius viæ gradibus integram hebdomadam pangit ei adſimilem, in qua Deus cunctam creaturarum vniuerſitatem molitus eſt. Sic enim ait. *Sex iſtæ virtutes, fides, ſpes, temperantia, fortitudo, prudentia, iuſtitia, ſunt quaſi quidam dies operationis: charitas verò quædam luminoſiſſima dies eſt quietis,*

tis, & tranquillitatis, & pacis. Et subinde animaduertit non quamcumque charitatem à se differri in sabbatum, sed perfectissimam illam, quæ animam arctissimè Deo deuincit, atque illam debellatis omnibus prauis affectionibus, admirabili quadam quiete donat: nam perfectio charitatis statim post fidem, ac spem subit, quatuor cardinales virtutes formans. Itaque præscripta virtutum hebdomada iuxta Blesensis mentem sic ordinanda est. Prima dies est fidei, secunda spei, tertia temperantiæ charitate formatæ, quarta fortitudinis, quinta prudentiæ, sexta iustitiæ, septima charitati. Audiendus rursus idem Doctor proximè post citata verba. *Sicut sex diebus, ita etiam sex virtutibus circa piæ intentionis opera exerceamur, vt post sanctarum vicissitudinem actionum in tranquillo charitatis quasi in vero mentis sabbato respiremus. Quocirca fidem ponimus diem primum, quo fideles ab infidelibus, sicut lux à tenebris separatur. Spes vicem secundi diei obtineat, per quam hi, quorum expectatio est in cœlis, discernantur ab alijs, qui terrena sapiunt, & liquescentes in se ipsis dilabuntur, & effluunt. Hac enim die conditum est firmamentum diuidens aquas ab aquis, superiores scilicet ab inferioribus. Temperantia quasi dies tertius illucescat* (temperantia, inquam, charitate formata) *in qua die membra nostra mortificantes super terram carnalis concupiscentiæ fluxum quasi aquas amarissimas certis continentiæ limitibus coarctamus, vt terra cordis nostri appareat, & virtutum flores, fructusque producat. Prudentia quasi dies quartus faciat scientiæ, & cognitionis Dei lumen erumpere, vt inter facienda, & non facienda discernens decidat inter diem, & noctem. Fortitudo autem sit dies quintus, per quam in hoc mari magno, & spatioso quasi pisces spirituales procellosa fluctuum volumina toleremus: & rursus quasi volatilia pennata nunc ad cœlestia per contemplationem, nunc etiam condolescentes per opera misericordiæ, bonarum actionum sub omni benedictione incrementa reddamus.* Adnotanda est hæc actionis, & contemplationis mentio: eas enim aptissimè in hac quinta die inseruit hîc Doctor concinens cum Augustino, cuius sententiam paulò pòst dabimus. Subdit Blesensis. *Constituatur iustitia dies sextus, per quam ad diuinam imaginem reformati, bestialibus desideriis, vitijsque reptilibus imperantes, corpus spiritui, spiritum Deo subijciamus, & sic vtrique, quod suum est, tribuatur*, &c. *dies septimus est charitas, dies sabbati, dies requietionis, iucunditatis, & pacis, per quam homo securissimè dicit: In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Ipsa est cognitionis Dei, atque omnium virtutum consummatio, sanctarum animarum refectio suauis, & tranquillissima mentis feriatio.* Hactenus Blesensis, cuius verba, si ad trutinam euocentur, & recta iudicij pensentur lance, à tertia die, & deinceps, ex qua quatuor virtutes cardinales charitate formatas percensere incipit, omninò cohærent cum ea partitione quinque viarum, seu graduum spiritualis profectus, quas ex doctrina Anselmi, Bernardi, & Gersonis nuper adscripsimus, ita vt quas isti vias, easdem Blesensis dies appellarit.

Sed, quod caput est, D. Augustinus longè accuratiùs hanc dierum partitionem tradidit, *de Genesi contra Manichæos lib. 1. cap. 25.* his verbis. *Habet etiam vnusquisque nostrûm in bonis operibus, & recta vita tanquam distinctos sex creationis dies, post quos debet sabbatum, id est, quietem sperare. Primo die lucem fidei, quando prius inuisibilibus credit, propter quam fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die spem tanquam firmamentum disciplinæ, quo discernit inter carnalia, & spiritualia, sicut inter aquas superiores, & inferiores. Tertio die, quo mentem suam ad ferendos bonorum operum fructus, separat à labe, & fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam terram à perturbationibus maris secernit, vt iam possit dicere: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quarto die, quo iam in illo firmamento disciplinæ spirituales intelligentias operatur, atque distinguit, per quas videt quàm sit incommutabilis veritas, quæ tanquam sol fulget in anima. Et quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, & corpori ordinem, & pulchritudinem præstet, tanquam luna illuminans noctem: & quemadmodum stellæ omnes, scilicet intelligentiæ spirituales in huius vitæ obscuritate tanquam in nocte micent, ac fulgeant. Quarum rerum notitia fortior effectus incipiat homo in quinto die, in actionibus turbulentissimi sæculi tanquam in aquis maris operari propter vtilitatem fraternæ societatis, & de corporalibus actionibus, quæ ad ipsum mare pertinent, id est, ad hanc vitam producere animarum viuarum reptilia, id est, opera, quæ prosint animis viuis; & cetos magnos, id est, fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi disrumpuntur, & conteruntur: & volatilia cœli, id est, altissimas cogitationes, & voces cœlestia prædicantes. Sexto autem die producat de terra animam viuam, id est, de ipsa stabilitate animi sui, vbi spiritualem habet fructus, id est, bonas cogitationes, motus omnes animi sui regat, vt sit in illo*

anima

anima viua, hoc eſt, rationi, & iuſtitiæ ſeruiens, non temeritati, atque peccato. Atque ita fiat etiam homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei maſculus, & fœmina, id eſt, intellectus, & actio, quorum copulatione ſpiritualis fœtus terram impleat. Septimum diem quieti, ac beatitudini tribuit D. Auguſtinus, per quam homo requieſcit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus: & addit quiete iſta viros eximiè perfectos ante exceſſum è vita mortali ex parte potiri ſolitos. Quomodo autem ſpirituales iſti dies per tempus matutinum, veſpertinumque euarientur, docet idem Auguſtinus ſubiectis verbis. *In iſtis autem veluti diebus veſpera eſt in ipſa perfectione operum: manè verò in inchoatione ſequentium.* Quid illuſtrius, & ad rem noſtram natum magis dici, aut excogitari potuit? Quanta verò ſit Auguſtini cum Bleſenſi, & cum aliis Patribus ſuprà citatis cohærentia, & concentus, nullus non teneat.

Addo etiam ſibi ſimilem eſſe Auguſtinum *in lib. de vera Religione cap. 26.* vbi eos ſpiritualis profectus gradus, quos hìc dies appellat, ætates nominat his verbis. *Iſte dicitur nouus homo, & interior, & cœleſtis, habens & ipſe proportione quadam, non annis, ſed profectibus diſtinctas quaſdam ſpirituales ætates ſuas. Primam in vberibus vtilis hiſtoriæ, quæ nutrit exemplis.* (in hac ætate animam poni docet ſanctus Doctor per primam vocationem, quæ fidei reſpondet.) *Secundam iam obliuiſcentem humana, & ad diuina tendentem.* (hæc ſpei reſpondet, qua anima erigitur ad cœleſtia.) *Tertiam iam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinſecus in quadam dulcedine coniugali, cùm anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, vt iam rectè viuere non cogatur: ſed etiamſi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam iam id ipſum multò firmiùs, ordinatiúſque facientem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam, idoneamque omnibus perſecutionibus, & mundi huius tempeſtatibus, ac fluctibus ſuſtinendis, atque frangendis. Quintam pacatam, atque ex omni parte tranquillam, viuentem in opibus, atque in abundantia incommutabilis regni, ſummæ, atque ineffabilis ſapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, & vſque ad totam obliuionem vitæ temporalis tranſeuntem in perfectam formam, quæ facta eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Septima iam quies æterna eſt, & nullis ætatibus diſtinguenda beatitudo perpetua.* Hæc Auguſtinus, quæ à ſuperioribus eò tantùm diſſident, quòd alteram quidem ætatem intercipit, & eam, quam ſuprà quintam diem, hìc quartam ætatem appellat. De cætero autem omnia cohærent.

Sed vt ea, quæ hactenus ſparſimus, compendio colligamus, iſtius ſpiritualis hebdomadæ dies ſingulos, & ea, quæ ipſis reſpondent iuxta doctrinam Patrum iam præmiſſam, adnotare operæ pretium eſt.

Prima dies *fidem* continet, D. Auguſt. & Bleſenſis. & primam vocationem, ſeu excitationem gratiæ, Auguſtinus.

Secunda dies perficitur ex *ſpe*, quatenus animum à terrenis auocatum ad cœleſtium concupiſcentiam, & intentionem mouet, Auguſtinus, & Bleſenſis.

Tertia dies *charitatem remiſſiorem* continet, per quam anima à peccato ad Deum conuertitur, Auguſtinus, & Bleſenſis: Purgationem animæ à peccatorum reliquiis per ſatisfactionem, & per mortificationem membrorum (ſic Anſelmus, Bonauentura, Auguſtinus, & Gerſon) *temperantiam* appellauit Bleſenſis: & *coniugium mentis & animæ*, ſeu *animæ ac Dei* vocauit Auguſtinus.

Quarta dies *illuminationem* cohibet, quæ proximè poſt purgationem ſequitur. Sic Bonauentura, Anſelmus, & Gerſon. Per hanc *ablato peccatorum velamine incipit anima videre delictum ſuum.* Ita Gerſon. *Prudentiam inter facienda, & non facienda diſcernentem* appellat Bleſenſis. *Diſciplinam ſpirituales intelligentias multifariam, tanquam ſol, tanquam luna, & tanquam ſtellæ operantem*, vocat S. Auguſtinus.

Quintam diem perficit *compaſſio*, per quam homo *cum Chriſto ſimul pati, atque emori* deſiderat. Sic Bonauentura, Anſelmus, & Gerſon. *Fortitudinem omnia aduerſa tolerantem* appellat Bleſenſis, & *fortiſſimas quaſque actiones* ad peruincenda occurrentia mala ei tribuit Auguſtinus. Vtriuſque vitæ, tam actiuæ, quàm contemplatiuæ coniunctionem in eadem ponunt tum Auguſtinus, tum Bleſenſis, & *regnum ſui ipſius* ad ipſam reducit D. Auguſtinus.

Sexta dies cohibet *vnionem*, per quam anima Deo per dilectionem perfectam arctiſſimè copulatur. Sic Bonauentura, Anſelmus, & Gerſon. Ita verò per impenſum amorem Deo inhæret anima, vt ab ipſo ad proximum redeat, vtriuſque vitæ, contemplatiuæ, & actiuæ, exercitamenta etiam complectens. Ita Auguſtinus, & Bleſenſis.

Hic

Hic verò diem istam *iustitiam* appellat, quatenus omnium virtutum operationes exercens, carnem spiritui, & spiritum Deo omninò mancipat. Accinit etiam Augustinus, qui vlteriùs excellentiores, ac nobiliores æqui, bonique cognitiones, & Dei notitias in hac die constituit.

Septimam diem *quies*, & *exultatio* componit, per quam anima, quantum viatoris sustinet status, beatorum gaudia delibat. Sic Bonauentura, Anselmus, & Gerson. *Charitatis perfectæ sabbatum* appellat Blesensis, & subinde ait: *Ipsa est cognitionis Dei, atque omnium virtutum consummatio, sanctarum animarum refectio suauis, & tranquillissima mentis feriatio.* Qui in eo loco suprà citato exponens illa verba Isaiæ: *sabbatum ex sabbato*, duas dilectiones Dei propter ipsum, & proximi propter Deum, *sabbatum ex sabbato* esse dicit: atque adeò vtramque ad diem istam septimam reuocat. Addit Blesensis, huic diei septimæ, quæ respondet ei, in qua Deus, perfecta creatione, requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat, deesse versperam, quia ea omnia, ex quibus perficitur, non habent terminum: quippe quæ per succedentem perpetuæ felicitatis octauam diem non abrogari, sed stabiliri, ac confirmari oportet, iuxta illud: *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt.*

His ergo sic constitutis, ad ea, quæ suprà cap. 3. & alibi diximus, mentem referre oportet; inde enim constabit, quàm aptè, & appositè cum his spiritualis vitæ ætatibus, aut viis, quas anima ad perfectionem contendens conficit, conformetur illa partitio, aut sectio in octo Epithalamia per quinque nuptiarum dies cantata, quam in hoc Canticorum libro hactenus posuimus. Nam si ea, quæ circa istos dies *locis citatis* diximus, menti obuersentur, non solùm dierum nuptialium numerum, sed etiam ea, quæ singulis diebus acta dicuntur, præfatis ætatibus, aut diebus ad amussim respondere inueniemus.

Prima nuptiarum dies erat tertia hebdomadæ, quæ tertia sabbati ab Hebræis appellari, & iuxtà morem illius gentis nuptiis impendi consueuit. In spirituali verò, & mystica hebdomada, tertia quoque dies nuptias spirituales continet: in ea enim post fidem, atque spem, quæ duos priores dies perficiunt, & sponsalibus, & sponsalitiis largitionibus, quas *arrhabones* appellant, respondent. Succedit tertia dies charitatis remissæ, quam D. Augustinus nuper citatus *coniugium mentis & animæ*, seu *animæ ac Dei* meritò appellat: charitas enim (vt sæpè aliàs docuimus) Dei animæque connubia sancit, ac copulat. In hac die tradebatur sponso noua nupta pallio amicta crassiori, quale à virginibus portari consueuit. Hoc autem pallium, seu velamen crassius, quod sponsæ faciem, & oculos tegebat, vnum tantùm oculum liberum relinquens, vt dimidiatam lucem carpens (vt ait Tertullianus) obscuram valdè cognitionem Dei, & eorum, quæ ad Deum spectant, quam anima ad nuptias Dei portat, præclarè adsignificat: & ideò etiam sponsæ prima traditio vesperi, atque sub noctem facta dicitur ob obscuritatem istam cognitionis notandam. In eadem die traducebatur sponsa curru subuecta à domo paterna in domum mariti sui: quæ traductio conuersionem hominis à peccatis designat, per quam anima à Diaboli potestate (quem peccatores Patris loco sibi numerant, iuxta illud: *Vos ex patre Diabolo estis*) ad Dei potestatem, domum, atque familiam transfertur. Vel aliter nomine parentum Adamum atque Euam veteres homines accipere licet, à quorum domo, & familia, quæ peccatis obstricta est, ad Dei familiam, & domum anima per pœnitentiam transit. Currus autem, quo translatio ista fieri dicitur, congruam, & efficacem Dei gratiam adsignificat, quæ animam sponte, & sine labore ad omnem virtutis exercitationem agit. Rursus hæc prior traductio in hortum facta dicitur propter eam, quam non semel aliàs attigimus, in Paradisum olim amissum restitutionem, quam per gratiam Christi obtinemus. Succedant memoriæ illa S. Gregorij Papæ verba in Hom. de Epiphania. *Regio nostra Paradisus est, ad quam Iesu cognito, redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus: sed ad eam necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam quæ à Paradisi gaudijs per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta reuocamur.* Hæc de prima die, cuius omnes partes ad viam purgatiuam pertinere perspicuum est.

Secunda nuptiarum dies erat olim quarta hebdomadæ, eadem quoque in spirituali septimana, secunda Dei atque animæ nuptialis dies est. In hac die sponsa, depositò crassiori

craſſiori illo velamine, quod ante nuptias geſtabat, recipiebat ab ſponſo ſuo flammeum valde tenue, ac ſubtile, per cuius retia, (quamuis non omninò clarè, & liberè) & videre, ac videri ſponſa poterat. Repetamus memoriâ illa verba, quæ Bleſenſis de hac quarta die ſpiritualis hebdomadæ ſignatè dicit. *Per hanc ablato peccatorum velamine, incipit anima videre dilectum ſuum.* Quia nimirum in hoc vitæ ſpiritualis gradu pia anima, depoſito illo ignorationis velo, quòd peccata, ac peccatorum reliquiæ relinquunt ea, quæ ſuæ ſalutis ſunt, clariùs videre, & apertiorem Dei cognitionem, prudentiam, ſpirituumque diſcretionem comparare incipit. Hæc autem ſunt, ex quibus ſuprà ſcripti Patres quartam hebdomadæ myſticæ diem componunt. quæ omnia ad eam, quam illuminatiuam viam Patres vulgò appellitant, planè referuntur. Rurſus in hac ſecunda nuptiarum die ſponſa manens in horto, aut nemore, in vrbem minimè procedebat. Quod non obſcurè innuit animas illas, quæ in hoc gradu ſunt, ſibi ipſis vacare debere, nec priùs ad proximorum ſalutem procurandam progredi debere, quàm ſequentem ſpiritualis vitæ gradum attigerint, qui animam ad ſuſtinendas, tolerandaſque pro Deo tribulationes, & perſecutiones, & mortem promptam efficit: illis enim, qui ad ſalutem proximorum curandam enituntur, graues perſecutiones, & tribulationes deeſſe non poſſunt.

Tertia nuptiarum dies erat olim quinta hebdomadæ, eadem quoque in ſpirituali ſeptimana nuptialis dies. In hac certè ſponſa flammeo illo ſubtiliori tecta, & feretro vecta ab horto in vrbem tranſibat, & in templum procedens nuptialia ſacrificia de more perſoluebat. Quemadmodum ergo per totam feretri ſtructuram, & ſacrificij mactationem in Prophetica interpretatione de Eccleſia Martyrum hoſtias, quas Eccleſia ſuarum perſecutionum tempore Deo libauit, ſignificari ſuprà diximus: ita etiam in hac ſecunda expoſitione de anima ſub eodem allegoriæ cortice, paſſionum, perſecutionum, ac laborum tolerantiam, quibus paſſim homo ſemetipſum Deo victimat, deſignari credo: iuxta illud, *Propter te mortificamur tota die, facti ſumus ſicut oues occiſionis*, &c. Hæc autem eſt, & non alia quintæ diei exercitatio in ſpirituali hebdomada, quam *compaſſionem* appellant Bonauentura, & Anſelmus; *fortitudinem* Bleſenſis: Auguſtinus verò in tolerandis, peruincendiſque laboribus, & perſecutionibus ponit. Rurſus in hac die ſponſa ad regias aſcita nuptias poſt victimas Deo iam per ſolutas, ab ſponſo coronari ſolebat, vt regni conſors fieret, vt in eo *cap.* 3. §. 6. fusè probauimus. Cui ſolemni mori reſpondent illa verba, *Veni ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis*, &c. Auguſtinus autem in hac ſpiritualis hebdomadæ die, *ſui ipſius, atque cunctarum affectionum regnum* conſtituit, quod in perpeſſione laborum, ac tribulationum præcipuè ſitum eſt. Deinde proceſſus ille matutinus ſponſæ ab horto in vrbem, & eiuſdem reditus veſpertinus ab vrbe in hortum, actionis, contemplationiſque per vices ſuſcepta exercitia ſignificat, quæ Auguſtinus, & Bleſenſis ad hanc diem retulit. Illud etiam non omittendum, quod in eo *cap.* 3. §... obſeruauimus, in prima deſcriptione ſponſæ, quam ab ſponſo factam inducit Salomon, in hac die non omnia illius membra, ſed ſuperiora tantùm à capite ad vbera vſque pectore tenus exactè delineari, quod in hac expoſitione de anima, cuius membra (vt alibi notaui) virtutes ſignificant, quarum habitus anima comparauit. Id enim non obſcurè innuit, animam in hac die, id eſt, in hoc ſui profectus gradu, aut via, licèt plures virtutes iam inde adepta fuerit, necdum tamen perfectionem attigiſſe, quæ in conſummatione virtutum ſita eſt: ideò in ea deſcriptione ſupprimuntur inferiora, & ignobiliora membra, quia his, qui ad dictam perfectionem nondum peruenerunt, hæc fermè deeſſe ſolent: nam ea, quæ parua ſunt, præ deſpectu minus curantes in his virtutibus, quæ circa parua verſantur, nondum ſe exercuerunt, ac perfecerunt.

Succedat quarta nuptiarum dies, quæ erat vtique hebdomadæ ſeptima, cui etiam in ſpirituali ſeptimana ſexta dies reſpondet. In hac die ſponſa amore ſponſi incitata, & ſtimulata abſentiam illius ægrè ferens ad eundem perueſtigandum multo manè occurrit: excubitores autem velamen auferunt, faciem illius, atque oculos retegunt. quæ ſponſæ reuelatio ſignificat animam tunc cùm ad ſpiritualem iſtum diem tranſit, & viam, quam vocant vnitiuam, inchoat adaucta ſpiritualium rerum notitia, Dei, atque bonorum omnium clariores, apertioreſque cognitiones accipere; amor enim cognitionis quantitatem ſemper inſequitur. Sic docet Auguſtinus ſextam myſticæ hebdomadæ diem deſcribens. Hac in die ſponſa vſurpauit illa verba, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*; ſponſus verò ſubiecit *Pulchra eſt amica mea, ſuauis, & decora*, &c.

&

& paucis interceptis: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, & electa genitricis suæ*; quæ vnionem illam arctiorem Dei, & animæ præclarè adsignificant, quam præmissi Patres, Bonauentura, Anselmus, & Augustinus in eadem die ponunt. Ad hanc etiam diem pertinet consummatio, & perfectio virtutum omnium, quam Blesensis *iustitiam* appellat, quæ constituit perfectorum statum. Hanc verò consummationem perspicuè admodum notat integra descriptio membrorum sponsæ ab imis pedibus inchoata, & ad verticem vsque perducta, quam Salomon in hanc diem distulit. Rursus illud etiam huius diei proprium, quòd sponsa primo manè ex horto in vrbem procedit: vespere autem ex vrbe in hortum redit. Cui respondet D. Augustinus, qui vtriusque vitæ, tam actiuæ, quàm contemplatiuæ exercitia in hac die ponit; quia nimirum anima, cùm istum perfectionis gradum attigit, ita per dilectionem Deo hæret, vt inde ad proximum amandum, fouendúmque sponte descendat.

Quinta denique nuptiarum dies erat olim apud Hebræos septima hebdomadæ, seu Sabbatum; eadem quoque in mystica septimana dies extrema, quam Petrus Blesensis *charitatis Sabbatum* appellauit. Alij verò Patres *quietem*, & *exultationem* vocant. In hac die Salomon de charitate sponsæ multa ferit ab illis verbis: *Pone me vt signaculum*, &c. *quia fortis est vt mors dilectio*, &c. & paulò pòst: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* quæ omnia ad supremum istum spiritualis vitæ gradum significandum apposita sunt, vt in eo loco dicemus.

Habes iam quinque dierum nuptialium, & eorum, quæ in singulis de more fieri solent, & quæ Salomon in hoc Cantico graphicè permiscet, cum quinque spiritualis vitæ gradibus concordiam, & cohærentiam: quid velatio, quid reuelatio sponsæ, quid ipsius translatio in hortos, & syluas, notet, iam tenes. Reliquum erat, vt de nuptiali conuiuio, quod in præfatis diebus quater repetitur, aliquid diceremus. Sed tamen huius conuiuij significatio in hac secunda interpretatione de anima non est diuersa ab ea significatione, quam illi in prima expositione prophetica de Ecclesia suprà tribuimus. Nam in vna, & in altera interpretatione sanctissimæ Eucharistiæ vsum frequentem designari certissimum est; quia, vt *cap. 6.* fusè probauimus, in eo vsu sita est mystici huius matrimonij à Christo & anima copulati consummatio, & perfectio, quæ non solùm spirituum, sed etiam carnis vnionem adducit, atque perficit, sine qua vnione carnis, quemadmodum Christi & Ecclesiæ, ita etiam Christi & animæ nuptiæ constare non possunt: atque adeò, quæ inibi diximus, in hunc etiam locum deferenda sunt. Aliæ verò interpretationes, quæ per hoc conuiuium, vel sacram Scripturam, vel conscientiæ tranquillitatem, vel id genus alia accipiunt, quamuis ad accommodatitios sensus aptari queant, tamen non ita germanæ sunt.

Superest ergo vt quæramus Epithalamia vespere, & manè per vices cantata, in hac secunda expositione quid significent. Paulus *ad Ephes. 6.* sic ait: *Sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* & rursus ad Colos. 3. *Commonentes vosmetipsos Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gratia, cantantes in cordibus vestris Deo.* Quæ verò sint hæc cordis cantica, haud compertum est inter interpretes. Beda, & ex illo D. Anselmus bona desideria intelligit. Ita enim fatur: *Nam qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde: qui autem non desiderat, mutus est Deo; desiderium enim, & amor cordis amœna vox est intus cantantis.* Et sanè expositio ista ad vitæ spiritualis præmissos gradus non incongruè aptari potest: nam per eiusmodi desideria sanctas intelligo affectiones, & vota sanctè piéque viuendi, quæ vulgò *proposita* appellamus; illis verò, qui spiritualis vitæ vias conficiunt, sæpiùs manè vesperique iteranda, & repetenda sunt: his enim animus & ad omnem virtutem excitatur, & acuitur. Ita suasit sanctissimus Parens noster Ignatius in libello spiritualium exercitiorum, cùm de particulari conscientiæ examine verba facit, vbi manè simul ac vesperi ex amore pietatis feruentiùs, ac studiosiùs proponendum, ac desiderandum esse affirmat: ita nimirum vt animum bona desideria manè excitent, & eadem noctu somno, & quieti committant.

S. Ambrosius in suprà scripta verba Pauli *ad Ephes. 5.* per canticum, cordis meditationem intelligit diuinorum; ita enim fatur: *Hæc meditanda semper monet Paulus, quæ sonent Christum.* quasi dicat, meditatio interna Christi hymnus est Christum insonans, aut perstrepens. Et alibi dicit: *Meditatio cœlestium cordis hymnodia est, quæ semper*

per cantari debet; quam hymnodiam corde, animóque assiduè occinendam esse dicit: nam oratio, & meditatio diuinorum spiritualem vitam alit, ac fouet. Quapropter non ineptè etiam matutinis, ac vespertinis Epithalamiis designatam esse dicemus. Primò, quia manè vesperique opportunè admodum à viris spiritualibus exercetur. Deinde etiam, quia Magnus Albertus 2. *part. summæ, tractat.* 4. *quæst.* 14. postquam præmisit Augustini doctrinam, qui cognitionem creaturarum, quam Beati habent in patria, in matutinam, vespertinámque partitur; matutinam enim appellat contemplationem creaturarum in Deo, vespertinam verò cognitionem earum in se ipsis. *Scientia enim* (inquit) *creata in comparatione creatoris quodammodo aduesperascit.* Subdit statim Albertus similem quandam in cognitione, & contemplatione viatorum differentiam excogitari posse. nam alia est cognitio, quæ omnia alia creata bona propter Deum amanda proponit homini: alia verò, quæ eadem bona propter ipsa diligenda, prosequendaque menti obiicit, atque illam quidem matutinam, hanc vespertinam vocari posse affirmat. Vtramque verò per vices exercent viri pij, ac studiosi: atque adeò his cognitionibus instructi ea, quæ honesta, & recta sunt, modò propter Deum ex charitate, modò propter ipsa ex affectu diuersarum virtutum exequuntur, matutinis vespertina (liceat sic dicere) cantica modulantes.

Sed quamuis hæc non ineptè dici queant, tamen alia subest magis apposita epithalamicarum cantionum accommodatio. Nam Gerson in libro illo, quem *Canticordum* appellat, id est, canticum cordis, inter alia, quæ eo nomine censeri vult, numerat bonam conscientiam: *Hæc enim* (ait) *suis modulatissimis cantionibus animum assiduò demulcet, ac recreat; iuge conuiuium, iugisque cantilena tunctam vocum differentiam repræsentans, atque adeò meritò Canticordum appellatur.* Hæc igitur bona, omnisque delicti expers conscientia cum ipsa honesta vita incipit, & semper ipsi comes hæret: atque adeò per dicta Epithalamia omnibus diebus vespere, maneque repetita aptissimè iudicatur. Nam Epithalamia alia quidem ad excitandam manè sponsam, alia ad soporem, quietemque ipsi de nocte adducendam vsurpari solita, hæc vespertina, illa matutina dicebantur. Vtrumque autem munus obit bonæ conscientiæ canticordum: nam manè, hoc est, in prosperis, animam ad bene operandum erigit; noctu verò, id est, in aduersis, eandem quiete, & tranquillitate maxima donat, ne rebus occurrentibus perturbetur. Hæc de structura huius secundæ expositionis, reliqua suis locis dicemus.

CAPVT XIV.

Octo Epithalamiorum, & quinque dierum nuptialium numerus, velatio, & reuelatio sponsæ, translationisque forma in hortos, & syluas iuxta tertiam expositionem huius Cantici, quæ est de Virgine Maria, qualiter accommodari debeant.

§. I.

TERTIA expositio huius Cantici literalis maximè affinis est de B. Virgine Maria: cuius expositionis dignitatem suprà *cap.* 4. non paucis extulimus. Iam ergo illud inquiro, an istius Cantici tota structura, quemadmodum Ecclesiæ, atque animæ iustæ, ita etiam Virgini adaptari queat: ita vt octo Epithalamiorum partitio, dierum quinque nuptialium diuisio, velatio, & reuelatio sponsæ, translatio eiusdem in hortos, & alia his similia, quæ huius libri structuram, & compagem perficiunt, ipsi ordinatè accommodari possint. Luculentiùs dicam. Illud mihi vestigandum proposui, an in vita, & actionibus Sanctissimæ Deiparæ aliquis reperiatur rerum sibi inuicem succedentium ordo, cui istius Cantici ordinatio, & syntaxis ad amussim respondeat. Et sanè si omnes illos adeas, quotquot hactenus Commentaria de B. Virgine in hunc librum conscripserunt, inuenies planè ipsos in accommodatione sua nullum tenuisse ordinem, ac nulli rerum consequentium dispositioni se se obstrinxisse, sed liberam prorsus, ab omnique ordine solutam interpretandi formam sequutos fuisse.

At enim quis sibi persuadeat in sola expositione de B. Virgine eum ordinem desiderari, qui in aliis duabus interpretationibus eiusdem Cantici tam aperte refulget. Ego quidem ordinem esse, sed non obuium, nec in oculos ipsos sponte incurrentem, atque adeò illum acri iudicio perueſtigandum esse censeo. Et sanè ordo iste ideò inuentu difficilis redditur, quia pro Ecclesia,& pro anima non fuit arduum apud Patres hebdomadas quasdam mysticas reperire, quarum duo priores dies ante nuptias abirent, & quinque posteriores in nuptiis ponerentur. At verò in B. Virginis vita haud facile est hebdomadam aliquam comminisci, & in ipsa dies antenuptiales, & dies quoque nuptiales distinguere. Nam cùm Virgo à primo suæ creationis momento, gratia, atque omnibus infusis virtutibus donata fuerit, Deumque ipsum ardentissimè dilexerit, certè ab eodem instanti sponsa fuisse videtur. Ita enim de ipsa pronunciauit S. Augustinus *in serm.18. de Natiuitate*, his verbis. *In Patre perpetua diuinitas, in Matre æterna virginitas; sic enim ad eam Dominus loquitur per Prophetam: Et desponsabo te mihi in æternum. Semper ergo virgo est, quæ semper sponsa est; & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum virgo permansit, & quæ sponsa æterna dicitur, æterna virgo comprobatur.* vbi Augustinus *æternum* accipit pro *perpetuo*. Non ergo licebit in B. Virgine dies antenuptiales à diebus nuptialibus distinguere. Rursus cùm in eadem Virgine neque originalis, neque actualis culpa fuerit, non occurrit terminus aliquis, ex quo illius translatio in domum sponsi facta dicatur: sicut de anima in superiori capite diximus. Deinde Deipara Virgo à suæ conceptionis primo instanti in omni virtute consummata fuit, ita vt perfectissimum vitæ spiritualis gradum, scilicet viæ vnitiuæ supremum fastigium iam tunc teneret. Ergo in ipsa quinque nuptiarum dies per aliquas vitæ spiritualis ætates, aut vias partiri, ac secare non licet, vt nuper in expositione huius Cantici de anima facere integrum fuit. Ad hæc eadem sanctissima Virgo ex primo suæ conceptionis instanti nullam habuit ignorantiam, aut errorem propriè dictum, vt docent expresse Albertus Magnus *in Mariali cap.140.*& Suarez *in 3.part. tom.2. quæst.37. disp.18. sect.6.* Canisius *de B.Virg.lib.6. cap.23.*Bartholomæus de Medina *3.part.quæst.30. num.20.* Ergo cùm per velum ignorantiam, & per reuelationem ignorantiæ exterminium notari hactenus docuerimus, non satis apparet, qua ratione velationis & reuelationis nuptialis forma, ex qua quinque nuptialium dierum partitio pendet, Virgini accommodari possit.

Ergo vti ad ea, quæ in hac perdifficili accommodatione dicturi sumus,præmuniamus viam, id quod suprà *cap.5. §.2.* docuimus,in memoriam reuocare operæ pretium est. Ibi enim fusè probauimus ante Incarnationem Christi Domini nullas fuisse proprias nuptias inter Deum & Synagogam fidelem; quia nimirum nuptiæ propriè dictæ id exigunt necessariò, vt ex duobus sponsis non tantùm vnus spiritus, sed etiam vna caro fiat, atque adeò non potuit Deus nuptias istas cum Ecclesia copulare, antequam carnem indueret. Et idem iudicium ferendum est de qualibet anima, etiam de Virgine sanctissima. Quapropter etsi cum Augustino affirmare liceat Deiparam à primo suæ conceptionis articulo nunquam non sponsam fuisse: tamen interpretandus est de illis nuptiis minùs propriè dictis, quæ in sola animorum, spirituumque vnitate sitæ sunt, & carnis vnionem excludunt, atque eo sensu donandus, quo Patrum, & Prophetarum alia testimonia in eo *cap.* 5. exposuimus, quæ aliquam matrimonij formam inter Deum & Synagogam ante Incarnationem Christi agnoscere videntur. Ex quo fit, sanctissimam Virginem proprias cum Deo nuptias ante Incarnationem minimè contraxisse: sed ad illud vsque tempus, ipsius, atque reliquæ Synagogæ fidelis vnam eandemque fuisse conditionem, vt nimirum in sponsalibus maneret, vt in eo cap. fusè probauimus. Quapropter nuptiales, & antenuptiales dies in eadem Virgine distinguere fas est.

Secundò notandum est,omnia,quæ hoc Cantico relata ad Ecclesiam vniuersalem, & quamcunque aliam iustam animam liberationem, aut emundationem à sordibus, & culpis per Christum factam adsignificant, eadem ad Virginem translata præseruationem notare, vt in defensione nostra pro immaculata conceptione *cap.16.*fusè probauimus. Itaque in Christi, atque cuiuslibet alterius iustæ animæ nuptiis, traductio à parentum ædibus in sponsi domum, & potestatem, eam, quæ est illius à Diaboli ditione, vel à primorum parentum Adami atque Euæ quasi patria potestate, in Christi domum, atque familiam translationem designat: in nuptiis verò Christi ac Virginis (liceat sic dicere) præcautionem, & anticipatam quandam prælibationem adsignificat,

gnificat, ne in Diaboli poteſtatem, vel Adami familiam aliquando veniret. Quod non obſcurè ſignificat grauiſſimum teſtimonium Leonis Imperatoris *in oratione de Incarnatione Chriſti*, vbi ad illa verba Pſalm. 44. *Audi filia, & vide, & obliuiſcere*, &c. ſic ſapientiſſimus Auguſtus: *Cùm adhuc in paternis lumbis continereris, genitor tuus clamabat. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum matris tuæ. Audiſti verè ô filia commonitionem, & oblita es populi tui, & ſortis, & domus paternæ: ſortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi humano diſtribuit infinito illo affectuum, paſſionum, & animi perturbationum cumulo hæreditario relicto, quia nihil horum in domo tua.* id eſt, domus tua, à qua in domum ſponſi tui traducta es, nihil habuit ex his, quæ ab Adamo in reliquam illius familiam promanarunt. Quaſi dicat, ideo tu, à domo, atque ædibus parentum Adami atque Euæ tranſlata diceris, non quia ibi aliquando fueris, quia aut aliquandiu manſeris, ſed quia præuenta es ne ibi eſſes, aut maneres. Nam quamuis Virgo Deipara ex Adamo, atque Eua (liceat ſic dicere) naturaliter originem traxerit, non tamen moraliter; quia nec ad ipſorum pertinuit familiam, nec eas leges, iuraque ſuſtinuit, quibus reliqua ipſorum proles ſuapte natura ſubiacuit.

Quòd ſi adhuc velimus traductionem iſtam à domo, & familia parentum fieri debere, dicemus quidem quòd ſicuti in nuptiis Eccleſiæ, aut iuſtæ animæ, terminus à quo, tranſlationis ad domum ſponſi fuit ſtatus, & conditio hominis ſub culpa à parentibus deriuata: ita etiam in Deiparæ & Chriſti coniugio terminus à quo, traductionis, aut fuit ſtatus quidam ſub debito culpæ illius hæreditariæ, quem plures in Virgine agnoſcunt: aut, quod ſatius eſt, eo debito abnegato, ſtatus iſte fuit ſola & pura natura, ſeu conditio naturalis à parentibus accepta, à qua Virgo è veſtigio ad gratiam aſcita eſt, eo modo, quò infrà dicemus.

Tertiò dicendum eſt cum authoribus illis ſuprà citatis, ſanctiſſimam Virginem nullius rei habuiſſe ignorantiam propriè dictam, prout ignorantia in vitio poni ſolet, cùm aliquis ea, quæ ad ſuum ſtatum, & conditionem quomodolibet ſpectant, non ſatis tenet. Nam à ſuæ Conceptionis primo inſtanti vſum rationis adepta eſt, & ea omnia perfectiſſimè nouit, quæcumque ad ea munera, & functiones, quas pro diuerſis temporibus obiuit, ex decentia pertinebant. Cæterùm nullus ambigere poteſt, ſanctiſſimam Virginem in Dei, ac diuinorum cognitione, & ſcientia, lapſu temporis progreſſus maximos feciſſe. Has verò ſcientiæ acceſſiones, & cognitionis incrementa P. Franciſcus Suarez *3. part. tom. 2. quæſt. 37. diſp. 19. ſect. 2.* ex triplici capite eueniſſe dicit: nimirum ex lectione Scripturæ ſacræ, cui aſſiduè operam dabat: ex meditationis exercitio, cui ſeſe ſine intermiſſione impendebat: & ex notitiis, & illuſtrationibus proximè à Deo ipſo per reuelationem immiſſis. Sed quamuis B. Virgo in cœleſtium rerum cognitione nunquam non profecerit: tamen tria tempora aſſignari ſolent à Patribus, in quibus profectus iſte maior fuit, & diuinorum luminum copioſior, vberiórque influentia in eam deriuata eſt. Hæc ſunt Incarnatio, Natiuitas Chriſti, & dies Pentecoſtes, ſeu aduentus Spiritus ſancti, vt *in eadem diſput. ſect. 1.* obſeruauit P. Franciſc. Suarez, vbi illud etiam expreſsè affirmat, præfata ſcientiæ, & cognitionis incrementa in die Pentecoſtes fuiſſe longè maiora, quàm in aliis temporibus; quia nimirum ita expedire videbatur, vt B. Virgo Apoſtolorum magiſtra deinceps fieret.

Sed vt dimittam alios Patres, qui de illis valdè profuſis cœleſtium rerum notitiis verba fecerunt, quibus Virginis mens in natiuitate, & Incarnatione Chriſti affatim irradiata eſt: alij quidem ſuper illa verba, *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi*; alij verò ad illa, *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, de illa clariori, & affluentiori cœleſtium cognitione, qua Virgo in die Pentecoſtes perfuſa fuit, D. Anſelmus *in lib. de Excellentia Virginis cap. 7.* ita ſcribit: *Licèt Apoſtoli per reuelationem Spiritus ſancti edocti fuerint in omnem veritatem: incomparabiliter eminentiùs ac manifeſtiùs Maria per eum ſpiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per illam reuelabantur, quæ in ſe non ſolùm ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, & ipſo experimento didicerat.* Eadem fermè ſcribit Rupertus *in lib. de gloria filij hominis, circa principium*, vbi S. Virginem ab eo tempore, Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ magiſtram extitiſſe dicit. Et S. Ignatius *in 2. Epiſt.* eandem *noſtræ Religionis magiſtram* appellat. Bernardus etiam *ſerm. 4.* ſuper *Miſſus eſt*, Mariam iuxta ſui nominis etymologiam (quæ nimirum *illuminatrix* interpretatur) Euangeliſtas ad conſcribendam ſacram hiſtoriam illuminaſſe, & illuſtraſſe aſſerit. Dionyſius Rikelius *de laudib. B. Virg.*

lib. 2. artic. 27. sic habet. *Adfuit tunc quoque,* (scilicet in Spiritus sancti aduentu) *Maria in eisdem ædibus orans & spectans, iamque ad noui hospitis aduentum adspirans, primitias Spiritus sancti accepit, persensit, ostendit, & ipsa virtute ex alto mirabiliter induta est, vt eo igne incensa tunc potissimum, si vnquam antea, magna magni Dei magnalia feruentissimo spiritu eructaret.* & subinde sic ferit: *Maria sola tunc plus cæteris omnibus de Spiritu sancto accepit, amante nimirum, & complente suum vas, suum templum, suum sacrarium purissimum atque amplissimum Spiritu sancto. extitit enim primaria ex illis filiabus & Dei ancillis, quibus munifica illa fit promissio. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ,* &c.

Et sanè hæc sapientiæ & cognitionis incrementa non tantùm Virgo in se ipsa experta est, sed etiam aliis ciaruerunt. Nam per eam notitiam, quam tempore Incarnationis accepit, consanguineam suam Elizabetham, imò & ipsum Zachariam, addo etiam sponsum suum Ioiephum, edocuit: & per illam, quam tempore natiuitatis Christi adepta est maiorem cognitionem, Pastores, ac Reges de veritate informauit: ac deinde etiam quandiu Christus vixit (si fides habeatur authori Anonymo *in hom. de Natiuitate Virginis*) sicut Christus viris, ita etiam ipsa fœminis euangelizabat. Deinde verò postquam Spiritus sanctus in ipsam descendit in die Pentecostes, Apostolorum, ac totius Ecclesiæ magistra effecta est. Hæc fermè omnia adnotauit noster Suarius *loco citato.* Ex quibus constat, non tantùm Virginem per dicta interualla diuinorum mysteriorum maiorem ac maiorem notitiam accepisse, sed etiam eam ipsam notitiam, quam accipiebat eisdem interuallis, magis ac magis iuxta temporum differentiam aliis manifestatam, & ostensam fuisse.

Id verò, quod de scientia B. Virginis hactenus diximus, etiam de eiusdem virtutibus pronunciandum est: nimirum eisdem gradibus auctas fuisse, quibus notitia rerum cœlestium in ipsa præfatas accessiones accipiebat. Ita enim naturæ ipsius poscit conditio, vt maior, ac nobilior boni cognitio digniora virtutum opera parturiat. Quapropter licèt Virgo sanctissima à primo suæ conceptionis momento perfectissimum spiritualis vitæ gradum tenuerit, vt ratio suprà efformata conuincit: tamen in eo ipso gradu maiores in dies progressus fecit. Nec solùm illa in semetipsa progressus istos interiùs experta est, sed etiam eosdem externis documentis significauit, ac manifestauit. Deinde etiam quod ad externas operationes attinet, virtutes eximiæ, quas in templo delitescens, quasi velo obducto, Virgo eatenus celauerat, ab Incarnatione, & deinceps, manifestiùs se se prodiderunt, nobiliora scilicet, ac digniora opera in dies exerentes. Atque adeò licet Virgo in sua conceptione virtutum omnium consummationem acceperit: hæ tamen decursu temporis per eadem interualla, quibus notitia cœlestium in ipsa excreuit, sua quoque incrementa ceperunt, & prout opportunitates ipsæ poscebant, aliæ quidem aliis temporibus effulserunt, proprias operationes expromentes.

His ergo prælibatis, quæ notissima, ac certissima sunt, ad rem nostram venire oportet. Sicut ergo suprà *cap...* in Ecclesiæ, & nuper *cap.* 13. in animæ iustæ progressibus hebdomadas quasdam à Patribus excogitatas diximus, & in his dies quosdam ante nuptias, & alios item dies nuptiales distinximus, cum illis, quos Salomon in hoc Cantico describit, apprimè cohærentes, & illis, quibus Deus mundum molitus est, ad amussim respondentes: ita etiam in Deiparæ vita septimanam quandam contemplari fas est. hanc tamen non ex cerebro nostro confingere, sed ex Patrum doctrina conformare oportebit.

Igitur Magnus Albertus *in suo Mariali cap.* 142. septem creationis dies per accommodationem B. Virgini adaptat, & per opera illorum dierum omnes Mariæ excellentias perfectissimè adumbratas esse dicit. Subiicio ex multis pauca verba. *In prima die facta est nubes lucida, de qua postea factus est sol. Quid est autem hæc nubecula materia corporis solaris, nisi B. Virgo mater, & materia corporis Saluatoris?* Hæc ad conceptionem Virginis pertinent. *In secundo die positum est firmamentum in medio aquarum, quod habet fixas stellas in sui ornamentum, & diuidit aquas ab aquis. Hæc est B. Virgo, quæ habet stellas duodecim, id est, omnium Sanctorum in capite suo posita in medio aquarum, existens supra omnem statum viæ, & infra statum patriæ, communicans cum vtrisque, habens scilicet cum superioribus omnium virtutum perfectionem, & cum inferioribus merendi conditionem.* Hæc ad tempus illud spectare videntur, quod Incarnationem antecessit, in quo B. Virgo dignitatem Matris Dei promeruit. *Tertiæ diei opus est congregatio aquarum*

rum in vnum locum, id eſt, congregatio omnium gratiarum in virginalem vterum. Sed in hoc eſt differentia, quòd congregatio omnium aquarum dicitur, maria, media correpta: congregatio autem gratiarũ dicitur Maria, media producta, &c. Hæc planè ad Incarnationis tempus referenda ſunt, in qua Virgo ſalutata eſt ab Angelo, verbis illis, *Aue gratia plena*, omnium gratiarum plenitudinem in ipſam fluxiſſe demonſtrans. *Quarta die fecit Deus duo luminaria magna, maius vt præeſſet diei*, &c. *Solem dicit ortum ea die propter Saluatoris temporalem natiuitatem. Luna verò Virgo Maria eſt, à Sole, id eſt, à filio ſuo tunc pleniùs irradiata, id eſt, in natiuitate filij clariori myſteriorum cognitione illuſtrata fuit, ſicut Euangeliſta teſtatur: Maria autem conſeruabat verba hæc*, &c. Hæc apertè natiuitatem, & infantiam Chriſti reſpiciunt. Quid plura? *Quintæ diei opus eſt formatio piſcium, & auium. Et quid ſunt piſces, & aues, niſi Beatiſſima Virgo, quæ vt piſcis natabat in mari tribulationis, vt auis volabat per cœleſtem contemplationem?* Hæc ad illud tempus omninò pertinent, in quo B. Virgo filij ſui amariſſimis tribulationum aquis obruta eiuſdem paſſionem non vidit ſolùm, ſed voluit, eum ſponte ſua pro ſalute hominum morti deuouens. Attexit Albertus. *Sextæ diei opus eſt formatio hominis in Paradiſo. Quid autem eſt Paradiſus, niſi B. Virgo, in qua Deus poſuit hominem, id eſt, Chriſtum in die Conceptionis?* Dices Albertum ad Incarnationem redire, non tamen ibi hæſit, ſed vlteriùs de formatione mulieris, quæ in eum etiam diem incidit, ſic attexit. *Eua quoque ex viri coſta immiſſo ſpiritu animata eſt: Maria verò eſt noua Eua ex robore Chriſti, Spiritu Dei ſancto omnium viuentium mater effecta eſt.* Quis autem non videat hæc verba ad diem Pentecoſtes potiſſimum reuocari poſſe, in quo Virgo cum reliquis Apoſtolis manens, vberiori, & affluentiori perfuſa ſpiritu *induta eſt virtute ex alto*, & totius Eccleſiæ mater, & magiſtra effecta eſt? Suppreſſit in hoc loco ſeptimam diem, id eſt, ſabbatum, Albertus Magnus: tamen infrà *cap.* 202. benedictionem diei ſeptimæ in Mariam quadrare oſtendens, ſic ait: *Prima benedictio eſt diei ſeptimæ, in qua requieuit Deus ab vniuerſo opere, quod patrarat: eſt autem benedictio illa operum conſummatio. Beatiſſima autem Virgo fuit perfecta operum Dei conſummatio. Sabbati verò requies non ſolùm fuit futuræ requiei ſymbolum, ſed etiam præſentis. Si ergo dies ſeptima eſt benedicta propter ſabbatum Dei; & tamen excellentior eſt ſabbatiſmus recreationis, quàm creationis: ergo maior etiam benedictio eius, quæ ait: In omnibus requiem quæſiui*, &c. At, inquies, quando fuit ſabbatiſmus iſte, ſiue feriatio, quam Virgo Deipara in præſenti vita obtinuit. Ego quidem nullum aliud tempus huic ſabbatiſmo idoneum magis exiſtimo, quàm illud, in quo Virgo amore Dei illiquefacta, & contemplationis otio prorſus dedita mortem proximè expectabat: nam ei potiſſimum tempori aptat Eccleſia verba illa: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, quæ de otio contemplationis exponunt communiter ſancti Patres.

Cæterùm quamuis hæc ſeptem dierum partitio, iuxta mentem Magni Alberti, non obſcurè totam B. Virginis vitam complectatur: tamen ne deſiderare poſſes ſingulorum ad ſingulas vitæ partes accommodationem, quæ à nobis inſerta eſt, præſtò eſt nobis ſanctiſſimus P. D. Antoninus de Florentia, qui 4 *parte ſummæ tract.* 13. *cap.* 4. accommodationem iſtam abſolutiſſimè dedit. Selectiora illius verba hîc attexam. *In prima die dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Fiat (inquam) lux, in hoc præfigurans, & præordinans conceptum Virginis, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo.* Habes ita in prima die conceptionem. *In ſecunda die fecit Deus ſecundum opus, ſcilicet firmamentum, diuidens aquas ab aquis. Hoc firmamentum eſt B. Maria, quæ nata in mundo ſemper firma fuit in Domino. Non enim (ait Bernardus) feſtiuis laudibus Natiuitas eius celebraretur, niſi ſancta naſceretur.* Habes in ſecunda die Natiuitatem. *In tertia die congregatis aquis in vnum apparuit arida, vocauitque Deus aridam terram, & congregationes aquarum appellauit, maria. Congregatis igitur omnium Sanctorum gratijs in vnum locum, id eſt, animam Virginis, appellauit ipſam Mariam, id eſt, mare gratiarum, quam Angelus ſalutauit, dicens: Aue gratia plena. Ipſam etiam vocauit terram propter humilitatem ſummam: dicitur enim humilis ab humo. Et hæc eſt terra, de qua dicitur: Terra noſtra dedit fructum ſuum.* & alibi: *Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ. Iſta igitur terra ſegregata ab aquis delitiarum, & populorum, paruula in templo præſentata à parentibus ſuis, Deoque dicata cœpit producere germen herbarum, ſanctarum ſcilicet cogitationum, flores feruentium deſideriorum, fructus perfectarum operationum, quorum ſemen remanſit ſuper terram, ſcilicet exteriorum exemplorum, iuxta quæ alij poſſint fructificare per imitationem.* Hæc Antoninus de tertia die, quæ ſecundùm ipſius mentem Præſentationem Virginis in tem-

plum, & Annunciationem, seu Incarnationem Verbi complectitur: ita vt sic contemplari liceat illius diei manè primum fuisse Præsentationem Mariæ in templo: vesperam autem Annunciationem, seu Incarnationem Verbi. *In quarta die creauit Deus duo luminaria magna, scilicet solem, & lunam: sol autem iustitiæ est Christus Deus noster. Sicut enim sol materialis dicitur factus de nubecula lucida, quæ facta est prima die, & dicta est lux, secundùm quosdam Doctores: ita & sol iustitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, natus est de nubecula lucida Virgine Maria. Tunc in hoc etiam luna extitit, quia sancta Virgo Maria à sole, hoc est, à filio habuit claritatem suam, id est, cognitionem diuinorum.* Et sanè sanctissimus Florentiæ Antistes ad hanc diem refert gestationem infantis in vtero, Visitationem Elizabeth, Natiuitatem, & reliqua mysteria infantiæ Christi. Nam paucis interiectis, ita scribit: *Quis enarrare, aut cogitare valeat altissimas contemplationes, & notitias, quas Virgo habuit post conceptum filij, & in Visitatione Elizabeth, quando dixit: Magnificat anima mea Dominum: in Natiuitate filij, cùm vidit Deum ex se natum, ab Angelis collaudatum, à Pastoribus adoratum, & à Magis veneratum, & à Simone declaratum, & inter Doctores auditum.* De quinta verò die sic infert: *In quinta die creauit Deus volucres cœli, & pisces ex ipsis aquis. Volucres ergo ad alta volantes sunt actus vitæ contemplatiuæ: Pisces in mari fluctuanti discurrentes sunt actus vitæ actiuæ. Piscis etiam ipsa fuit natans in mari tribulationis, tunc vel maximè, cùm circa crucem stans cum filio crucifixo, cruci per compassionem confixa erat.* Itaque dies hæc reliquam B. Virginis vitam complectitur ad vsque filij necem in cruce. Sextam diem ad Assumptionem eiusdem Virginis transfert Antoninus; & septimam, siue Sabbatum de veneratione illa intelligit, quæ post eius Assumptionem ab Angelis in cœlo, & à fidelibus in Ecclesia Catholica per singula Sabbata ipsi defertur. Sed tamen longè aptior est accommodatio illa Alberti suprà adscripta, cum qua etiam concinit Dionysius Carthusianus *lib. 1. de laudibus Virginis*, qui tempus etiam resurrectionis Christi ad quintam reuocat diem, & sextam diem à Pentecoste inchoat, in septima verò loco Sabbati obitum B. Virginis ponit: hic enim fuit illi pro Sabbatismo, *in quo requieuit ab omni opere, quod patrarat*, &c.

Itaque ex mente horum Patrum, B. Virginis tota vita à conceptione ad obitum ipsius integram hebdomadam complectitur, illius æmulam septimanæ, in qua Deus mundum, & creaturas omnes molitus est, cuius dies ad hunc modum secari debent. Prima dies est Conceptio, & gestatio ipsius in vtero Annæ per nouem menses. Secunda dies continet ipsius Natiuitatem, & infantiam. Tertia dies à Præsentatione inchoatur, & ad Incarnationem vsque peruenit. Quarta dies gestationem Christi in vtero, Visitationem Elizabeth, partum Christi, & reliqua mysteria infantiæ Saluatoris coërcet. Quinta dies ex tempore illo constat, quod ab infantia Saluatoris vsque ad illius mortem fluxit, & Resurrectionis etiam tempus claudit. Sexta dies incipit ab Ascensione Christi, & Pentecoste, & reliquam B. Virginis vitam cohibet. Septima dies, aut Sabbatum ad obitum eiusdem Virginis, & ad tempus obitui proximum refertur.

His igitur prænotatis, accommodatio istius Cantici ad sanctissimam Deiparam iuxta nostram interpretationem de cætero facilis est, dummodo ad ea omnia, quæ suprà *cap. 3.* de structura, & partitione huius libri diximus, memoria sese referat. Nam primum inde constat, duos priores hebdomadæ dies iuxta morem gentis ante nuptias abire solitos: in tertio verò sub vesperum nuptias copulari. Idem prorsus in mystica Marianæ vitæ hebdomada ordo, & series occurrit: nam primus ille dies, scilicet conceptio, & gestatio Virginis in Annæ vtero, & secundus dies, hoc est, ipsius Mariæ natiuitas, & infantia ante nuptias fluxerunt. In tertio verò, cuius quasi manè fuit Præsentatio in templo, & vespera Incarnatio Verbi ex eius vtero; nuptiæ quidem ad vesperam per ipsammet Incarnationem Verbi copulatæ sunt: nam vbi Dei filius carnem suscepit, statim inter ipsum, matrémque Mariam perfecta illa nuptiarum forma extitit, quam matrimonium ratum, & consummatum ab ipsis mundi primordiis mysticè significauit, vt infrà *cap. 1. vers. 12.* non perfunctoriè probabimus: ritus verò nuptiales illius diei proprij accommodatissimè respondent. In ea die fiebat translatio à gynæceo, seu domo fœminarum, in qua virgines ad futuras nuptias sese vnguentis, atque pigmentis excolebant, & expingebant, in domum sponsi. Quam translationem petit sponsa ab illis verbis, *Trahe me*, &c. Virgini autem templum pro gynæceo fuit, in quo cum aliis virginibus commorata virtutum omnium pigmenta animæ induxit

duxit

duxit ſuæ ad futuras Chriſti nuptias ſe ſe adornans, ad quas inde euocata, & tranſlata fuit, vt conſtat. In hac etiam die ante nuptias præmitti ſolebant vota per amicos ſponſi facta, vt in eo *cap.* 3. §... vberiùs diximus; quia nimirum ex amicis ſponſi vnus, aut plures puellam adibant, ipſamque verbis, & oblatis etiam muneribus, ad nuptiarum conſenſum adducere contendebant. Id muneris ab amicis ſponſi obitum diximus, ab illis verbis: *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis*, &c. *Murenulas aureas factemus tibi vermiculatas argento.* At quis non videat hæc vota ab Angelo Gabriele facta in die Annunciationis, tunc cùm ad Incarnationem patrandam Virginis aſſenſum deprecatus, tandem illum obtinuit: quem aſſenſum Virgo exhibuit illis verbis, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Ad hæc tranſlatio illa ſponſæ à gynæceo in ædes ſponſi fiebat primùm in hortum, aut nemus: ibi enim nuptiæ iſtæ initæ à Salomone fingũntur, vt ſæpe aliàs adnotaui. Per hortum verò in quo aguntur nuptiæ, Paradiſum notari in hoc Cantico iam inde ſuprà ex Patrum doctrina confecimus; quia nimirum ad eius delitias, & gaudia tam Eccleſia, quàm iuſta anima per Chriſti gratiam reſtituitur. Hæc autem reſtitutio longè meliùs quadrat in B. Virginem, non ſolùm propter originalem gratiam, quam ſola ipſa adepta eſt: hæc enim fuit Paradiſi præcipua dos, cuius iactura cunctos homines à primæ conditionis felicitate ad infelices huius vitæ miſerias compulit: ſed etiam propter immunitatem ab illis pœnis, quas Euæ, atque aliis fœminis à Paradiſo relegatis Dei ſententia inflixit, à quibus omnibus Virgo ſanctiſſima non ſecus, ac ſi in Paradiſo ageret, libera fuit in conceptione prolis, in geſtatione illius, atque partu: ita vt in illa non ſolùm omnia integræ naturæ iura ſalua, & integra fuerint, ſed aliqua etiam priuilegia ſupra ipſam naturæ integritatem ex filij beneficio acceperit. Huc ſpectant illa S. Ildephonſi verba in lib. de Parturitione, & Virginitate Mariæ: *Propterea verò caro eius iam non verè caro peccati fuit, in qua Deus totum infudit, & Verbum, quod ſine peccato eſt, ad nos venit. Qui iure non ſolùm legem naturæ inuitiatæ naſcendo non tenuit, verè nec legem primæ originis, quam haberent fœminæ, ſi mandatum ſeruaſſet parens omnium Eua in Paradiſo.* Loquitur autem de virginitate ante & poſt partum, quam Virgo ſupra omnia integræ naturæ iure adepta eſt. Denique in hac die tradebatur ſponſa ſponſo ſuo velo tecta, velo (inquam) illo craſſiori, quo virgines ante nuptias vtebantur, faciem quidem tegente, & alterum tantùm oculum liberum dimittente. de quo diximus etiam *in eo cap.* 3. §. 4. in quo velo obumbrationem illam à ſuperueniente Spiritu ſancto, & virtute Altiſſimi factam contemplari fas eſt, quatenus hæc tempore Incarnationis ita Virgini aliqua myſteria aperuit, ac reſerauit, vt plæraque alia celaret, quæ poſtmodum eidem in Natiuitate Chriſti, & aliis deinde temporibus retecta, ac reuelata fuerunt, vt poſtea dicemus. Nam velamen illud alterum oculum tegens, alterum liberum dimittens, & *dimidiatam lucem* carpens, vt ait Tertullianus, dimidiam, ſeu partitam rerum cognitionem, quæ Virgini tunc indulta eſt, vt ſuprà notauimus, exprimebat. Et quia per velum illud ſuprà dictum fiebat non modò vt puella liberè non videret, ſed etiam vt ipſam intueri aliis necdum liceret: ita quoque Virgini Deiparæ contigiſſe puto, cuius ſuprema dignitas per id tempus, omnibus, etiam ipſi coniugi Ioſepho, celata fuit.

Quarta huius myſticæ hebdomadæ dies, quæ eſt nuptiarum ſecunda, incipit à geſtatione infantis in vtero, & reliqua infantiæ Chriſti myſteria coërcet. Initio quidem præferuntur illa verba, *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum*, &c. verbum illud, *venit*, eſt temporis præteriti, totuſque locus in hac expoſitione ſignificat præcelerem Verbi, tranſultis, aut tranſuolatis cunctis Angelorum ordinibus in Virginis vterum deſcenſum proximè factum. Ad geſtationem verò ipſius in vtero pertinet illud: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, &c. & quæ ſtatim ſubſequuntur verba: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*, &c. de viſitatione Elizabeth interpretantur Patres, & Eccleſia quæ in Miſſa illius diei loco Epiſtolæ, & in Matutinis ad primas lectiones recitat. Attexit iterum: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ.* quæ verba de ſuſcepto itinere in Bethleem, & de partu Virginis in ſpecu, aut antro, *quia non erat ei locus in diuerſorio*, eſſe capienda ibidem dicemus. Præterea in hac ſecunda nuptiarum die fieri ſolebat altera reuelatio ſponſæ: nam velamine illo craſſiori, quo virgines vtebantur, adempto, flammeum accipiebat, id eſt, velum ſubtilius, quod propter tenuitatem faciem ſponſæ prodebat, & ipſi etiam liberiùs videndi copiam faciebat. Ad hunc ritum ſpectant illa verba, *oſtende mihi fa-*

ciem tuam, &c. Qui ritus reuelationis in hac expositione, sicut in superioribus, duo significat, scilicet clariorem cognitionem mysteriorum ex reuelatione Virgini immissam in Natiuitate Christi, quam iuxta communem sanctorum Patrum sensum denotant illa verba, *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo:* nec non manifestationem ipsiusmet Virginis, cuius dignitas ex eo tempore Pastoribus, Regibus, Annæ, & Simeoni cœpit innotescere. Mitto alia & alia infantiæ Christi mysteria, quæ in præcedentibus, ac subsequentibus verbis adumbrata sunt, vt suis quæque locis ediſſeremus. Illud tamen ad extremum subiicere libet, vespertinum huius secundæ diei Epithalamium ordiri ab illis verbis: *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui eum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem*, &c. quæ de puero Iesu deperdito, & à matre diligentissimè requisito, Ecclesia, & Patres interpretantur: quæ actio infantiæ Saluatoris mysteria claudit, & huic etiam diei nuptiali finem imponit.

Quinta dies huius mysticæ septimanæ, & nuptiarum Christi tertia, eam Marianæ vitæ partem continet, quæ passioni, ac resurrectioni Christi respondet. In hac die primo manè sponsa feretro euecta in templum procedere dicitur sacrificium persolutura nuptiale. Huc enim spectant illa verba, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Et sanè, vt in eum locum dicemus, tota lecticæ forma, gestatioque ipsa sponsæ, B. Virginis dolores, atque passionem notat, cuius vim maximam non nisi speciali Dei auxilio sustentata, portata, & confirmata perpeti, ac tolerare posset, tunc cùm filij necem non vidit solùm, sed etiam voluntariè, ac spontaneè pro totius mundi salute quasi sacrificium quoddam nuptiale Deo obtulit. *In monte myrrhæ.* Hebraicè, *In monte Mor*, id est, in Moria, aut in Caluario, vt in eum locum fusè ostendemus. Nec vacat mystica significatione illud, quod in matutino huius diei Epithalamio legimus. Nam post illa verba, *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate*, &c. quæ de spinea Christi corona sancti Patres vulgò interpretantur: sponsus Sulamitem suam describere incipit, descriptio tamen à capite ad vbera vsque peruenit, de quibus sic ait. *Duo vbera tua sicut duo gemelli capreæ, qui pascuntur in liliis*, &c. quæ verba per Metathesim euariata fuisse dicemus eo loci: ita vt sic restituenda sint. *Sicut capræ duorum gemellorum*, &c. id est, similia sunt vberibus capræ, quæ duos gemellos alit. In illis autem non solùm obseruanda est repræsentatio illius adoptionis, quæ circa crucem effecta est, per quam Ioannes Virgini tanquam filius alter adscriptus fuit, dicente Christo; *Mulier, hic est filius tuus*, atque in vno Ioanne, Virgo Maria totius humani generis parens nuncupata, & creata est, & exinde gemellorum parens mansit. Sed id præcipuè notandum, quòd cùm singula membra Virginis, eius virtutes, ac prærogatiuas per vmbram designent, vt in eum locum dicemus: certè in ea descriptione illa tantùm delineantur membra, quæ earum virtutum, aut prærogatiuorum symbolum gerunt, quas ante aliàs Virgo sanctissima eatenus præmonstrarat; reliqua supprimuntur. Hæc autem descriptio ideò in vbera desinit, quia vbera dignitatem Matris Dei adsignificant, cuius dignitatis veritatem Christus ex cruce multis argumentis contestatus est, vt inibi etiam ostendemus. Quid plura? In hac die constituit Salomon coronationem sponsæ ab illis verbis, *Veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. quæ nouum illud, ac singulare ius adsignificat, quod Virgini ad imperandum, regnandumque in omnes latè creaturas inde partum est, quia adiutrix fuit redemptionis Christi, aut (si fas est dicere) corredemptrix, & salutis humanæ causa, & autrix: vnde quasi per emptionem creaturarum omnium dominium adepta est, vt docuit Anselmus *de excellentia Virginis, cap.* 3. Albertus Magnus *in Mariali, cap.* 201. & alij, quorum verba in eum locum conferemus. Denique ad eam diem pertinent illa verba: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata eius.* quæ de tempore resurrectionis Christi, quod rigida passionis tempestate sublata, insecutum est, & Virginis animam à præteritis doloribus recreauit, accipienda esse, ex doctrina Patrum inibi conficiemus.

Sexta dies spiritualis istius hebdomadæ, & nuptiarum Christi & Mariæ quarta, reliquam B. Virginis vitam post ascensionem Christi in cœlum continet. Atque adeò in eius Epithalamij, quod illius diei primo manè cantatum est, priori parte, ab illis verbis: *At ille declinauerat, atque transierat*, de absentia sponsi expostulat, doletque sponsa, atque amorem suum illi absenti ab omnibus significari exoptat. Et postmodum sic rogata. *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus*

tuus,

tuus, & quæremus eum tecum; ita subiecit: *Dilectus meus descendit in areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat*, &c. quæ verba de Ascensione Christi in cœlum explicantur. Eadem planè B. Virgini doloris causa fuit post ascensum Christi in cœlum, quippe quæ propter ingentem amoris vim, Christi Domini sponsi sui absentiam ægrè, & impatienter ferebat, vt fusè dicemus *cap. 5. vers. 6.* ad illa verba: *Anima mea liquefacta est*, &c. Ad hanc etiam diem spectat altera sponsæ reuelatio, quæ de more fieri solebat, tunc, cùm ablato etiam tenui flammeo, oculos, faciémque apertam præferens in publicum progrediebatur, atque videre, & videri liberè poterat. De hac reuelatione loquitur Salomon ab illis verbis: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiebant ciuitatem.* Atqui hæc extrema velaminis depositio, quatenus sponsæ liberam videndi copiam faciebat, significat certè eam, quam Virgo accepit, Dei, ac mysteriorum cognitionem in die Pentecostes, quæ reliquas superioris vitæ notitias longo interuallo superabat, vt suprà diximus. Qua cognitione perfusa, & illustrata, & Ecclesiæ totius magistra effecta de Christi persona, & de aliis fidei nostræ arcanis, & sacramentis Apostolos, Euangelistas, aliosque primores Christianos erudiuit. Et ideò statim sponsa à Solymitanis fœminis quæsita, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*, absolutissimam illius descriptionem subtexuit ab illis verbis: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, &c. Rursus hæc reuelatio, ac detectio faciei, quatenus causa erat, vt sponsa, quam eatenus liberè intueri non licuerat, clarè ab omnibus videri posset. Significauit etiam Beatæ Virginis virtutes, & excellentias, quæ ante ascensionem Christi magna ex parte latuerant, post ascensionem fidelibus, ac toti Ecclesiæ clariùs innotuisse: tum quia Virgo ipsa cum fidelibus conuersari cœpit, atque adeò virtutes eius experiri ipsis integrum fuit: tum etiam, quia Spiritus sancti vnctio, quæ in Ecclesiam eo tempore effusa est, non solùm quæ ad Christum spectabant mysteria, sed ea etiam, quæ ad Mariam pertinebant, fideles perdocuit. Ea propter fœminæ Hierosolymitanæ, quæ Apostolos, & Christianos illos primitiuos adsignificant, sponsam absolutissimè describunt, omnia illius membra à pedibus ad verticem vsque graphicè delineantes. Reliqua verò, quæ ad diem istum pertinent, suis præscribam locis.

Septima istius spiritualis septimanæ dies, & nuptiarum Christi & Mariæ quinta, & vltima, ad obitum ipsius, & ea, quæ obitum circumsteterunt, tempora pertinet. In hac die de ardentissimo sponsæ amore fit sermo ab illis verbis: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis, atque flammarum*, &c. At quis neſciat sanctissimam Virginem non ab aliqua extrinseca vi ægritudinis, aut morbi, sed ex amore, & desiderio filij, ac sponsi sui exanimatam: ita vt amor virtute sua illi vitam abstulerit, vt passim docent sancti Patres. Illa etiam, quæ Salomon proximè succinit ab illis verbis: *Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, & vbera mea sicut turris*, &c. cum Euangelio, quod Ecclesia canit in die Assumptionis, apertè concinunt: *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, &c. vt in eum locum fusè dicemus. Denique in extrema parte huius vltimi Epithalamij de lucris agitur, ac quæstu, quem vinea dotalis sponsæ suppeditauit: & rationes subducuntur hoc modo. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, vir affert pro ea mille argenteos. Vinea mea coram me est: mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Hæc autem rationum subductio præmium, ac retributionem significat, quam Virgo sanctissima pro meritis vitæ, & conuersationis suæ non sibi tantùm, sed nobis etiam impetrauit, vt ad eum locum conficiemus.

§. II.

HÆc de connubialium dierum cohærentia cum sanctissimæ Deiparæ tota vita, & historia, in qua (nisi fallor) hactenus tria desiderabis. Primum est significatio quatuor cœnarum nuptialium, quæ in hoc Cantico per quatuor dies actæ dicuntur. Secundum est vespertinorum, matutinorúmque Epithalamiorum symbolica applicatio. Tertium est translationis in hortos, & ab his in vrbem ingressus, & ab vrbe in eosdem regressus accommodatio. De singulis compendiosè dicam. Ergo quod ad cœnas attinet, tam in prophetica interpretatione de Ecclesia, quàm in mystica expositione de anima, Eucharistiæ sacrum, ac cœleste conuiuium per ipsas denotari diximus. quæ significatio in Virgine locum habere non videtur: quia prima, & secunda

vitæ

vitæ ipsius mystica dies, quæ Incarnationem, & infantiam Saluatoris continent, ante Eucharistiæ institutionem abierunt: atque adeò duæ cœnæ, quæ his diebus respondent, Eucharistiam denotare non possunt. Inde autem emergit ratio dubitandi; quia cùm ex his, quæ diximus suprà *cap*...apertè constet, illius mystici matrimonij, quod inter Christum, & animam copulatur, consummationem, quæ vnius carnis identitatem adducit, in Eucharistiæ vsu perfici: certè Virgo sanctissima ante dictum vsum licèt ratas nuptias habuerit, non tamen consummatas, & perfectas, & ex consequenti in duobus illis diebus nuptiales cœnas nequaquam egisse putanda est.

His vt occurram, aliqua prænotanda sunt. Primò adducenda est in memoriam celebris illa apud Theologos diuisio sumptionis, aut manducationis corporis Christi in spiritualem tantùm, & sacramentalem tantùm, & in eam, quæ est spiritualis & sacramentalis simul. quæ diuisio inuenta primùm fuit ab Augustino, qui singula illius membra persæpe commemorat: deinde verò ab aliis Patribus, & à Conciliis celebrata. legatur noster Vasquez *in* 3.*p. disp.* 169. *cap.* 2. *& seq. & disp.* 212. *cap.* 1. vbi Augustini loca versat, & ea, quæ alij de illa diuisione scripserunt, colligit, ac seligit. Duobus autem membris præfatæ diuisionis dimissis, dè spirituali tantùm manducatione pauca dicam. Hæc igitur spiritualis manducatio (vt verior sententia fert) non est votum aliquod ipsius Eucharistiæ, quod in Baptismo, aut aliis honestis actionibus, quibus iusti perseuerantiam à Deo impetrant, contineatur: hoc enim votum non admittimus cum nostro Gabriele Vasquez *in ea disput.* 169. *cap.* 4. *&* 5. Quid igitur est? Profectò huius manducationis spiritualis non vna significatio occurrit apud Patres.

Primo modo sumitur largè, & in vniuersum pro consecutione auxiliorum gratiæ, quæ perseuerantiam efficiunt, aut causant. quæ quatenus animam confirmant, & roborant, nomine cibi spiritualis censentur: atque adeò qui ea obtinent, Christum manducare dicuntur. De hoc genere spiritualis manducationis loquitur S. Thomas *in Opusc. de Sacramento Altaris, cap.* 19. de quo sic ait: *Alter modus est manducandi Christum spiritualis tantùm, & isto modo omnes saluati ab initio mundi manducauerunt, & saluandi quotidie manducant.* De hoc etiam loquitur D. Bernardinus Senensis *tom.* 2. *ser.* 55. *art.* 2. *cap.* 1. vbi sic scribit: *Alter modus manducandi Christum, per quem spiritualiter, loquendo largo modo, omnes ab initio mundi saluati, atque saluandi manducauerunt, & manducant.* Hic autem modus spiritualis manducationis, qui omnibus aliis prædestinatis conceditur, Virgini etiam certissimè tradendus est à suę Conceptionis priori momento: tunc enim ex Dei auxilio per Christum accepit confirmationem, ac stabilitatem omnimodam in gratia, cui propter specialem Dei prouidentiam perseuerantia obstricta erat.

Secundus modus spiritualis manducationis strictior, atque angustior est ille, quem ab Alexandro Alensi *in* 4. *d.* 8. *q.* 3. & Scoto *ibidem, quæst. vlt.* acceperunt reliqui Scholastici. de quo sic Scotus: *Quando homo iustus iuxta posse suum bene, & deuotè paratus est suscipere corpus Christi: & tamen propter reuerentiam abstinet, aut propter aliquam infirmitatem, vel quia non est copia ministri, vel aliter impeditur.* De isto spirituali esu loquitur Concilium Tridentium *sess.* 13. *cap.* 8. cùm ait: *Quoad vsum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Alios enim docuerunt spiritualiter duntaxat sumere, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur fructum eius, & vtilitatem sentiunt*, &c. Sumere autem votum iuxta mentem Concilij perinde est, ac desiderium, propositúmque illius accipiendi apud se concipere. Sed illud incertum, an Prophetæ, & Patres veteris Testamenti, quibus olim huius sacramenti institutio denunciata, & reuelata fuit, quos satis multos fuisse constat, & queis etiam præmatura ista notitia per reuelationem parta illius sumendi ardentissimum desiderium, super tempus illud liceret, non potuit non afferre: an, inquam, isti Christum hoc modo spiritualiter manducauerint. Duplex in hac quæstione sententia occurrit. Alij certè docent solum ac merum votum, vel desiderium sumendi Eucharistiam vltra dignitatem ipsius plurimam gratiam ex opere, vt aiunt, operato spiritualiter manducantibus conferre, quia hunc sensum putant subesse illis verbis Tridentini: *Illos nimirum, qui voto cœlestem illum panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt.* quorum meminit Sotus *in* 4. *d.* 12. *quæst.* 2. *art.* 1. & Ledesma *in* 1. *part. quarti, quæst.* 22. *art.* 4. Hi autem consectariè affirmare debent Prophetas, & Patres

antiquos

antiquos, qui panem istum cœlestem desiderarunt, illum spiritualiter minimè sumpsisse. Ratio est in promptu, quia Eucharistia nihil potuit ex opere operato ante sui institutionem agere. In hanc sententiam videtur discessisse iam olim Alexander Alensis, quem citat S.Bernardinus Senensis *loco suprà laudato*, atque ex illo eiusmodi verba recitat. *Sancti Patres veteris Testamenti hoc sacramentum spiritualiter non manducauerunt : nam etsi habuerunt fidem ipsius sacramenti postea instituendi à Christo, & tradendi ad manducandum: tamen quia nondum erat consecratum, & consecratio eius præcedit comestionem, ideò non comederunt*, &c. quæ ideò ab Alensi addita fuerunt, quia putauit votum, ac desiderium præfati sacramenti virtutem aliquam sanctificandi ex opere operato sortiri. Alij rursus docent præmissum votum ex solo opere operantis agere, quatenus mente apprehensum, & à voluntate impensiùs concupitum excitat fidem viuam, atque ardentem Dei amorem inspirat. Ita fert Theologorum communior sententia. legendus Vasquez *in disp. illa* 212. *cap.* 1. In hac verò sententia consectariè quoque dicendum est, Prophetas, & veteris Testamenti Patres, quotquot istius sacramenti notitiam ex fide adepti sunt, atque adeò ipsius sumendi desiderio arserunt, illud spiritualiter manducasse, atque fructum illius, vtilitatémque sensisse. Ita docuit expressè S.Bernardinus Senensis *suprà*,& Gerson *loco infrà citando*,qui affirmant Moysem,& alios veteris populi iustos,& pios viros, qui panem istum nobis cœlitùs datum per illud Man è cœlo deciduum significari ex fide nouerant, illum iam tunc spiritualiter gustasse,ac regustasse.

Quid ergo de sanctissima Virgine sentiendum? In primis illud certo certius esse putat Gerson, Deiparam de huius sacramenti institutione edoctam ab ipsa Incarnatione Christi,vel potiùs retrò à Præsentatione ipsius in templum : tunc enim ait,probè intellexit Arcam, & manna in ipsa inclusum,ac cæteras victimas, quæ per singulos dies mactabantur, cœlestis sacramenti, ac sacrificij vmbras esse : atque adeò illud ardentissimè desiderare, & spiritualiter manducare cœpit. Addítque Gerson de hoc spirituali esu locutam fortasse B.Virginem in suo Cantico, cùm ait : *Esurientes implesuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Audiendus profectò ipse Gerson super *Magnificat*, 3.*part.tractat.*9.vbi ad præfata verba sic scribit : *Maria sicut præ cæteris in via cognouit, credidit,& intellexit figuras legis,& naturæ, Christi sacerdotium præsignantes : sic in illis, aut per illas manducauit fruitiuè benedictum fructum ventris sui, & spiritualiter eius sacramentum, vnde exultauit spiritus eius in Deo salutari suo. Maria dum legebat Dauid patrem suum dicentem de filio suo : Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ex tunc intelligebat, & manducabat spiritualiter hoc sacramentum benedictum. Maria psallens illud Dauidicum: Memoriam fecit mirabilium suorum,&c. Escam dedit timentibus se, credebat,& intelligebat hanc escam sacramentaliter figurari,& in figura comedebat eam. Maria dum stans,& orans in templo aspiciebat,credebat, & intelligebat omnes oblationes,victimas,& holocausta, sacrificia insuper matutina, & vespertina, implebatur bonis huius benedicti sacramenti, etiam ante conceptum benedicti fructus ventris sui. Maria sicut intellexit filium suum fuisse agnum, qui occisus fuit ab origine mundi, sic recolens sacrificium Abel, & eius martyrium,fruebatur Christo agno, qui fuit figuraliter occisus in eo. Maria dum celebrabatur Phase,siue Pascha Iudæorum,celebrabat etiam ipsius anima cum exultatione Pascha nostrum, quod immolatus est Christus, quem epulabatur in azymis synceritatis,& veritatis, fermento veteri reiecto cum fermento malitiæ, & nequitiæ*, &c. Et paucis interiectis,ad eandem spiritualem manducationem corporis Christi, qua Virgo animum pascebat suum, iterum rediens Gerson addit ipsam ex eo tempore, in quo fidem prædicti sacramenti à Deo accepit, per singula vitæ suæ momenta cœlesti illo pane spiritualiter refectam, quem in omnibus Christi mysteriis contemplabatur. Sic enim ait : *Iesu tua fruitio, & manducatio esurientes replens bonis, virtuosius affecit Mariæ spiritum, quàm corporalis contrectatio, & lactatio suauissima tui ipsius. Et ratio est,quia cum maiori merito,vnde exultauit spiritus suus in Deo salutari suo. Iesu tua fruitio, seu manducatio mirabilior, ac virtuosior in Maria simul, & in virginali sponso suo Ioseph,quàm sola contrectatio, vel visio corporalis, quando natus es in Bethleem, & reclinatus super fœnum iacuisti in medio duorum animalium in præsepio quasi pabulum iumentorum. Iesu tua fruitio præsentabatur Mariæ,& Ioseph in Circunciſione, quando primò fudisti pretiosum sanguinem tuum, non dubium cum clamore valido, & cum lachrymis, vnde tunc exauditus es pro tua reuerentia. Iesu tua fruitio, & manducatio figurabatur in oblationibus trium Regum pro primitijs gentium. Quam tunc figuram intelligebant Maria,*

& Ioseph, confitentes corde sicut orans postulat Ecclesia: vt quæ solenni celebramus officio, purificatamentis intelligentia consequamur. Iesu tua fruitio fuit in Maria, & Iosepho in die Purificationis, quando in oblatione turturum, aut pullorum columbarum cognoscebant oblationem tui ipsius. Iesu tua refectio fuit in Maria, & Ioseph per illud vniuersum peregrinationis septennium in terra Ægypti, quando eras ipsis subditus, (repræsentas scilicet eam subiectionem, qua nunquam non Sacerdotum vocibus vocatus ades.) Iesu tua refectio gustabatur iam à Maria, & ab Apostolis credentibus, dum prædicasti hoc sacramentum, & dum abeuntibus alijs, quæsiuisti à remanentibus: Numquid & vos vultis abire? Respondit Petrus illuminatus intus à Patre, & à Matre etiam tua astante nutibus, & signis admonitus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Hactenus Gerson, cuius verba, quanta fuerit in B. Virgine spiritualis manducationis corporis Christi, ex quo in templo præsentata fuit, assiduitas, quantus fructus, ac meritum, perspicuè declarant, vsque dum illud sacramentaliter carpere ipsi licuit, postquam à Christo institutum fuit.

Denique tertius alter spiritualis manducationis modus à Theologis agnitus, in præparatione positus est. Nam qui animum suum ad Eucharistiæ sacrum conuiuium dignè sumendum studiosè comparant, iam inde ab eo tempore illud spiritualiter sumere incipiunt, ex quo præparatio ipsa decurrit. Huius spiritualis manducationis meminit inter alios S. Thomas, & D. Bernardinus Senensis *locis suprà allegatis*, eámque hauriunt ex verbis S. Augustini, relatis *in cap. panem cœlestem, de consecrat. dist.* 1. vbi sic ait: *Panem cœlestem spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare*, &c. id est, per innocentem conuersationem, atque irreprehensibiles mores ad suscipienda altaris mysteria se se comparare. Nam ipsamet innocens viuendi ratio, & mores honesti ad eum finem dignè, vt par est, sumendi Eucharistiam, ordinata spiritualis quædam corporis Christi manducatio est, vel ideò cæteris præferenda, quia per illam voluntas propiùs accedit ad effectum per electionem efficacem mediorum ad ipsam proximè conducentium. De Virgine autem sanctissima id affirmare ausim hoc etiam tertio spiritualis manducationis genere ab eo tempore nunquam non vsam fuisse, ex quo Eucharistiæ institutionem à Christo faciendam ex reuelatione didicit. Imò potiùs ita reor ex eo tempore omnes bonas, & honestas actiones, in quibus assiduò se exercebat, ad eum finem de industria & studio retulisse, vt panem illum cœlestem opportuno tempore sanctiùs, digniúsque reciperet.

Huc spectant etiam Gersonis verba *in eo loco suprà citato*, vbi sic scribit: *Iesu tua refectio Mariam oblectauit, cùm ipsa recepit corpus tuum non solùm spiritualiter, sed etiam sacramentaliter: quæ fuit admirabilior suo modo, quàm ipsa maternalis generatio Verbi Dei. Hæc enim fruitio sacramentalis ponit generationem Verbi Dei, & aliud multum vltrà, in admirationem, & vtilitatem omnium. Iesu (inquam) tua fruitio sacramentalis, qua Maria impleta est, bonis exemplar erat, & est omnibus fidelibus, vt esuriant hoc sacramentum: & deinde quòd multo tempore parati non in vanum, vel omissionem, vel contemptum recipiant hoc sacramentum.* Animaduerte illa verba, *quòd multo tempore parati*, quibus Doctor iste affirmat Deiparam longioris præparationis ad communionem exemplar, fidelibus extitisse. Atqui hanc longi temporis præparationem non adhibuit B. Virgo post institutionem sacramenti: nam tunc in singulos dies corporis Christi sacram refectionem sumebat. Loquitur ergo de præparatione illa, quam Virgo ante institutionem ipsius præmisit à Præsentatione in templo, ex quo futuræ institutionis notitiam accepit: atque adeò iam inde ab eo tempore omnes suas actiones ad hanc præparationem referebat.

Iam intelligis quò tendam. In his enim quæ hactenus dixi, id tantùm volo, ac contendo, quòd licèt in vita B. Virginis duos nuptiales dies ante institutionem Eucharistiæ numeremus, alterum quidem à Præsentatione ipsius Mariæ in templo ad Incarnationem vsque: alterum verò, qui gestationem infantis in vtero, Natiuitatem Christi, & pueritiam eius complectitur: nihilominus tamen duæ connubiales cœnæ, quæ in his diebus de more actæ, exhibitæque dicuntur in hoc Cantico, germanam satis accommodationem habent: quippe quæ non de sacramentali, sed de spirituali corporis Christi manducatione interpretari debent iuxta tres modos nuper adscriptos, quibus non sine ingenti vsu, & emolumento Virgo Deipara assiduò reficiebatur. Ac proinde in vita B. Virginis ab ea tempestate, in qua nuptiæ ipsius cum Christo inchoatæ fuerunt, nullus mysticus dies abiit sine cœna: nam duobus prioribus spirituales, duobus verò posterioribus sacramentales cœnæ respondent.

dent. Cur verò quintus dies veſpere, & cœna careat, infrà *cap.* 8. *verſ.* 5. dicemus.

Vlteriùs etiam de prima tranſlatione ſponſæ in hortum, & de eiuſdem ab horto in vrbem, & ab vrbe in hortum progreſſibus aliquid ſubiicere oportet: in his enim non minima ſtructuræ pars Cantici huius ſita eſt, & tertiæ interpretationi de B. Virgine non minus aptè inſeruiunt, quàm aliis. Ergo in memoriam redeat illa horti ſignificatio, quam dedimus ſuprà *cap.*..... in prophetica expoſitione huius libri. Ibi enim hortum, in quem ſponſa tranſlata dicitur, antiquæ Paradiſi vmbram eſſe fusè probauimus, vbi Adamus, Euaque primùm conditi, & vnde poſtea pulſi, atque extores facti fuerunt. quæ ſignificatio in Virginem apprimè quadrat: ipſa enim propter iuſtitiam originalem, qua ab initio inſignita fuit, non quidem ab ſtatu prætiaricationis, vt cæteri mortales, ſed ab ipſa naturali conditione ad eam felicitatem traducta eſt, quam primi parentes in Paradiſo adepti ſunt, atque omnia illa immunitatis iura, quibus puram, & inuitiatam naturam gaudere oportebat, ipſi ab initio indulta, & conceſſa fuerunt, non ſecùs ac ſi in Paradiſo omninò degeret. Quanuis autem ſanctiſſima Virgo innocentiæ illius iura, quibus gauderent homines in Paradiſo, à ſuæ conceptionis primo inſtanti obtinuit: hæc tamen in ipſa Incarnatione, & partu Verbi potiſſimum ſeſe explicuerunt. Nihil certè apud ſanctos Patres obuium magis, quàm Virginem Paradiſi nomine cenſere, aut Paradiſi felicem ſtatum, & delitias ipſi tribuere, ex quibus nos aliquos colligemus infrà *cap.* 4. *verſ.* 13. Sed illud notandum, quòd ſi duo illi noſtri generis Protopatres, Adamus, atque Eua, in accepta iuſtitia conſtantes eſſent, futurum planè, vt eorum ſoboles in Paradiſo manens non ſolùm ab omni culpa, ſed etiam ab omni pœna immunitatem obtineret, ita vt labores, moleſtias, ac denique mortem ipſam ignorarent. Quapropter B. Virginis originalis innocentia id poſcere videbatur, vt vtrumque integræ & in Paradiſo adhuc agentis naturæ priuilegium haberet, ita vt, quæ culpam prorſus neſciebat, pœnam, & labores ex ea profectos ſimiliter ignoraret. Sed tamen ex diſpenſatione factum, vti Virgo in ſumma vitæ ſuæ innocentia huius exilij labores, moleſtias, & mortem coniungeret ad merita ſua augenda, & cumulanda. Audi Richardum à S. Victore in lib. 2. de Emanuele part. 1. cap. vltimo. *Hoc* (inquit) *fuit in B. Virgine ſupra modum mirabile, & præ cæteris omnibus Sanctis ſingulare, quòd in ea ſimul conuenire potuit tanta incorruptibilitas cum tanta corruptibilitate: corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam; ſed ſibi ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quòd paſſibilitatis noſtræ iugum cum tanta impaſſibilitate portauit.* Hæc omnia comperta ſunt. Illud etiam æquè notum, B. Virginem per omnia vitæ ſuæ ſpatia labores, & dolores toleraſſe. Sed tamen ſi myſticos illos nuptiarum dies memoria repetamus, quorum partitionem ſuprà dedimus: certè in primo, & ſecundo, qui Incarnationem, Natiuitatem, & Infantiam Chriſti continent, præfati labores, & dolores leuiores fuerunt: quia nimirum ad cauſas doloris, ſi quæ tunc occurrebant, accedebat ſemper gaudij, atque lætitiæ copioſa materies, quæ mœrorem non temperabat ſolùm, ſed in alacritatem ſæpiùs vertebat. Quapropter per hoſce dies iure optimo dicemus B. Virginem in Paradiſo manſiſſe, quia tunc illi cum ſumma innocentia gaudia, & delitias Paradiſi, & quendam veluti paſſionis expertem ſtatum habere licuit: quod reſpondet illi nuptiarum ritui ſæpiùs à me obſeruato manendi in hortis primo, & ſecundo nuptiarum die. Poſt hæc factus eſt locus paſſionibus, ac laboribus, cùm Virgo filium extremos cruciatus ſubeuntem aſpexit, & in ipſo, & cum ipſo grauiores morte ipſa dolores pertulit, & ſimiles etiam dolores poſtea perpeſſa eſt poſt Chriſti reſurrectionem. De quibus ſic Sophronius in ſermon. de Aſſumptione. *Cogitate attentiùs, ac perpendite, quantis afficiebatur Beata, & intemerata Virgo doloribus poſt Chriſti ad cælum aſcenſum*, &c. Hos autem dolores Virgini non vna cauſa afferebat: illos enim partim elapſa Chriſti paſſio memoria repetita, vt ait Rupertus *in cap.* 5. *Cant.* partim abſentia filij, vt docet Sophronius *loco citat.* partim etiam Eccleſiæ perſecutiones, ac Sanctorum cruciatus, & martyria, de quibus vel ideò grauiter dolebat, vt ait Anſelmus *de excellentia Virginis cap.* 7. quia tota illa perſecutio ad delendam filij ſui memoriam ſpectare nouerat. Quapropter eo modo factum in ipſa fuit mirabile illud commercium *ſummæ incorruptibilitatis quoad culpam attinet, & ſummæ corruptibilitatis quoad pœnam ſpectat.* quod notauit Richardus, & aptiùs ad rem noſtram ſignificauit D. Bernardinus Senenſis *de feſtiuitatibus B. Virginis,*

art.6. vbi sic ait. *Degebat Maria in Paradiso, & simul etiam laborabat in exilio vtrique vitæ bona coniungens.* Per Paradisum autem non intelligit D. Bernardinus cœlestem beatitudinem, sed felicem illum locum, in quo homo à Deo primùm conditus est. Sensus autem verborum talis est. Beata Virgo habuit quidem ex Paradiso innocentiam originalem, & plæraque alia illius loci priuilegia, & iura, quæ originali iustitiæ adhærent: ab exilio autem ad meriti cumulum accepit quoque labores, dolores, passiones, & mortem, quæ à felicitate illius status aliena sunt.

Recurrat igitur memoria ad ea, quæ sæpè notauimus de tertio, & quarto nuptiarum die, in quibus sponsa manè in vrbem procedebat, vespere autem sese referebat in hortos. Nam cùm dies isti in mystica illa partitione Marianæ vitæ, alter à tempore passionis ad ascensionem vsque perueniat, alter verò reliquum vitæ spatium cohibeat, excluſa morte, per id tempus Mariæ Virginis conuersatio erat quasi anceps, atque biformis: nimirum ex parte felix, & beata, similis Paradiso: ex parte etiam laborioſa, & moleſta, similis exilio. Quas vitæ differentias appositè admodum matutinus sponsæ aditus ab horto in vrbem, & vespertinus reditus ad vrbe in hortum, quasi à Paradiso ad exilium, & ab exilio in Paradisum. Ad hæc, in quinta die sponsa deserens hortum, primo manè in vrbem procedebat, ibique absoluebantur nuptiæ. Hæc dies ad B. Virginis mortem, & obitum spectat, vt suprà adnotauimus. Nihil autem à Paradiso alienum magis, & exilij magè proprium, quàm mors, cui diuina dispensatio ad merita cumulanda Virginem obnoxiam esse voluit. Eapropter in illius quintæ diei matutino tempore ab horto in vrbem, id est, à Paradiso in exilium progredi dicitur, morti scilicet tradita, cui secundùm iura exilij humana subiacet conditio. De singulis huius accommodationis partibus vberiùs dicemus suo loco.

Reliquum est, vt de octo Epithalamiis per quinque dies vespere, maneque euariatis aliquid dicamus. nam hæc quoque ad Virginem applicata mystica significatione non carent. Ioannes Gerson super *Magnificat, p.3. tract.2.* affirmat B. Virginem vespere, maneque Dauidis Psalmos, imò & ipsa Cantica Canticorum occinere solitam. Quapropter sicut suprà *cap.*... in prophetica expositione de Ecclesia, ita etiam in hac interpretatione de Virgine affirmare fas est, psalmodiam istam vespere, ac manè repetitam, quam Virgo per singulos dies aut numerosè cantabat, aut deuotè, studioséque recitabat, per Epithalamia matutina, ac vespertina denotari.

Rursus idem Gerson in opere illo, quod inscripsit, *Canticordum*, & ante opusculum super *Magnificat*, de B. Virgine Canticum illud, *Magnificat anima mea*, &c. personante sic scribit. *Maria cecinit in spiritu, & carmen illud erat nuptiale, quod Epithalamium dicimus. Sed quarum nuptiarum? vtique plurimarum. Nubebat in aluo virginalis vteri tanquam in palatio humanitas cum Deitate, caro cum Verbo. Nubebat Ecclesia, quam Ioannes vidit tãquam sponsam nouam paratam nouo viro suo Christo. Nubebat Deiformis Mariæ spiritus Deo suo Domino, & agno, qui erat tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, &c. Et subinde addit Gerson Canticum illud, quod B. Virgo semel ore cecinit in visitatione Elizabeth, idem sæpè ac sæpiùs per reliquam deinceps vitam, aut ore, aut spiritu personuisse. Nam cùm grates illas contineat, quas pro sua electione in Matrem Dei Virgo persoluit, haud dubitandum est (inquit præfatus Doctor) ipsam tanti beneficij quotidie memorem, cantionem illam quotidie ingeminasse. Vide igitur, an etiam liceat præmissam Epithalamiorum vicissitudinem huic tam assiduæ, & quotidianæ gratiarum actioni per accommodationem tribuere, quàm à B. Virgine canticum nuptiale *Magnificat*, &c. per singulos dies non semel vsurpante, Deo relatam absque vlla leuitate credimus.

Possemus etiam aliter cantica matutina, & vespertina in B. Virgine cogitare ex virtutum omnium concentu, & passionum, affectionumque cum ratione concordia: has enim duas veluti harmonias nomine Canticordi in Maria significatas dicit Ioannes Gerson *loco citato*, vbi Mariam Canticordi nobilissimum exemplar esse concludit, his verbis: *In Maria primum virtutum omnium concentus enituit. Deinde spiritus Mariæ viatricis, quantumcumque diuisus cogitetur ab anima, fuit passibilis, voces exprimens in se, nunc amoris, & gaudij, nunc mœroris, & odij, nunc spei, ac metus, ac compassionis: quæ omnia ad harmoniam in ipsa redacta erant. Canticordum igitur habemus in ea, & per eam tanquam in exemplari verissimo, clarissimo, & certissimo.* & alia multa subtexit in eandem sententiam. Ex his autem duabus harmoniis, quas in Virginis spiritu agnoscit Gerson, alteram quidem non temerè matutinam, alteram vespertinam compellare fas erit,

quatenus

quatenus vna procedit, alia subsequitur: atque adeò ex illis matutina, & vespertina Epithalamia in eadem Virgine comminisci.

Ad hæc, Magnus Albertus *in Mariali cap.* 140. postquam asseruit B. Virginis mentem clara Dei visione sæpiùs per vitæ suæ decursum perfusam fuisse, ita demum subscribit: *Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia. Primum est perfecta cognitio Trinitatis sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam.* Et post pauca sic scrit: *Maria ergo habuit matutinam, & vespertinam cognitionem; matutinam per gratiam, vespertinam per naturam, & gratiam.* Loquitur autem Albertus ibi iuxta mentem Augustini, qui per *matutinam cognitionem*, creaturarum agnitionem in Deo clarè viso, per *vespertinam* autem earundem in se ipsis contemplationem intelligit. lege ea, quæ diximus in defensione Conceptionis, *cap.* 32. §. 3. vbi de hac re multa contulimus. quæ si vera sint, non erit etiam à ratione alienum ex vtraque cognitione, matutina, & vespertina, eandem Epithalamiorum differentiam conformare. Tum vel maximè, quia si ea, quæ in citato loco diximus, mente teneas, facilè agnosces eos authores, qui Virginem, quamdiu inter mortales agebat, Deum clarè intuitam fuisse non abnuunt, cùm tempora illa defigunt, quibus clara Dei contemplatio illi concessa fuit, ea certè assignant, per quæ proportionatis interuallis mysticos Marianæ vitæ dies secamus, atque partimur, scilicet Conceptionem, & Natiuitatem ipsius Virginis, Incarnationem verbi, Natiuitatem Christi, Resurrectionem, & Spiritus sancti aduentum: inde verò vsque ad finem vitæ frequentiores Dei visiones illi tribuunt ad consolandam, temperandamque absentiam Verbi, vt ex Sophronio, & aliis ibi adnotauimus. Ac proinde in quolibet nuptiali die matutinas, ac vespertinas notitias in Virgine agnoscere, & distinguere, atque adeò ex vtrisque tam vespertina, quàm matutina Epithalamia configere licet. Addo etiam id quod in superiori capite pro secunda interpretatione de anima, ex mente eiusdem Magni Alberti adnotaui: nimirum in cognitione viæ diuersitatem illam matutinæ, ac vespertinæ quodammodo etiam inueniri, ita scilicet vt cognitio matutina appelletur, quæ est principium amandi proximum, & peragendi virtutum opera propter Deum, id est, ex fine charitatis: cognitio autem vespertina dicatur ea, quæ causa est amandi proximum propter ipsum, & operandi propter honestatem propriam virtutum. Vtramque autem cognitionis speciem in Virgine fateri oportet, quandoquidem cõstat ipsam vtrumque amorem habuisse, & vtriusque generis opera virtutum gessisse: ac proinde licebit etiam ex illis matutina, & vespertina Epithalamia in Virgine comminisci. Denique fas est in B. Virgine vespertina, & matutina Epithalamia meditari ex illo solatio, ac lætitia interna, qua non solùm in prosperis, ac felicibus, sed etiam in aduersis, atque infelicibus euentibus fruebatur, vt supra *cap...* de Ecclesia in vniuersum diximus. Et fanè eam, quam Virgo in passione Filij, atque in aliis eiusdem doloribus, & ærumnis quasi vespertinam animi alacritatem concipiebat, *Canticordum* etiam appellauit Gerson *loco citato*, vbi sic ait: *Canticordum Mariæ secundùm omnem artem musicæ suauissimè, doctissimèque modulatam.* & infrà: *Præcipuè tamen hoc insonuit tempore passionis filij sui, quia tam in filio, quàm in matre cum cantico profundissimæ lamentationis fuit canticum altissimæ exultationis.* Rursus ingentem illam quasi matutinam lætitiam, quam de natiuitate, Pastorum, & Regum adoratione, & aliis valde prosperis filij sui successibus hauriebat, eodẽ nomine Canticordi appellauit idem Gerson, *qui in tract.* 3. eiusdem operis, sic scribit: *Spectaculum istud gratissimum cernere erat apud Deum, & Mariæ spiritum. Quanta putas cum intensione vocis, quantis cum interuallis, nunc tardioribus, nunc celerioribus cantat dilecta de dilecto. Nonne tibi persuasum est Mariam cum Angelis in natiuitate, & rursus in adoratione Regum, & alibi sæpiùs ex iubilatione cantasse. Adde etiam (si libet) illam dum morti, & suæ felicitati proxima erat eygneum aliquid suauissimum resonasse.* Sed tamen hoc leuioris est negotij, parum enim interest, an hic, an ille modus harmoniæ, an etiam omnes prẽmissi ad dicta Epithalamia cõponenda simul accedant.

Denique si ea, quæ hactenus diximus, mente complexus fueris, facilè agnosces ex dictis tertiam interpretationem huius libri de Beata Virgine magis congruere, ac cohærere cum prima expositione prophetica de Ecclesia, quàm cum secunda de anima: ita enim ad illam proximè accedit, & cum ipsa concinit, vt vita Virginis vitam Ecclesiæ, & rursus in Ecclesiæ historia Mariæ totam conuersationem contemplari fas sit. Nam si singulos nuptiarum dies mente percurras, atque ea capias, quæ in singulis tam de Ecclesia, quàm de Virgine suprà texuimus, maximum vtriusque con-

centum intelliges. Id verò (me iudice) noſtri Commentarij formam, & inuentam à nobis huius libri ſtructurã,& compagem non parum commendat: reſpondet enim his, quæ Patres de Virgine paſſim pronunciant, ſcilicet illam totius Eccleſiæ formam, imaginem,& ſimulachrum extitiſſe. Audi Auguſt. *in ſer.* 25. *de temp.* vbi ſic habet: *Vna Virgo alterius Virginis forma fuit. Virgo igitur ſancta Eccleſia celebrat hodie Virginis partum. Vide caſtam Virginem in tot populis vtriuſque ſexus, in tot non ſolis pueris, & virginibus, ſed etiam coniugatis patribus, matribuſque. Sed in quo Virginem caſtam? In fidei, ſpei, & charitatis integritate. Virginitatem proinde Eccleſiæ facturus in corde, priùs virginitatem Mariæ ſeruauit in corpore. Humano quippe coniugio ſponſo ſuo fœmina traditur, vt virgo iam non ſit: Eccleſia verò virgo eſſe non poſſet, niſi ſponſum, cui traderetur, filium virginis inueniſſet.* Sed abſolutiùs de hac re *in ſerm.* 10. *de temp.* quem aliqui D. Maximo tribuendum eſſe putant. *Nonne* (inquit) *in figura Mariæ typum videmus ſanctæ fuiſſe Eccleſiæ. Ad hanc vtique (id eſt, Eccleſiam) ſanctus deſcendit Spiritus, huic virtus obumbrauit Altiſſimi, hinc virtute Chriſtus egreditur. Hæc eſt immaculata concubitu, fœcunda partu, virgo, & caſta perpetuò. Hæc concepit, non viro, ſed ſpiritu: hæc parit, non dolore, ſed gaudio: hæc nutrit, non vbere corporis, ſed lacte Doctoris: hæc eſt igitur ſponſa Chriſti, & gentium magiſtra, quæ ſe plenam miratur, & fœtam lætatur,* &c. Auguſtino copulandus Ambroſ. *in lib.* 1. *de Virgin.* vbi ſic habet: *Sic ſancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole. Parturit itaque nos Virgo, non viro plena, ſed ſpiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudijs Angelorum: nutrit nos virgo non lacte corporis, ſed Apoſtoli, quo infirmam adhuc creſcentis populi lactauit ætatem. Quæ virgo eſt ſacramentis, mater eſt populis. Noſtra igitur mater virum non habet, ſed habet ſponſum, eo quòd fuit Eccleſia in populis, fuit anima in ſingulis, Dei Verbo ſine vllo flexu pudoris quaſi ſponſo innubit æterno, effæta iniuriæ, fœta rationis.* Sed fruſtrà hîc multis de hac ſimilitudine Eccleſiæ, & Mariæ, quia in toto decurſu huius Commentarij conſtabit, quantam inter ſe cohærentiam habeant vita Virginis, & Eccleſiæ totius hiſtoria, atque in vtriſque Eccleſiæ, & Mariæ nuptiis diem cum die ad amuſſim cohærere, & congruere oſtendemus.

Et ſanè ex multis ea fuit altera cauſa, & ratio, ob quam omnes gratias, quas Deus diuerſis Eccleſiæ membris, ac gradibus impertiit, in vnam Mariam contulit, vt eſſet abſolutior, & perfectior totius Eccleſiæ imago, & forma. Eapropter de illa ſic Bonauentura in ſpeculo lect. 7. *Sextò conſideremus chariſſimi, quomodo Maria plena fuerit perfectione vniuerſalis Eccleſiæ. Nam diuerſas, & mirificas perfectiones, & gratias in diuerſis Sanctis ſuis habet, & habuit Eccleſia, in quorum plenitudine detenta fuit Maria, vt verè poſſit dicere illud Eccleſiaſtici: In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Accinit S. Ildefonſus in ſerm. 3. de Aſſumpt. *Vniuerſæ* (inquit) *virtutes in ea reſpergebant ex incendio amoris ſuauitatem odoris: ita vt in ea eſſet forma non ſolùm virginum, ſed etiam omnium Eccleſiarum Dei.* Et Magnus Albert. in ſuo Mariali cap. 20. *Maria* (inquit) *totam Eccleſiæ œconomiam, omnémque illius gradum in ſe continuit,* id eſt, vniuerſam Eccleſiæ hierarchiam, & hiſtoriã in ſe tanquam in imagine, & ſimulachro præmonſtrauit, omneſq; gratias, quibus ſinguli eiuſdem Eccleſiæ gradus à Deo donantur, vna, & ſola accepit, ac tenuit. Denique Lucas Abbas S. Cornelij *in ſummariola Cantici Canticor.* ex Appon. ſic recitat: *Qui nõ credit Deum per Eccleſiam ſuam ea omnia facere, quæ fecit per Mariam, infelix eſt.*

APPENDIX

De ſignificatione morali illorum rituum nuptialium in matrimonijs. hi ſunt, quinque dierum connubialium numerus, tranſlatio ſponſæ in hortos, velatio, ac reuelatio eiuſdem, quatuor cœnæ generales, & octo Epithalamia.

§. I.

INTER alia, quæ in hoc opere me facturum initio promiſi, illud etiam pollicitus ſum ex allegoria, & cortice eius libri, qui totus ex nuptialibus ritibus deſumptus eſt, aliquid etiam boni ſenſus exprimere ad matrimonia informanda. Nullus enim dubitare poteſt, antiquas illas nuptiarum ceremonias præter ſenſum propheticum rei futuræ, quem à prima ſua inſtitutione

continue

continuerunt,ad Eccleſiæ & Chriſti nuptias, totúmque eiuſdem Eccleſiæ decurſum, & progreſſum prænunciandum,aliquam etiam moralem ſignificationem habuiſſe ad matrimonia ipſa,in quibus adhibebantur, inſtruenda, & formanda. Nihil enim obuium magis apud authores,ſiue ſacros,ſiue prophanos, quàm iſtorum connubialium rituum morales ſignificationes perſcrutari. Quia igitur pro illis ritibus, qui toti libro communes ſunt, aut nullus deinde aptus locus eueniet ad eorum ſignificationes eruendas, aut certè neceſſum erit paſſim eadem repetere; eapropter operæ pretium putaui de hac theſi in fine huius Iſagoges aliquid compendiosè ſubiicere.

Primò ex dictis ſuprà *cap.* 3.§....liquet,iuxta ſolennem Hebræorum morem nuptias tertia die hebdomadæ, quam ipſi tertiam Sabbati appellant, ſub veſperum inchoari ſolitas,& per quatuor ſequentes dies ad ipſum vſque Sabbatum produci. Cogita ergo quòd ſicut in mundi duratione ſeptem ſpatia, aut interualla diſtinguunt Patres, quæ totidem hebdomadę vnius diebus reſpondent,& ab ipſis mundi dies,aut ætates compellantur, vt ſuprà *cap....* fusè probauimus: ita etiam ex vita hominis hebdomadam, vel ſeptimanam quandam conformare licet,in qua ſinguli dies cum ſingulis ætatibus congruant. Sicut enim ſeptem integræ hebdomadæ dies, ita etiam hominis perfecta vita ſeptem interuallis conſtat,quæ eiuſdem vitæ dies, aut ætates appellare licet. Ita ſcripſit Cœlius *lib.* 19. *cap.* 22. vbi illud ex antiquorum Philoſophorum obſeruatione adnotat,ſeptem planetas, à quibus dies hebdomadæ nomen ferunt, ſeptem quoque ætatibus præſidere,atque imperare: Lunam ſcilicet infantiæ,quæ tanquam mater illam fouet: Mercurium pueritiæ,qui tanquam pædagogus illam regit: Venerem adoleſcentiæ, quia illa ætas ad contrahendas nuptias idonea eſt,ad quas copulandas Venus incitat: Solem iuuentuti,quia in ea ætate rationis lux ſplendeſcit, quam Phœbus infundit: Martem virilitati, quia in ea ætate vigent robur,ac vires,quas Mars ſimiliter inſpirat: Iouem ſenectuti, cuius propria eſt prudentia, ac conſilium, quæ à Ioue deriuantur: Saturnum ſenio, quæ ætas initio quidem beata, & felix propter paſſionum, affectionúmque pacatiſſimam quietem,quæ à Saturno defluit: tandem miſera, decrepita,pigra,triſtis, & querula, quæ omnia à Saturno ſimiliter deſcendunt. Hæc fermè Cœlius, quæ omnia ex Proclo à ſe deſumpta affirmat. Verba autem Procli *in lib.de dæmone, atque anima*, ſic habent: *Ætatum hebdomada ſequitur ordinem vniuerſi. Prima quidem ætas lunarem ſequitur poteſtatem: tunc enim ſecundùm nutritiuam,vegetalémque viuimus facultatem. Secunda Mercurialem, quando literarum,citharæq;,& luctæ, ſimiliúmque ludorum ſtudium exercemus. Tertia Veneream, quando turgent membra ſeminibus,& ad genituram,nuptiáſque protinus incitamur. Quarta ſolarem, tunc enim regnat vigor,ætatiſque perfectio properat, ætáſque media. Quinta Martiam, in qua potentias,& victorias affectamus. Sexta Iouiam,quæ prudentiam, & vitam actiuam,ciuilémque deſiderat. Septima Saturniam, in qua naturæ conſentaneum eſt à generatione deſiſtere, ſéque à corporeis ſegregare,& ad alteram,incorporeámque vitam transferre.*

His prælibatis,aio primò nuptialem illum ritum celebrandi matrimonia tertia hebdomadæ die ſub veſperum ad ethicam ſignificationem tranſlatum nuptias in tertia ætate circa finem illius contrahendas eſſe perſpicuè ſignificare: in adoleſcentia nimirum,quæ ætas(vt Medici,ac Philoſophi decernunt)à decimoquarto, vel à decimoſexto ad vigeſimumprimum, ſeu vigeſimumquintum peruenit: aliqui ad trigeſimum extendunt,qui putant ad illud vſque tempus corpori ſemper aliquid accedere, ratione cuius eatenus adoleſcere dicitur. Ego verò eorum ſententiæ lubentiùs acquieſco, qui adoleſcentiam vigeſimoquinto ætatis anno definiunt. Addo etiam eam ætatem, quæ eſt quaſi finis,aut veſpera adoleſcentiæ,viris ad matrimonia copulanda ante alias idoneam eſſe. Ita cenſuit Tiraquel.*in 6.leg.connub.* vbi poſtquam plures de hac re ſententias contulit,connubialem quandam legem exprimit, his verbis: *Mares vigeſimoquinto annorum, aut circiter nuptijs addicuntur.* Ariſtoteles quidem nuptias ad trigeſimumquartum annum morandas eſſe putauit *lib.*7.*Polit.cap.*16.exiſtimat enim virum vigintiquinque annis grandiorem fœmina eſſe debere, vt poſtmodum ſimul vnáque generare deſinant: nam conſtat (inquit) fœminis quinquageſimum, viris autem ſeptuageſimum vitæ annum generandi finem afferre. Sed lubentiùs amplector eorum ſententiam, qui ſatis eſſe ducunt,vt vir decem tantùm annis mulierem antecedat: ita nimirum vt fœmina quintumdecimum annum attigerit, maritus verò vigeſimumquintum expleuerit. Et ſanè huic opinioni adhæſiſſe videtur Abrahamus, quem ſacræ literæ *Geneſ.* 17. tradunt decem tantùm annis Sara vxore ſua natu grandiorem.

Nam Abrahamus ipſe inibi Angelum ſic affatur: *Putáſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet.* Ideò verò nuptias vltra illud tempus differendas non eſſe cenſeo, ne ante nuptias ſcortationi aſſueſcant iuniores, quæ ætatis florem prorſus enecat, & in maciem, tabémque ſoluit. Ita ſuadet S. Ioannes Chryſoſtomus *homil. 5. in Epiſt. ad Theſſal.* vbi ſic ſcrit: *Quicumque filios habetis iuuenes, & ad mundam vitam eos educitis, citò eos ſubiungite iugo matrimonij. Nam quando adhuc iuueni moleſtiam exhibent deſideria, eo quidem tempore, quod præcedit matrimonium, eos continete admonitionibus, minis, & terroribus: vbi autem tempus matrimonij acceſſerit, nemo differat eos coniungere, & copulare.* Subdit verò rationem paulò inferiùs: *Si in mentem ei venerit, quòd ſis ſocors, & negligens, cunctériſque, expectans dum magnos prouentus ſis poſſeſſurus, & tunc ei parabis nuptias, ob temporis longitudinem animum deſpondens citò labetur ad ſcortationem.* Sed quid inde? Attexit: *Iunior autem incipiens laſciuire, & ſeſe dedere libidini, & morum meretriciorum accipere experientiam, vſque ad primam quidem, vel ſecundam veſperam laudabit ſuam vxorem: poſtea autem citò dilabetur ad illam laſciuiam, & petulantiam,* &c. Accinit etiam D. Ignatius Martyr, cuius verba producit Antonius Monachus in Meliſſa lib. 1. cap. 14. *Iuuenibus conuenit nubere, antequam alienarum amoribus implicentur.*

Vlteriùs etiam dico, per quatuor reliquos nuptiarum dies totidem ſuccedentis vitæ humanæ ætates notari, ac deſcribi. Ideò autem ex veteri ritu præfatum dierum numerum celebrem fuiſſe reor, vt eſſet præſagium rei futuræ: id nimirum deprecantes nouitiis ſponſis, vt ſicut quatuor illos dies in nuptiis alacres, læti, ac ſani agebant, ita etiam quatuor reliquas vitæ ſuæ ætates ab adoleſcentia vſque ad ſenium cum gaudio in valetudine peragerent. Adde etiam, non temerè nuptias Sabbato primo manè terminari ſolitas, quia veſperum huius extremi diei, vt nuper dicebamus, ſenio reſpondet, quæ eſt decrepita ætas, pigra, triſtis, querula, & ſui impatiens, quæ ipſa morte grauior eſſe conſueuit: atque adeò nuptias matutino tempore abſoluentes, eo documento ante ingraueſcentem illam ſenij partem coniugibus vitam præcidi, optare ſe demonſtrabant.

Quia verò, vt ſuprà non ſemel diximus, ſed tum maximè *cap.* 3. §.... ceremoniæ iſtæ nuptiales non ſine Dei afflatu ab antiquis illis Patribus vſurpatæ, & in mores deductæ ſunt. Eapropter exiſtimo huic longioris vitæ præſagio, quod præfatorum dierum numerus non humano, ſed diuino conſilio inuentus ſignificabat, adiunctam fuiſſe aliqualem promiſſionem Dei: vt nimirum hi, qui honeſtè, & piè nuberent, & matrimonij iura, & leges ſanctè obſeruarent, eam dierum longitudinem, quam præſcripti dies adumbrabant, promeritis impetrarent.

Hanc nuptialium dierum cum ætatibus cohærentiam, & ſignificationem futuræ vitæ agnouerunt Romani, teſte Plutarcho: nam in Problematis rationem offerens, cur menſe Maio Romani à nuptiis abſtinerent, addit Maium à Maioribus dictum, atque adeò menſem illum ſenioribus, & natu grandioribus dicatum eſſe: his autem valde turpe eſſe iam tunc nubere. Eius verò Scholiaſtes ſubinde attexit, ideò etiam ſenioribus apud eoſdem Romanos, ſi quando coniugia copulabant, vnam tantummodo cœnam genialem, & vnum tantùm diem nuptialem agitare permiſſum fuiſſe: quod ideò ab illis cautum dicit, vt earum nuptiarum parum honeſtam coniunctionem demonſtrarent. Ego verò alio conſilio id ab ipſis demandatum reor, quia nimirum cùm plures nuptiales dies, pluréſque eiuſdem hominis ætates ſignificarent, meritò ſenibus interdictum plures dies celebritati nuptiali impendere: & queis vna tantùm ætas tranſigenda reliqua erat, ea tantùm nuptialis dies meritò indulta fuit. Sed quæres fortaſſe, an etiam id in vſu fuerit apud Hebræos? Non ſatis ſcio. Illud tantùm habemus apud Eliam in Thisbe: *Seniorum nuptiæ breues ſunt apud noſtros.* Sed an ſermonem faciat de nouitiis, an de antiquis Iudæis, non ſatis teneo. Fortaſſe noui ex antiquis acceperunt, quos veriſimile eſt in hoc etiam ritu, ſicut in pleriſque aliis nuptiarum ſolennibus ceremoniis cum Gentilibus concordes fuiſſe.

Rurſus illud etiam morali ſignificatione non vacat, quòd ex quinque nuptialibus diebus quatuor priores erant profeſti exercitio, & labori addicti: quintus verò feſtiuus, & ſolennis, ſcilicet Sabbatum, cuius primum manè ad nuptias pertinuiſſe conſtat. Huius etiam rei aliqua religio imbuit Gentiles. Nam Plutarchus *in Problematis*, hunc ad modum quærit. *Quid eſt, quòd publicis feſtis veteri more virgines non nubunt, viduæ nubunt?* Huic verò quæſito aliter atque aliter reſpondet. *An* (inquit) *vt Varro dicit, quòd*

quòd virgines cùm in matrimonium dantur, doleant, mulieres verò lætentur: die autem festo omnem tristitiam, & necessitatem abesse oportet? An quia virginibus decorum, viduis autem multis præsentibus turpe nubere: dies verò festi multitudinem adeò distrahunt, vt his rebus per otium interesse non possit. Hæc ille. Ego verò in eo ritu eo modo, quo ab Hebræis vsurpatum fuit, aliud documentum, seu connubiale præceptum agnosco. Ideò enim quatuor priores dies profestos, dies, inquam, operationis, & laboris, nuptiis impensos suspicor, quia dies isti respondent quatuor vitæ humanæ ætatibus, in quibus coniuges laborare, & exerceri oportet, vt sibi, ac filiis suis fortunarum satis conquirant. Quinta verò dies nuptialis erat Sabbatum, quæ conuenit cum senio, in quo illis, qui per reliquum vitæ suæ tempus industria, & labore multa bona compararunt, ociari, ac feriari iam licet. Quia nimirum sicut in Sabbato ex paratis externa die cibariis edere opus erat: ita etiam ipsi partis per superiores ætates victitare poterant. Nescio quid istius, ac superioris significationis, de longiori scilicet coniugatorum vita, & de operis, & otio eorundem subodorari mihi videor in illis verbis Psalmi 127. quem pro nubentibus in templo recitari solitum alibi monuimus: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Hæc industriam, & laborem suadent, quæ ad dies communes pertinent. Subnectit Psaltes: *Vxor tua sicut vitis abundans in laboribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Hæc luculenta sunt. Addit Vates: *Benedicat tibi Dominus in Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Diuitias, & opes copiosas ipsi precatur, ac demum sic orationem perficit. *Et videas filios filiorum tuorum pacem super Israël.* Obseruanda est vox illa *pacem*, cui subest in primitiuis שלום *Salom.* Sed notant Masorethæ, in antiquis codicibus pro voce illa *Salom* ad marginem adscriptum legi סבתום *Sabbathom*: atque adeò locum illum inuariata sententia, sed diuerso lepore sic conuerti posse: *vt videas filios filiorum tuorum requiem, aut Sabbatum in Israël.* Ego verò sic interpretor: id est, vt decursis aliis ætatibus, illam denique attingas summè longæuam, quam Sabbatum nuptiale adsignificat, in qua filiorum, ac nepotum stipatus caterua, à superioris vitæ laboribus otiari, atque feriari, & partis bonis perfrui tibi liceat.

Cum hac sententia cohærere etiam videtur ethica significatio quatuor cœnarum, quas per quatuor priores dies ad vesperum dari solitas sæpe adnotauimus. Puto enim hoc à prima institutione non præsagium tantùm rei futuræ, sed etiam aliquam Dei promissionem continuisse, quæ non obscurè innuat futurum, vt his, qui cum honestate, & pietate nuptias contrahunt, & matrimonij iura castè, ac sanctè seruant, per quatuor ætates, quas quatuor illi dies vmbram significant, ex industria propria, aut ex paternæ hæreditatis prouentibus victus affatim suppetat: vt nimirum expleatur illud, *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Græcè πόνος τῶν καρπῶν, quæ alij restituunt, *labores fructuum tuorum*, id est, fructus laborum, &c. Vel nexus est vtriusque rei significans pium coniugem tam ex labore, & industria, quàm ex fructibus, & reditibus necessaria ad vitam reportaturum. Sed quid causæ subest, quòd quinta nuptiarum dies cœna caret geniali? An quia in extrema vitæ ætate, quam dies ille designat, æquum est, vt pater filiis, atque filiabus in matrimonium traditis, atque fortunis suis inter eosdem distributis, spontaneam sibi ipsi accersat penuriam, vt proinde ipsis parcè admodum viuere opus sit? An etiam parentibus in ea ætate ideò non promittitur copiosus victus, vt locum habeat filiorum pietas, ad quam spectat illos seniores, & grandæuos suis facultatibus innutrire? Nec abhorrent vtique ab hac significatione extrema illa verba Psalmi, *vt videas filios filiorum tuorum Sabbatum super Israël:* vt nimirum in vitæ tuæ extremo Sabbatismo filios, & nepotes, qui te, exhaustis facultatibus, depauperatum, & laborem, industriamque ad parandum victum conferre iam non valentem, otiosum planè, ac desidem suis facultatibus innutriant. Hæc autem conuiuia nuptialia ad significandam futurarum ætatum affluentiam, & copiam inuenta, suadet quidam apud Græcos solennis ritus exterminandi famem, qui ante nuptiales epulas præmitti solebat, vt tradit Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis; nam seruum quempiam ignobilem virgis cæsum è cœnaculo pellebant ita profantes: *Foras famem, & intus opes, & sanitatem.* nimirum eo ritu significantes eorum, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, penuriam longissimè futuram.

§. II.

ALter ritus apud Hebræos ſolennis fuit tranſlatio ſponſæ in hortos, & ſyluas amœnas: in his enim ex veteri inſtituto nuptias agere conſueuerunt. Huius autem rei origo fuit (vt non ſemel alias adnotaui) quia cùm Euæ atque Adami nuptiæ, Deo quaſi pronubo,& paranympho,olim in Paradiſo copulatæ primùm fuiſſent,reliqui eorum minores, ac poſteri eos imitati, nuptias ſuas in hortis agere cœperunt. Itaque horti amœniores ideò vel maximè ad nuptias eligi ab initio conſueuerunt,vt Paradiſum illam felicem, ac beatam ſignificarent, in qua humani generis fontes Adamus Euaque à Deo conditi ſuas primi contraxerant. Sed quid inde? Ego quidem tanquam certum ſuppono,ritum iſtum, quemadmodum alios ex Dei conſilio, & afflatu olim inuentum,& celebratum fuiſſe. Quapropter non ſolùm præſagium,& prænunciationem continebat rei futuræ, ſed etiam promiſſionem diuinam, per quam Deus eo ſymbolo ſignificabat futurum, vt coniuges concordiam ſeruantes, & matrimonij leges, thalamíque nuptialis fidem tenentes, vitam agerent feliciſſimam, ac beatiſſimam,non vtique æqualem, valde tamen adſimilem ei, quam Propatres noſtri innocentiam retinentes in Paradiſo tranſigerent. *Que vale tanto como decir que gozaran vna vida del parayſo.* Et ſanè virum, & vxorem ſibi per omnia conſentientes felix admodum ac beata vita conſequitur,quæ illos ex hoc exilio ad Paradiſum quodammodo transfert.

Succedat memoriæ id quod ſuprà *cap*....de ſaltu Engadditico præfati ſumus,quem Oſeas cap. 2. *Vallem Achor* vocauit, & in quem Deus ſponſam ſuam Eccleſiam à ſe transferendam inibi affirmat. Diximus enim eo loci ex Hebræorum coniectura vallem illam familiari ſermone propter amœnitatis excellentiam appellatam fuiſſe *Edem*, id eſt,*Paradiſum*. Addo etiam nunc de hoc ſaltu loqui Salomonem *cap*.8. huius Cantici,vbi ait,*Vinea fuit pacifico in ea,quæ habet populos*. In primitiuis eſt,*Vinea fuit Salomoni in* בעלהמון *Baghalhamon*, quam vocem retinuerunt Septuaginta tanquam loci alicuius propriam. Vulgatus autem ſignificationem illius expreſſit,*in ea,quæ habet populos*,id eſt, in ea, quam habent, ſeu poſſident populi: ſubeſt enim hîc illa permutatio verborum Scripturę ſolennis.Noſter Gaſpar Sanctius meritò ſuſpicatur ſyluam iſtam, quæ in eo loco appellatur *Baghalhamon*,non eſſe diuerſam ab Engaddi,& Achor, ſed eandem prorſus, vinearum ſcilicet balſami, atque aliorum aromatum feraciſſimam, quæ propter incredibilem amœnitatem vulgò appellabatur *Edem*. Addit verò noſter Sanctius propterea ſaltum iſtum vocatum fuiſſe *Baghalhamon*, quia tanta erat huius pagi vbertas, vt ſortem aliquam ibi vel exiguam habere optaret quilibet de populo: ideò ſaltus *habens populos*, vel quod idem eſt, habitus, poſſeſſúſque à populis vocari ſolitus.

Aliquid vlteriùs mihi in mentem venit, ſcilicet verbum בעל *Baghal*, ex quo fluit *Baghalhamon*, duplicem ſortiri ſignificationem: nam *dominari* adſignificat, aut etiam *maritari*: atque adeò vocem illam ita reſtituere fas eſt. *In ea, quæ maritat populos*, ſeu *in maritante populos*. Ita enim coniicio, propterea eo nomine donatam ſyluam illam, quia propter ſummam illius vbertatem, & amœnitatem ad nuptias celebrandas idonea erat: & eò vel maximè quilibet popularis ſaltus illius ſortem aliquam poſſidere cupiebat, vt locus aptus ſibi ac filiis ſuis ſuppeteret ad nuptias contrahendas. hanc coniecturam roborat non ſolùm nomen regionis,ſed etiam concordia Salomonis, atque Oſeæ Prophetæ; vterque enim nuptias deſcribens eundem locum, ſcilicet ſaltum Engadditicum illis accommodat: vt proinde ſuſpicari liceat ad copulandas nuptias maximè idoneum vulgò cenſeri. Ad hæc ſuſpicioni ampliùs indulgens puto locum illum non ſolùm propter eximiam amœnitatem ad nuptias copulandas maximè idoneum ab antiquis Hebræis creditum,ſed etiam propter nomen *Edem*,id eſt,Paradiſi,quod illi inditum erat. Nam Hebræi cùm nuptias in hortis agere ideò ſolerent, vt priores illas ab Adamo & Eua in Paradiſo initas imitarentur, meritò illam ſyluam cæteris prætulerunt, quæ Paradiſi nomine gaudebat: eo ſymbolo demonſtrantes id, quod nuper dicebamus, ſcilicet per matrimonia legitima, ſi piè ac ſanctè,vt par eſt, gerantur,coniuges ad vitam quandam beatam,& felicem transferri,ei ſimilem,quam primi parentes in Paradiſo voluptatis degerent.

Nec immeritò,nam maxima illius loci felicitas in concupiſcentiæ, ac libidinis cum ratione ſumma concordia ſita erat. At quis neſcit matrimonij propriam,& præcipuam

vim

vim esse, concupiscentiæ, ac libidinis flammas restinguere, & carnem rationis imperio mancipare. Augustinus *lib. 1. de Nuptiis & Concupiscent.* vbi matrimonium concupiscentiæ remedium, & incontinentiæ asylum appellauit *cap. 16.* sic scribit. *Quia igitur tales omninò nuptiæ esse non possunt, quales primorum hominum in Paradiso, si peccatum non præcessisset, sint tales, quales Sanctorum Patrum: vt nimirum pudendæ carnis concupiscentiæ, quæ in Paradiso nec ante peccatum fuit, nec post peccatum esse permissa fuit, nequaquam seruiatur.* Quasi dicat. Id certè obtinent coniuges fideles in coniugiis, vt scilicet ipsius matrimonij licitis & honestis voluptatibus indulgentes eo auxilio concupiscentiæ imperent suæ, ne ad illicitas prolabatur: atque ita fit, vt quamuis eorum nuptiæ non sint per omnia æquales eis, quas homines agerent in Paradiso sine aliquo libidinis motu, illis tamen haud dissimiles existant, quatenus concupiscentiæ ardores etsi non tollunt, sedant nihilominus, atque rationi mancipant. Et iterum *cap. 21.* idem Augustinus matrimonium inducit de lapsu Adami, & de illius exilio è Paradiso, ad hunc modum expostulantem. *Si peccatum non fuisset, quid me in Paradiso securius esse potuisset, vbi nec stimularet mea, nec alterius me libido tentaret, Respondebit autem connubij sacramentum, de me ante peccatum dictum est in Paradiso: Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo, & in Ecclesia.* Hæc Augustinus, cuius extrema verba occurrunt querelæ à matrimonio expositæ: atque adeò sensus eorum talis est. Felix vtique esset matrimonij conditio ante lapsum in Paradiso, ex eo quòd omnis ab illo concupiscentiæ, ac libidinis motus abesset: sed non ideò infelices nuptiæ post lapsum, quia etsi libidinem radicitus non tollant, tamen ex eo quod coniunctionis Christi, & Ecclesiæ symbolum continent, ad libidinem vincendam auxilia, remediaque administrant. Imò potius ideò vel maximè feliciores, ac beatiores sunt istæ nuptiæ, quia per sacramentalem gratiam fit, vt concupiscentiæ, ac libidinis reliquiæ non noceant, sed ad meriti cumulum præstent. Denique D. Chrysostomus *homil. 4. de verbis Isaiæ*, cùm proposuisset sibi excusationem, per quam aliqui ideò se apud Deum de multis criminibus purgatos volunt, quia vxores habent, post multa ita demum attexit: *Mala est vxor: corrige eam. Sed ais: Hæc è Paradiso me expulit: verùm eadem te in cœlos inducit.* Ipse verò sibi lux est Chrysostomus, loquitur enim de hac vita: ideò enim virum ab vxore legitima in cœlum induci affirmat, quia per ipsam obtinet, vt concupiscentiæ, & libidinis victor grauia peccata exitium, & perniciem sibi allatura declinare facilè possit.

Ad hæc si quæras quid sibi velit ethicè ille, qui per aliquot ex his nuptiarum diebus ab sponsis fiebat ingressus in vrbem, atque regressus in hortos? Vide an hæc alternatio, ac reditio ancipitem illam coniugatorum vitam rectè adsignificet: de qua Paulus ait 1. ad Corinth. 6. *Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, ac diuisus est*, &c. Vel aliter, iuxta ea, quæ nuper diximus, nimirum per hortum, in quo celebrabantur connubia, Paradisum notari, ad quam matrimonium legitimum, & sanctè piéque actum coniuges quodammodo restituit, præfatus aditus in vrbem, & reditus in hortos significabit vtique vitam coniugalem, quantumuis honestam, & iustam; ex parte quidem beatam, & felicem, Paradisíque delitias æmula quadam imitatione adumbrantem: ex parte verò infelicem, ac miseram, propter curas, & solicitudines domesticas, quæ animos coniugatorum assiduò distrahunt. Sed tamen id leuius est.

Illud ante alia moralem significationem continet, quod in velandis, ac reuelandis vxoribus antiquis Hebræis in vsu fuit. Et sanè prima, & maximè nota indicatio velationis sponsalitiæ erat pudor ipsius sponsæ; quia ne ad nuptias veniens subitò & ex tempore retecta pudefieret puella, reuelatio illius sensim, paulatímque fiebat, iuxta ordinem in hoc Cantico seruatum, vt sæpe animaduertimus: sed tum maximè *cap. 3. §. 3. per totum.* Ad hunc modum Hebræi puellarum pudori consultum volebant, quia nimirum virgines suas pudoris & verecundiæ vsque adeò amatrices esse putabant, vt virorum oculos non aliter sustinere possent, nisi eo modo sensim & per interualla reuelarentur. De hoc studio celandi faciem causa pudoris, quod nubentes puellas in primis decet, satis eleganter D. Ambrosius in lib. 1. de Pœnitent. cap. 13. *Ideò* (inquit) *velamine obnubit caput suum virgo, vt etiam in publico tuta verecundia sit, nec facilè vultus eius in adolescentis oculos occurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum: sed vtrumque suum vulnus est. Quod si tegmine*

caput

caput velat, ne temerè aut videatur, aut videat (dum enim caput velatur, vultus abſconditur) quantò magis velare ſe debet pudoris tegmine, vt etiam in publico habeat ſuum ipſa ſecretum. quibus verbis Ambroſius velamen nuptiale pudoris tuendi cauſa inuentum, imò ipſius pudoris vicarium quodammodo eſſe affirmat, id exteriùs præſtans, quod pudor præſtat interiùs. Fortaſſe autem ob eam cauſam color flammei erat purpureus, vt ſcilicet cum genuino ipſius pudoris colore concordaret. De quo idem Ambroſius *in Inſtit. Virginis cap.* 16. ſic ſcribit: *Non enim ſolitaria dos pudoris eſt, ſuccingat ſacræ Virginis crinem modeſta ſobrietas, continentia vt virtutum accincta comitatu purpureo Dominici ſanguinis ſuccincta velamine mortificationem Domini Ieſu in ſua carne circumferat. Hæc ſunt meliora, quæ ſunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegitur, innocentia reuelatur.* Hæc Ambroſius de colore flammei; cuius verba iam inde ſuprà à me expenſa ſunt *cap.* 3. & non ſemel aliàs in lancem venire oportebit. Cui accinit etiam Scholiaſtes antiquus Iuuenalis, qui ſic ait: *Flammeum erat ſanguineum, propter ruborem cuſtodiendum: vt nimirum velum ruborem ſuo colore imitans, pudorem illum, quem virgo ad nuptias afferre ſolet diſſimulare poſſet.*

Ex his conſtat, ea omnia, quæ circa velationem, & reuelationem ſponſæ in nuptiis de more fieri ſolebant, ad pudorem illum notandum adhiberi, quem noua nupta tanquam locupletiſſimam dotem ad nuptias afferre debet. Ideò ſponſa initio tradebatur pallio obducta virginum proprio, quod ita faciem celabat, vbi eam prorſus abſconderet; quia nimirum credebant illam eo tempore præ nimio pudore virorum oculos nullo modo ſuſtinere poſſe. Poſtea verò in ſecunda nuptiarum die, ablato priori illo velo cæco, & obſcuro, recipiebat flammeum ſubtile purpura imbutum, per cuius retia ſuboſcurè videri, ac videre poterat, vt ea ratione intuentium oculos minùs erubeſceret, ac ſi quid pudoris, ac ruboris ſuberat, ipſius flammei color illud diſſimularet. Ac demum quarta die flammeum etiam illi adimebatur, & aperta facie in publicum procedebat, ita vt omnium oculis conſpicua eſſet, atque ipſa etiam libere alios intueretur. Itaque ſicut his quos ex tenebris in claram Solis lucem prodire oportet, ſuadere ſolemus, ne ſubitò in apertum prodeant, ſed paulatim ex caligine ad lumen aliquod ſubfuſcum, & inde in lucem candidiſſimam veniant, ne oculorum acies ſubita luce perfuſa obtundatur, & hebeſcat; ita etiam de puellarum verecundia cenſuerunt antiqui Hebræi. Nam ne iſthæc, quæ eatenus in laribus paternis inuiſæ delituerant, ſubitò in oculos venientes plus nimio erubeſcerent: quandoquidem illas in altera nuptiarum die in publicum progredi, & ſuam pulchritudinem oſtentare oportebat, reuelatio ſenſim, & paulatim fiebat, ne aut pudor nimius illas valde contriſtaret, ac confunderet, aut ipſa ſui ſubita proditione, vt fieri ſolet, diſcederet. Sed de hac velaminis ſignificatione aliquid vlteriùs dicemus infrà *cap.* 1. *verſ.* 4.

Cæterùm illa eſt maximè propria, & germana fœminei velaminis ſignificatio pro obedientia, & ſubiectione, quam agnouit Paulus, & omnes eius interpretes celebrarunt ad illa verba, *Mulier debet habere poteſtatem ſupra caput ſuum*, &c. id eſt, velamen poteſtatis inſigne capiti ſuo impoſitum geſtare debet, vt ſuprà *cap.* 1. §. 3. hæc verba appendens notaui, & alibi etiam notare opus erit. Huius autem ſignificationis germanam rationem offert inibi Apoſtolus: quia nimirum fœmina caput ſuum velo obnubens, virum ſibi pro capite eſſe eo ſigno demonſtrat. Hæc comperta ſunt. Illud ignotius, quod iam ſubdo. Velamen illud obſcurum prorſus ac cæcum, quo virgines ante nuptias vti, & quod ad nuptias etiam afferre ſolebant, patriæ poteſtatis ſymbolum fuit apud antiquos. Hac de re nonnihil dixi ſuprà *cap.*...

Sed ne putes id à me gratis dictum, accipe huius rei luculentum teſtimonium ex Tertulliano *in lib. de velandis virginibus*, vbi fusè probans eodem iure virgines, atque coniugatas velamine vti debere, inter alia ſic ſcrit: *Conuertamus ad virgines iam rationes illas, propter quas Apoſtolus docet velari fœminam oportere, an eadem etiam virginibus competant? Si caput mulieris vir eſt, vtique & virginis caput vir eſt, de qua fit mulier niſi virgo tertium genus eſt monſtroſum aliquod ſui capitis.* Senſus autem horum verborum is eſt. Sicut mulier nupta virum ſuum capitis loco ducit, & velut capiti ipſi defert, & ideo velamen geſtat: ita etiam virgo parentem ſuum capitis loco habet, cuius patriam poteſtatem ſuſtinet, atque adeò ſimilem ad modum velari debet, niſi fortè virgo inter fœminas monſtrum eſt capite carens, aut contra naturam, quæ ipſam ſui iuris eſſe non permittit, proprio capite abutens.

Inde ergo ad ſignificationem moralem velationis ac reuelationis ſponſalitiæ, prona

ſternitur

ſternitur via. In primis enim diſcrimen illud vtriuſque veli ſæpiùs animaduerſum, vtriuſque etiam ſubiectionis differentiam facilè oſtendit ; quia velamen virginum erat prorſus obſcurum ac cæcum, quale deſcribitur à Tertulliano in eo lib. cap. 16. *Murum ſexui tuo inſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Flammeum verò nuptiale erat ſubtilius, & gracilius, proprios, & alienos admittens quodammodo, atque emittens. Quæ velaminum inæqualitas duarum ſubiectionum inæqualitatem perſpicuè notat : nam patria poteſtas puellam continens, longè grauior, ac moleſtior exiſtit, quàm maritalis. Nam parentis ius in filias nimis ſeuerum exiſtit, & filiarum erga parentes obſequium valde humile, ac demiſſum eſſe debet. Eapropter patres hoc iure vtentes ipſas laribus intimis arctè incluſas cautiſſimè adſeruant, ne videantur, ac ne videant. Poteſtas verò mariti debet eſſe liberalior, quæ nimirum vxorem ad conſortium, & communionem honoris, & bonorum omnium admittat, quæ non omninò ſolutam, & effuſam, largam tamen, ac beneuolam libertatem ipſi indulgeat. Liceat ſic dicere : illa quidem inſtar virginei velaminis craſſa, cæca & obſcura; hæc verò inſtar flammei nuptialis tenuis, atque ſubtilis ac leuis eſſe debet.

Ideò igitur virgo nubilis virgineo amicta velo à parentibus tradebatur ex more marito ſuo, vt eo ſigno demonſtrarent eam vtique à ſe tradi, quæ dudum ſub patria poteſtate manens ad obedientiam edocta fuerat : futurum ſpondentes, vt quæ diutiùs parentibus ſuis ad nutum paruerat, eadem viri ſui obſequio nunquam deeſſet: & quæ caput ipſa ſuum tegens capitis loco parentem ſemper habuerat, eadem in caput ſuum libentiùs virum exciperet, nihil monſtroſum, & naturæ aduerſum excogitans. Deinde verò ſponſa velamen illud, quod olim à parentibus acceperat, deponere iuſſa recipiebat vtique à ſuo marito flammeum nuptiale, vt hæc valaminis mutatio indicio eſſet ipſam, excuſſa patria poteſtate, in mariti poteſtatem, & ditionem tranſire, & ſeueriorem, grauioremque cum leuiori, ac liberaliori ſubiectione permutare. Denique ablatio flammei nuptialis, & capitis detectio, quæ in quarta nuptiarum die, ſponſo abſente, fieri ſolebat, (vt infrà *cap.* 5. *verſ.* 7. fusè explicuimus,) non obſcurè ſignificat vxorem, quam marito ſubiectam, & demiſſam eſſe oportet, cùm maritus abeſt, familiæ, ac domeſticis ceu caput, ac dominam præeſſe: ita vt ſoli viro obtemperet, reliquis ex iure imperet. Vel aliter, ſi referamus hoc ad ſignificationem quatuor dierum nuptialium, quos quatuor vitæ ætates notare, & earum præſagia, aut prognoſtica continere ſuprà diximus : fas erit ſic comminiſci, eo ſymbolo maritis ſignificari, quid erga cuſtodiam vxorum facto opus ſit. Nam tres priores nuptiarum dies, in quibus ſponſa velata manebat (nimirum in prima die velo virginum proprio, in ſecunda verò, & tertia pallio nuptiali operta) reſpondent tribus ætatibus; hæ ſunt adoleſcentia, iuuentus, & conſtans ætas. In his autem mariti abſcondere, & cautiùs obſeruare debent vxores ſuas, ne ad intemperantiam prolabantur. In quarta verò die, quæ ad ſenectam ſpectat, ideò velum adimebatur vxori, vt hoc eſſet indicio in ea ætate matronis ampliorem libertatem, & licentiam à maritis indulgeri poſſe abſque intemperantiæ, ac laſciuiæ periculo. Huic verò ſignificationi adſtipulatur id, quod tradit Robortellus *in Catullum*; ſcilicet apud Romanos olim in vſu fuiſſe, vt prouectiores matronæ pallia coniugalia deponerent, aut aperta facie, in caput, ac tergum reuocaret.

Reliquum eſt, vt ex ipſiſmet Epithalamiis, ſeu odis nuptialibus aliquid documenti ad nuptias formandas exprimamus. Nam ſingulis diebus veſpere ac manè à puellis pediſſequis carmina decantari ſolita, quæ ſponſorum laudes continerent, atque horum carminum octo exempla in hoc Cantico reperiri ſuprà *cap.* 3. §... fusè docuimus. Quæ carmina qualia in nuptiis cantica adhiberi, qualia item à nuptiis aceri debeant, præclarè admodum ſignificat. Itaque ex hoc Cantico diſcere licet, quis modus in nuptialibus iocis tenendus ſit, in quo nihil turpe, nihil petulans, ſed omnia pudica, honeſta, & plena etiam caſtæ voluptatis, videre licet. Fiſcennina carmina procul à Chriſtianis nuptiarum feriis releganda docent Hieronymus, & Cyprianus *de habitu virginum*, vbi virgines fiſcennina audientes colloquia ſeriò reprehendit. *Quaſdam* (inquit) *non pudet nubentibus intereſſe, & in illa laſciuientium libertate ſermonum colloquia inceſta miſcere, audire quod non licet dicere, obſeruari, & eſſe præſentes inter verba turpia, quibus libidinum fomes accenditur, & ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur.* Itaque fiſcennina erant impudiciſſimæ quædam odæ, quas Ethnici in nuptiis ad ſimulandam laſciuam voluptatem decantabant, haud diſſimiles his,

quæ

quæ hodie cum ingenti fidei probro cani ſolent, adeò vt deteriores Ethnicis ſimus. Nam, vt author eſt Liuius *Decade* 7. vbi veteres Romani frugi ſtudere cœperunt, ſiſcenninos verſus à nuptiis omnino amandarunt. Ait enim, *Qui non ſicut ante ſiſcennino verſui ſimilem, incompoſitum temerè, ac rudem alterius iaciebant.* Plato *lib.* 34. *de legib. Dial.* 6. vbi in ipſo nuptiarum primo die ab ebrietate, & iocis ſcurrilibus abſtinere præcepit, ſubdit rationem his verbis. *Sed præcipuè illo die, ac nocte à talibus abſtinendum. Principium namque, & numen hominibus inſitum, ſi pro conuenienti ſibi à ſingulis munere ab ipſo accepto honore afficiatur, omnia ſeruat.* hoc eſt. Propterea eo maximè die ab omni intemperanti voluptate temperandum eſt, quia Deus, à quo omnia initium ducunt, ſi in exordio coniugij à ſponſis, vt decet, honore proſequatur, & obſequio deuinctus ad ſeruandos, tuendoſque deinceps coniuges quaſi obſtrictus manet. Hinc factum, vt in Tobiæ nuptiis, *cum timore Domini exerceretur conuiuium*, boni ſcilicet ominis gratia, *Tob.* 8. Ad hæc D. Chryſoſtomus *in Epiſtolam Pauli ad Epheſ. cap.* 5. de prima initi coniugij nocte agens, ſic admonet maritum. *Tanquam ſtatuam quandam fingendam, & ornandam vxorem nactus, ita ab ipſa veſpera, qua in thalamum nuptialem eam accipit, modeſtiam, & manſuetudinem, & quomodo viuere debeat, mox ab exordio doceat, ex ipſiſque veſtibulis pecuniarum amorem deijciat, atque ad Philoſophiam imbuat. Sequentur enim hinc duo, imò tria bona. Primum, non dolebit ſponſa ſalutis thalamis, neque ſi amittantur vtriuſque vel veſtimenta, vel vaſa, ſiue aurea, ſiue argentea. Alterum, non erit ſolicitus ſponſus de acquiſitorum vel perditione, vel cuſtodia. Tertium quoque præterea, quod bonorum eſt caput, demonſtrabit etiam ex iſtis animi ſui ſententiam, quod nihilo horum efficiatur: & neque ſaltationes, & inhoneſtos cantus aliquando fieri concedet. Quid igitur neceſſarium dico? Amputari à nuptijs omnia turpia, ſatanicaque cantica, inhoneſtas odas, curſuſque immundorum adoleſcentium. & tunc poterit ad iſtorum normam moderari ſponſam: ſtatim enim apud ſe ipſam cogitabit. Papæ! qualis eſt hic vir, Philoſophus eſt. Qui enim neque tibias, neque ſaltantes, neque perfractos cantus tolerat, idque nuptiarum tempore, difficillimè ſubſtinebit aliquid vnquam, quod turpe ſit, vel facere, vel dicere.* Hactenus Chryſoſtomus, cuius verba ideò tranſcripſi, quia aurea planè ſunt: qui aliam etiam ob cauſam impudicas, & turpes odas, & choreas à nuptiis extorres fieri oportere dicit, ne ſponſa pudorem, quo nihil eſt in fœminis dignius, ſtatim in ipſo coniugij limine abiiciat. Tu itaque (inquit) pudórem iſtum non ſtatim ſponſæ adimas, quod laſciui viri faciunt, ſed magis longo tempore erigas, ac proferas, dabit enim tibi magnos fructus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Prima dies nuptialis.

EPITHALAMIVM PRIMVM VESPERTINVM.

NVPTIARVM *celebritas apud Hebræos tertia die hebdomadæ ſub veſperum inchoari ſolebat, vt ſuprà* cap.13.Iſagoge huius commentarij *fusè probauimus: atque adeò primum Epithalamium eſt veſpertinum. continet deſideria ſponſæ, quibus gynæceo & parthenone, in quo diutiùs fuerat, pulchritudinem, tum vnguentis, tum etiam lautioribus cibis curans, & ad futuras nuptias ſe ſe adornans, educi, & in palatium ſponſi traduci poſtulat. Includit etiam petitionem nuptiarum ab ſponſo, & vota etiam, ſeu preces ab amicis ſponſi; non ſine donis facta, ad conſenſum ſponſæ impetrandum; cohibet etiam aſſenſum ipſius ſponſæ, & tradutionem illius. Addit etiam deſcriptionem cœnaculi, & modum diſcumbendi in triclinio; definitque in cœnam nuptialem, cui ſomnus ſponſæ ſuccedit. Adiurantúrque tandem ab ſponſo puellæ cantatrices, vt ad matutinum Epithalamium occinendum redeant primo manè.*

*Verſ.*1. Oſculetur me oſculo oris ſui,quia meliora ſunt vbera tua vino;
*Verſ.*2. Fragrantia vnguentis optimis.

SONVS ALLEGORIÆ.

OSculetur me,&c. Hebræa ad verbum habent: *Oſculetur me ex oſculis oris ſui.* Acceinunt ſeptuaginta Interpretes *ab oſculis*, Origenes *homil.*1. ſemel & iterum legit, *ab oſculo*, de ſingulari; ſed in decurſu commentarij agnoſcere videtur numerum multitudinis. Pro verbo *oſculetur*, ſubeſt in primitiuis ישקני *Iiſakeni*, ex radice *Naſak*, quæ ſignificat *deoſculari*,& *docere*.

Quia meliora ſunt vbera tua,&c. Hebraicè דדיך *dodecha*, quæ vox ſignificat *amores*, & *vbera*; hinc nata diuerſitas tranſlationum.Hebræi,& eorum aſſectatores, *Quia meliores ſunt amores tui præ vino ad odorem vnguentorum tuorum.* Rabbi Abenezra *in ſua gloſſa*,citat Huggaonem quendam,qui affirmauit nomen illud *dod*, ſignificare humorem ſaliualem, atque adeò locum iſtum ſic reſtituit. *Melior ſaliua tua præ vino.* Et ad eundem ſenſum transfert illa verba Prouerb.5. *Veni, inebriemur vberibus*, &c. quæ ſic in ſe extulit, *age, inebriemur ſaliua ad manè vſque.* Nimirum putauit Hebræus iſte vocem illam *dod*, fluere ex radice נדד *Nadad.* ex qua & דדה *dadah*, id eſt, *purgamentum*; ſed quàm coactum ſit hoc,nullus non videat. Longè meliùs Vulgatus interpres, *quia meliora ſunt vbera tua vino.*qui preſſit veſtigia ſeptuaginta Interpretum,ita reſtituentium: *Bona vbera tua ſuper vinum.* Nomine autem *vberum* intelligit amplexus,vt ſtatim dicemus. Origenes adnotat in quibuſdam Codicibus reperiri iſtiuſmodi lectionem. *Quia bonæ ſunt loquelæ tuæ ſuper vinum.*

Fragrantia vnguentis optimis. Hebræi diſtrahunt verba iſta à ſuperiori clauſula, & cum ſequenti conſuunt ad hunc modum: *Ad odorem vnguentorum, ſeu oleorum tuorum optimorum: oleum effuſum*, &c. Comprobat hanc lectionem accentus Soppaſuch, qui hodie reperitur in textu originali. Cæterùm huiuſmodi accentum per mendum irrepſiſſe,haud dubitandum eſt, & præferenda omnino tranſlatio vulgata, quæ præfata verba conſuit cum antecedenti hemiſtichio, dicto modo: *Fragrantia vnguentis optimis,*

mis, id eſt, fragrantiora omnibus primis vnguentis. Septuaginta habent, *& odor vnguentorum ſuper omnia aromata*. Sed hæc diuerſitas ſenſum non euariat.

Omnes ad vnum interpretes huius Cantici in fronte ſuorum Commentariorum præmittunt aliquid de ſtatu, de loco & de vitæ conditione, in qua erat ſponſa, tunc cùm iſta verba pronunciauit. Quicumque affirmant librum iſtum eſſe colloquium rude & bucolicum inter paſtores & ruſticos, volunt vtique ſponſam aut in paſcendis gregibus, aut in vineis aſſeruandis diſtentam à Salomone fingi, tunc cùm ad hæc promenda venit. Sed tamen hæc ſententia refellenda eſt, ex his quæ diximus ſuprà in Iſagoge *cap.*2. vbi multis argumentis probauimus, imò euicimus, non paſtoritias, ſed regias, apparatu, ac ſplendore regio, nuptias ſtylo comi & vrbano deſcribi in hoc Cantico. Quapropter licèt *Salomon* facilè declaret ſponſam olim antequam ad nuptias vocaretur, ruſticam egiſſe vitam, & in vinearum cuſtodia temporis aliquid poſuiſſe, iuxta illud: *Decolorauit me Sol, poſuerunt me cuſtodem in vineis*. tamen de ſtatu proximo, ante eaſdem nuptias, longè aliter ſentit, vt ſtatim dicemus.

Alij fingunt, ſponſam in domo patria manentem, atque nuptiarum, quarum iam acceperat ſponſionem, deſiderio ardentem hæc ſubieciſſe. Ita plures poſt Legionenſem, qui audiendi etiam non ſunt, quia (vt *in cap.*3. *Iſagog.*§.3. diximus) puellæ ad regias nuptias aſcitæ, prius è domo parentum in gynæceum, ſeu parthenonem, ad curandam diutiùs pulchritudinem, & inde in ædes & palatia Regum traduci conſueuerunt. Cùm igitur aliunde conſtet, Sulamitem Regi nubere, haud deeſſe illi debuit ſolita gynæcei præparatio & cultura. Quapropter dicendum prorſus, ſponſam aut ex ſyluis, aut ex domo paterna ad gynæceum primùm tranſlatam fingi à Salomone, atque ibi eatenus cum puellis ſuis manentem ante nuptias hæc verba vſurpaſſe, vt ſtatim dicemus.

S. Ambroſius *ſerm.*1. *in Pſalm.*118. *verſ.*1. *&* 2. vt ad ea, quæ ſponſa ſerit, præmoneat Lectorem, priora iſta verba, non abſente, ſed præſente iam ſponſo enunciata fuiſſe dicit; ita enim ſcribit: *Conſtitue virginem deſponſatam ex multo tempore, & iuſto feruentem amore, quæ multa opera dilecti probabilium teſtium aſſertione cognouerit, deſiderijs ſuſpenſis dilatam frequenter iam non ferentem moras, aliquando votis potitam ad improuiſum ſponſi aduentum gaudio turbatam, non quærere primordia ſalutationis, non verborum vices, ſed ſtatim quod deſideraſſet exigere. Ita ergo & ſancta Eccleſia*, &c. Hæc Ambroſius. Vulgò fertur, priora verba, quibus primo in colloquio mutuo ſe compellant & affantur ſponſus, ſponſaque, ferè inepta, ac ſtolida eſſe. Si tamen vera eſſet Ambroſij ſuſpicio, atque adeò hæc eſſent prima ad ſponſum præſentem Sulamitis verba, communem vtique ineptiæ, ac ſtoliditatis notam effugerent, & apta planè, cordata, & elimata forent. Quid enim ad rem magis, quàm ab irruente ſubito ſponſo, oſcula & amplexus ſponſam expoſcere? Cæterùm cùm in hanc ſuſpicionem vnus ac ſolus abierit Ambroſius, ei certè non omnino aſſentior. Reliqui enim ad vnum, tam Patres, quàm interpretes, docent, hæc verba à Sulamite, abſente, ac moras adhuc nectente ſponſo, coram puellis deprompta fuiſſe.

Age igitur qualiter ſe habebat ſponſa tunc cùm ad ſponſum abſentem hæc intendebat verba. Duplex eſt interpretum ſententia. Quidam fingunt ſponſam deſiderio & amore ſponſi inflammatam, in defectionem quandam, ac deliquium animi incidiſſe: ſuccurrentibus autem ſibi puellis generoſo vino & pretioſis vnguentis, vbi ad ſe rediit, ac vires recepit, ſic addidiſſe. *Oſculetur me*, &c. id eſt, faceſſant longiùs hæc & alia animi memet deſerentis remedia & auxilia: nam languor iſte non prius diſcedet, quàm ſponſus abruptis moris ad me conceſſerit, ruerítque in oſcula, & amplexus, quæ memet mihi longè efficacius, quàm vinum & vnguenta reſtituent. Habet hæc expoſitio patronos, omnes ferè recentiores interpretes, ſed nullum Patrem; nullus enim eſt, qui ſponſam aut languidam induxerit, aut huius languoris & deliquij ſpiritualem ſenſum excogitarit. Rurſus nihil eſt quod ſuadeat ſponſam eo modo langueſcentem comminiſci: quamuis enim deliquia in eos, qui ardentiſſimè amant, aliquando cadere ſoleant, parum aptè finguntur hîc, vbi deſcribuntur amoris auſpicia & exordia.

Longè meliùs ſentiret, quiſquis fingeret ſponſam in faſtidium & tædium veniſſe. Ita enim euenire ſolet fœminis cùm aliquid ardentiùs deſiderant, vt eas omnium aliarum rerum faſtidium teneat, tunc ingratus eſt illis cibus, & potus inſuauis, delitias aſpernantur, nihil placet, omnia diſplicent: vnius enim rei amor

& desiderium omnium aliarum rerum tædium adducit. Ob eam causam Amon adamans impensiùs sororem suam Thamar 2. *Reg. cap.* 13. fastidit cibos. In hanc sententiam discedere videtur D. Bernardus *ser.* 9. vbi sic scribit: *Ponamus proinde istos, quos dicimus sponsi sodales, accessisse nunc quoque ad sponsam, ipsamque submurmurantem, ac tædentem inuenisse.* Id verò accommodatum videtur, ad significandum primum diuini amoris gradum, cuius proprium est aliarum rerum fastidium immittere. Quòd si isthæc suspicio non displiceat, ponamus id quod in hunc locum adnotat Iarchius his verbis: *Phrasi Hebraica hîc & alibi sæpiùs conuiuium delitiosum & voluptuarium vini nomine appellatur, vt in Esther præfectus super domo conuiuij vini*, &c. Et sanè vsurpatio vini pro conuiuio, ac totis epulis in Scriptura obuia valde est, cuius non pauca exempla colligemus infrà *cap.* 2. *vers.* 2. Vnguentorum quoque vsus in conuiuiis compertus est. Age igitur, cogita sponsam mensæ cuipiam delicatioribus epulis stipatæ accumbentem, & puellas de more pretiosa vnguenta super illam effundentes: eandem verò ex amore ac desiderio sponsi ad epularum tædium & fastidium adductam ista profari. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia, seu fragrantiora vnguentis optimis.* id est, liceat mihi sponsum videre, atque ipsum osculari, & amplecti: nam quandiu id impensè desidero, ac votis meis defraudor, delicatiores epulas (has enim vini nomine compellat) & vnguenta pretiosa mirum in modum fastidio, & auersor: animus enim maioribus & suauioribus delitiis intentus minores ac deteriores ex tædio respuit.

Mihi verò id etiam non satis arridet. Quapropter, vt loci istius atque sequentium germanam sententiam teneas, aliqua obseruare operæ pretium est. Primò renouanda sunt in memoriam ea, quæ de gynæceo, seu domo illa, in qua puellæ excolebantur ad Regias nuptias, fusè adnotauimus suprà *in Isagoge cap.* 3. §. 3. ibi enim docuimus iuxta veterum Hebræorum morem puellas quæ ad Regia connubia vocabantur, ex domo paterna in parthenonem priùs traduci, atque inibi per annum manere solitas, id temporis in curanda facie & comparanda pulchritudine totum ponentes. Totam verò gynæcei formam, & ea, quæ ibi ad excolendam speciem de more fiebant, habes ex lib. Esther, & ex aliis Scripturæ sacræ locis, quos inibi expressimus. Relege ibi non pauca, atque illud cum primis obserua ad curandam formam duobus auxiliis vti solitas præmissas puellas, nimirum cibis lautioribus & delicatioribus, & vnguentis valde pretiosis. Ad cibos spectat illud Esther 2. *& præcepit illud Eunucho, vt acceleraret ei mundum muliebrem, & traderet ei partes suas*, id est, cibos delicatos: sic enim plures restituendum putarunt, *vt traderet ei cibos suos.* & Iosephus eadem verba quasi paraphrasticè exponens, ait: *Vni Eunuchorum, commendata, tractata est apud eum delicatissimè.* De vnguentis autem & pigmentis, quibus formam expoliebant, subest illud, *Ita dumtaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* Vtramque culturam complexus est Ezechiel *cap.* 16. vbi similem ad modum Propheta gynæcei cultum expingit. *Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo.* & post pauca; *similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis.* Vide plura *loco citato.*

Interpretes quidam multa conferunt in hunc locum de veteri consuetudine basiandi, & osculandi amicos, & hospites adeuntes & redeuntes: quod certè eo studio faciunt, vt literæ corticem ab omni impuritatis specie, ac suspicione vendicent: ne scilicet quispiam Sulamitis pudori propterea minus tribuat, quòd in exordio orationis suæ, sponsi sui oscula deprecatur. Id enim (aiunt) nihil est aliud, quàm illius ad se aduentum maturum optare & expetere: vt nimirum illum ad se venientem osculis de more excipiat, sicut Rachel *Genes.* 29. Iacob cognato suo tunc primum à se viso osculum libauit, &c. Sed autores isti (me iudice) operam suam ludunt: hîc enim non est sermo de osculo salutantium & resalutantium, sed de osculo nuptiali, quod præ cæteris castum & pudicum erat. Quia verò de osculo simul & amplexu dicere oportet, illud etiam apud te constitue, nomine *vberum* in hoc loco non amores, vt sentiunt Hebræi, non mammas fœmineas, quas videlicet sponsa delicatiùs agens tribuerit sponso suo, vt meditatus est Beda, sed amplexus notari. Est autem vsus iste vberum pro amplexibus, haud insuetus Scripturæ sacræ. Prouerb. 7. *Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* & *cap.* 5. eodem sensu: *Vbera eius inebrient te.*

Aio igitur inter alios nuptiales ritus antiquis Hebræis solennes numerari ample-

xum & oſculum, his enim connubia firmabantur. Ita notauit Aben Ezra *in hunc locum*. De oſculo autem nuptiali ſic Ambroſius in epiſt.2. ad Marcellam. *Sola Eccleſia habet oſcula; oſculum enim pignus eſt nuptiarum.* Tertul. in lib. de velandis virginibus cap.11. *Si autem* (inquit) *ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt, per oſculum & dextras, per quæ reſignarunt pudorem ſpiritus per commune conſcientiæ pignus*, &c. Verba ſunt obſcuriora, quibus hunc ſenſum ſubeſſe exiſtimo. Per matrimonium ac legitimas nuptias duas vniones coniuges contrahunt inter ſe, nempe vnitatem ſpirituum in vnam animam migrantes, & vnitatem corporum in eandem carnem abeuntes : ea propter nuptiæ oſculo, & datis dextris conſtabiliri ſolent; quia per oſculum ſpiritus ſuos mutuo ſibi infundere & inhalare videntur coniuges; per datas verò dextras corpora ipſa coniunguntur. Ergo præfatam corporum vnionem, quam aliæ gentes per dextras datas notari volebant, Hebræi per amplexum nuptialem ſignificantiùs denotabant : caſtus enim amplexus, quo ſe ſponſi inuicem ſtringunt, duobus corporibus velut in vnum coaleſcentibus, eam vnionem carnis, quam nuptiæ perficiunt, melius adumbrat, quàm dextræ apprehenſæ & connexæ. Vtriuſque meminit Theocritus *Idyllio* 3. vbi ſic cecinit :

Nympha amplectere me caprarium vt te oſculer.

De oſculo etiam nuptiali ſcribit Alexius Commenus *in iure Orientali lib.*1. & Arnoldus Ferronus *in conſuet.Burdeg.tit.4.de dote*, §.1. Tholoſanus *ſyntagm.lib.9.cap.*8.

His ergo prælibatis, ſententia ſuperiorum verborum ſic habet : Sponſa adhuc in gynæceo degens, delicatas epulas, pretioſaque vnguenta, quæ ad curandam formam eatenus adhibuerat, iam tunc pertæſa, atque nuptias impensè deſiderans, ſic fatur: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis, id eſt, fragrantiora vnguentis optimis.* quaſi dicat : iam ſatis poſui temporis in cultu formæ, tædet me epularum & vnguentorum, quibus iam olim vtor, ac vellem prorſus, vt ſponſus ad me veniens, ac me ſibi aſſumens, illud oſculum mihi tandem aliquando imprimeret, atque amplexum illum adſtringeret, quibus ſolent ſanciri & firmari coniugia : hæc enim *vino*, hoc eſt, delicatiſſimis epulis, quibus nutrior, & vnguentis, ſeu pigmentis, quibus excolor, facilè antepono.

Hæc expoſitio patronum habet Origenem *homil.*1. *in Cant.* vbi præfata verba expendens poſtquam enumerauit ſacrificia & hoſtias antiquæ legis, ac thymiama & ſacerdotale vnguentum, ſic attexit : *Hæc autem omnia aromata fuerant, & cibi in quibus ſponſa enutriri viſa eſt, ac ſponſo ſuo præparari : at vbi venit plenitudo temporis & adoleuit, atque filium ſuum Spiritu ſancto vnctum, miſit Pater in hunc mundum, odorata ſponſa diuini vnguenti fragrantiam, ſentiénſque quòd omnia illa aromata, quibus priùs vſa fuerat, longè inferiora ſunt ad comparationem ſponſi nouo vnguento delibuti, ait : Meliora ſunt vbera vino*, &c. Quid illuſtrius?

Sed quamuis præmiſſa interpretatio mihi ante alias germana videatur, aliam ſubiicio, quæ alicui fortaſſe non diſpliceat. Profectò veroſimillimum eſt apud Hebræos olim ſolemne fuiſſe id, quod hodie apud eoſdem in vſu eſſe narrat Petrus Gregorius Tholoſ. *ſyntagm.iuris, lib.9.cap.*5. vbi ſic ſcribit : *Hodie inter Iudæos in libro precum, qui dicitur, Alhazar ſanctæ Synagogæ Romanæ, habetur benedictio ſponſaliorum, in qua qui benedictioni præpoſitus eſt, ſumit calicem, & recitat orationem: Qui creas fructum vitis*, &c. *& aliam ſponſalibus accommodatam, poſtea bibit vinum, & deinde propinat ſponſo & ſponſæ.* Loquitur autem Tholoſanus de pacto ſponſalitio ante nuptias. Hic autem ritus vini libandi in ſponſalitio fœdere alias etiam nationes imbuit. Nam de Galatis ſic ſcribit Alexander lib.2. cap.5. *Apud Galatas in ſponſalibus ex eodem poculo vir, vxorque ſimul bibebant, vt communi more oſtenderent eas nuptias probè contractas eſſe, in quibus tanta eſſet coniugatorum concordia, vt perpetuò communis cibus & potus eſſet.* Id ipſum apud Macedones & Thraces ſolemne ſcribit Scaliger *lib.*3. *Poët.cap.*100. & hodie non inſuetum Gallis affirmat Tholoſanus *loco citato.* Sed quid inde?

Certè non abſurdè quiſpiam dicere poſſet, Sulamitem de hoc vino & libatione ſponſalitia locutam, cùm ait : *Meliora ſunt vbera tua vino*, &c. id eſt, præſtant nuptiæ ſponſalibus. quaſi dicat : Accedat tandem ſponſus, oſculum, amplexúmque nuptialem mihi impertiatur, quibus nuptiæ ſanciuntur; hæc enim longè gratiora ſunt, quàm vini libatio, id eſt, quàm ſponſalitium fœdus, quod vini libatione olim firmatum fingit, & in quo hactenus manſi nuptias expectant.

Appendix

Appendix primæ expositionis pro nuptijs.

EX cortice huius Allegoriæ aliquid boni sensus redundat ad formandas nuptias idoneum. In primis enim gynæceum, in quo puellæ ante nuptias includebantur, & per annum in cultura formæ manebant, non sine aliquo Sacramento inuentum fuit. Alexander *Genial. lib.4.cap.5.* non solùm eo consilio à priscis vsurpatum fuisse dicit, vt virgines per illud tempus faciem excolerent, sed multo magis, vt latere, & in penetralibus manere discerent, ne postea custodiam eisdem à maritis adhibitam ægrè ferrent. Et sanè gynæcei vsque adeò arcta erat custodia, vt quandiu virgo in illo manebat, nec pedem inde efferre, nec faciem alicui aperire ipsi integrum esset, vt suprà *in eo cap.3.§.4.* præmisimus.

Rursus, osculi & amplexus nuptialis, quæ efflictim exoptat sponsa, moralem significationem habes suprà ex Tertulliano *in lib.de velandis virginib.* qui asserit per osculum permixtis & quasi propinatis inuicem spiritibus, illam animorum vnionem denotari, quam coniuges per mutuum amorem copulant; per amplexum verò vnitatem carnis, quam coniugati etiam inter se contrahunt, iuxta illud, *& erunt duo in carne vna.* Ideò verò ad firmanda coniugia illa duo simul, osculum scilicet, atque amplexus accedebant, vt inde constaret, vxorem & maritum cum vnitate carnis, animorum quoque vnitatem coniungere debere; itavt sicut per coniugium permixtis corporibus vnam in carnem coalescunt: ita etiam per amorem mutuum conflatis spiritibus vnam quoque in animam coëant, ne sit (ô monstrum, ô portentum!) in vna carne & in vno corpore duplex anima, quod horret ac detestatur plurimum natura, amplius verò gratia.

Quòd si hîc locum habeat illa vini libatio & propinatio, quæ ad confirmanda sponsalia veteri ritu adhiberi solebat, certè huius ritus bonam significationem nuper accepisti ex Alex. qui ad communionem victus & potus, addo etiam aliarum rerum notandam spectare dicit: vt nimirum sponsis suaderetur, quemadmodum tunc vno ex calice potum sumebant, ita etiam postea rerum omnium commercium & communem vsum habituros, nec licere vni aliqua re, quam suam esse vellet, alterum defraudare, & expertem efficere. Addo etiam id ad eam æqualitatem notandam, quæ inter coniuges intercedere debet, satis idoneum esse: nam ex eodem calice bibere æqualium ac minimè disparium honore ac dignitate proprium est. Eodem consilio, vt autor est idem Alexander *lib. 2. cap. 5.* & Cœlius *lib. 28. cap. 15.* apud Thraces & Peones vnum panem gladio dissectum sponsum, sponsamque gustare in more positum fuit, idque factum in nuptiis Alexandri.

Quid plura? Gregorius Tholosanus *loco suprà citato*, significationem vini in sponsalibus libati aliò deriuat; sic enim ait: *In vino latere potest nuptiarum symbolum, si verum est quod Plato tradidit, vinum, à Græcis οἶνον dictum, quòd mentem nostram, celeriter cogitationibus impleat.* Quasi dicat: Ideò vinum in nuptiis paciscendis adhibetur, quia nuptiæ ipsæ nihil aliud sunt, quàm vinum, seu οἶνον, mentes nubentium multis cogitationibus ac curis affatim implentes. iuxta illud Pauli 1. ad Corinth.7. *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*, &c. & de marito sic addit: *Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Oleum effusum, &c. Hebræi obseruant consonantiam duarum vocum שם *scem*, & שמן *scemen*, quorum primum *nomen*, alterum verò *vnguentum* adsignificat. Eadem occurrit Eccles. 7. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Voci *effusum*, in primitiuis respondet תורק *Thurak.* Rabbi Abraham refert aliquos Hebræorum Magistros, qui vocem istam nomen loci cuiuspiam esse dixerunt, hoc sensu. *Oleum thurak nomen*, &c. id est, vnguentum ex regione quadam adductum, cui nomen est *thurak.* Aliqui nostrates diuinarunt, acceptum id nominis pro Engadditico tractu vnguentorum nobilissimorum feracissimo. Vnus Rabbi Salomon conuertit, *oleum transfusum*, scilicet à vase in vas transmissum. Reliqui *effusum.* Septuaginta ἐκκενωθὲν, quam vocem alij *exinanitum*, alij *euacuatum*, restituerunt. Vocabulum originale *thurak*, manat ex radice ריק *rik*, quod propriùs sonat euacuare, effundere, extenuare. Vnde recentior quidam restituit, *oleum attenuatum.* Significat etiam præscriptum verbum apud

Septuaginta Leuit.26.num.33. *consumere*,& Ezechielis 24.num.11. *decoquere*, & Habacuc 1. *proycere* ; atque adeò sine iniuria vocis originalis licet etiam conuertere, *oleum consumptum,decoctum & proiectum.*

Ideò adolescentulæ Hebraicè עלמות *ghalamoth*, quæ vox,vt communior fert sententia, puellas virgines innubas clausas & obseratas adsignificat. Philo Carpathius hæc verba cum sequenti hemistichio innodat, hoc modo: *Ideò adolescentulæ dilexerunt te, & traxerunt te post te*; id est, post te abeuntes ad semetipsas te conuerterunt; sed inconditus est hic nodus.

Si vnum, vel alterum excipias, qui verba ista ab sponso in sponsam iactata esse dixit, reliqui certè ad vnum illa sponsæ tribuunt sponsum alloquenti. Nihil certius. Theodoretus & Bernardus expressè animaduertunt,hæc ab sponsa vsurpata ante nuptias. Ex reliquis autem Patribus nullus est, qui oppositum contendat. Addit Theodoretus, cui etiam accinit Origenes,hunc sermonem ab sponsa ad patrem sponsi, absente sponso,dictatum fuisse. Non assentior. Illud perplacet,quod ex eodem Origene meliora demum sapiente colligere licet; scilicet sponsam,quam Salomon in exordio huius Cantici in gynæceo constituit in consortio aliarum virginum nuptias similiter expectantium, & ad eas sese excolentium, & puellis quoque pedissequis stipatam, cum eisdem sermocinari, ac de sponso suo, iam iam venturo colloqui. Addit vlteriùs Origenes,vt drama iuxta sensum Allegoriæ contexatur, id confingendum: prædictas virgines tum demum, cùm hæc protulit Sulamitis, ad ipsam, quæ eatenus solitaria fuerat,ingressas. Ideo verò solam hactenus (nisi fallor) sponsam & sine arbitris sibi proposuit Origenes, vt ipsam in superiori versu audaciusculè, oscula & amplexus sponsi poscentem, à pudore liberaret. Non dissentior. Sic enim dramatis filum non ineleganter ducitur,dum sponsa socias suas ad se ingredientes ex eo collaudat, quòd simili sponsi amore & desiderio ardeant.

Sed de quibus, inquies, adolescentulis hîc sermo est? Recurrat memoria ad historiam Reginæ Esther, atque ibi duos adolescentularum ordines in gynæceis comperies. Alius erat earum,quæ vnà cum Esther morabantur in gynæceo nuptias Regis expectantes, de quibus est illud, *Esther quoque inter reliquas puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum; earum*, scilicet, *quæ Regi parabantur.* Alius verò ordo erat ancillarum, seu pedissequarum,de quibus etiam inibi dicitur, *Et præcepit Eunucho, vt traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis, & tam ipsam, quàm pedissequas eius ornaret, atque excoleret.* Vtrumque ordinem commemorat Vates *Psalm.*44. nam de priori capienda sunt illa verba, *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo*, (vt sæpe aliàs diximus;)de posteriori verò intelligi debent extrema verba, *Adducentur Regi virgines post eam*, id est,pedissequæ illius. Sulamitis ergo in hoc versu de priori iuuencularum ordine loquitur, quæ cum ipsâ nuptias præstolabantur præparatæ,& excultæ. Huc spectauit Origenes,cùm in homilia illa 1. ait: *Diligunt & trahunt ad se Christum adolescentulæ, id est, Ecclesiæ, quæ vna quidem est, cùm perfecta est; multæ verò sunt, cùm adhuc instruuntur, & præparantur ad nuptias.* quæ verba infrà in prophetica expositione illustrabimus.

His ergo præmissis,quod attinet ad sonum Allegoriæ,non vnus sensus est. Primum offerre videtur Origenes, quem cum Legionensi reliqua neotericorum turba amplexa est. *Oleum effusum nomen tuum*, id est,fama nominis tui, (nam fama & bona existimatio probi hominis, non semel aliàs vnguenti nomen fert in Scriptura.) Eccles. 7. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* & *Eccles.*43. sic de Iosia: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij*; sensum autem sic conformant noui interpretes. Non aliter fama & rumor nominis tui percrebuit, quàm vnguentum effusum,quod longè latéque odorem diffundit suum, adeò vt ipsius notitia ad ipsas quoque puellas virgines in paternarum ædium laribus,intercluſas peruaserit,ac penetrauerit, atque in his incredibile sui desiderium & amorem excitarit. Auget autem huius interpretationis leporem Origenes dum addit, ideo sponsam ad bonæ famæ odorem commendandum, fuisse conuersam, quia nedum sponsum præsentem affari ac videre licuerat,sed tantùm mores illius ex fama didicerat.

Secunda expositio est nostri Sancij, & aliorum,qui iuxta phrasim Scripturæ sacræ, cui valde solenne est nomen accipere pro re quæ illi subiicitur. Psalm. 47. *secundùm nomen tuum, sic & laus tua.* id est, talis ac tantus es, qualis ab omnibus prædicaris. Et Psal.11. *Nomini tuo* (id est) *tibi ipsi da gloriam.* Actor 1. *erat turba hominum.* Græcè,

nomi

nominum. Apocal. 3. *Habes pauca nomina in Sardis*, &c. id eſt, paruum numerum hominum, & alibi paſſim, locum iſtum ſic ediſſerendum putant: *oleum effuſum tuum*, id eſt, tu ipſe quantus, quantus es, totus vnguentum exiſtis, totus ſcilicet vnguento delibutus. Cui adſimile eſt illud Pſal. 44. *Myrrha & gutta & caſsia à veſtimentis tuis*. Quæ ex primitiuis ad verbum ſic efferri debent: *Myrrha, gutta & caſsia veſtimenta tua*. id eſt, tantumdem fragrant, vt ipſiſſima vnguenta dixeris. Huic expoſitioni adſtipulatur Origenes in extrema interpretatione, vbi per vnguentum exinanitum ipſummet Chriſtum intelligit, qui ſe ipſum exinaniuit, &c. Ambroſius, & Theodoretus, qui de humanitate diuinitatis vnguento delibuta interpretantur, de quibus infrà in prophetica interpretatione, dicemus; his etiam adnumerandus eſt Bernardus, qui cùm ſuperiora illa verba, *Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis*, de ipſius ſponſæ vberibus tanquam ab ſponſo dictata concepiſſet, *in ſerm.* 14. ſic demum ſerit: *Sponſa fruitur præreptis amplexibus, & in calore ſpiritus Chriſto Domino, cui confricatur, inhærens ſtillante, ac fundente vndique oleum exultationis*, hoc illa excipiens, ait: *oleum effuſum nomen tuum*. Quid mirum ſi vngitur, quæ vnctum amplectitur.

Tertia expoſitio: per *nomen* quod hîc ſubeſt, verum ſponſi nomen notari aſſeuerat. Sed quis ſenſus? alij quidem parum lepidè ſic aiunt: Sponſa dilecti ſui famam effuſi ad inſtar vnguenti, vſque adeò apud omnes percrebuiſſe dicit, vt ipſum de nomine cognoſcant, quæ ſolet eſſe maior, aut dignior notitia. Marcet profectò hæc ſententia: ego ſanè nonnumquam in ea fui ſententia, vt crederem præfata verba ex deſiderio nuptiarum profecta fuiſſe, vt nimirum quæ in ſuperiori verſu nomine oſculi & amplexus nuptias ratas & conſummatas deprecata fuerat, in hoc etiam carmine nouo ſchemate eaſdem depoſcat. Eſt autem obſeruandum, viros vxoribus ſuis nomina dare ſolitos. Hinc illud Iſaiæ 4. *Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur; tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*. Poſtulant verò nomen viri ſuper ipſas inuocari, quia ita more comparatum erat, vt de viri nomine appellaretur vxor. Item *Tobiæ* 3. Puella quædam exprobrans Saræ dominæ ſuæ ſeptem virorum necem ab Aſmodæo paratam, ſic ait: *Iam ſeptem viros habuiſti, & vnius illorum, non es nominata*; ſic habetur in textu Septuaginta, quamuis hæc verba in vulgatis codicibus deſiderentur. Ex quibus aliquid notatu dignum expreſſit attentus huius loci interpres, ſcilicet vxorem non prius ſibi viri nomen aſciſcere & arrogare ſolitam, quàm nuptias conſummaret, quandoquidem in Saram, quæ cum illis ſeptem viris ratas nuptias celebrauerat, id minimè adeptam iactat contumeliosè ancilla, non aliam ob cauſam, niſi quia peremptis à Dæmone ſibi aſſiſtente viris matrimonium numquam conſummauerat.

Comprobat etiam vetuſtum morem perfrequens vſus apud noſtrates, qui trito ſermone dicunt: *La de fulano, la de ſutano*, &c. ergo dum Sulamitis ſponſi ſui nomen commemorans, ait: *oleum effuſum nomen tuum; ideò adoleſcentulæ dilexerunt*, &c. Deſiderium & votum nuptiarum perfectarum quo ardebat, nouo forſan ſchemate oſtendit, ſignificans vtique, ſe de tam bono nomine, quod vnguenta effuſa, & odorem ſuum latè exhalantia, facilè ſuperat, dici & vocari velle. Quaſi dicat: nomen tuum, mirum in modum deſiderabile & amabile eſt; ideo virginum omnium vnum votum, ac deſiderium ſemper fuit tibi innubere, & de tuo nomine compellari. Atque id ſibi volunt illa verba: *Vnguentum effuſum*. quaſi dicat: nomen tuum eiuſmodi eſt, vt minimè illud tibi ſoli adſeruare & retinere, ſed in eas quæ tibi nupſerint, effundere ac ſpargere velis & cupias, luculentiùs dicam. Nequaquam vis cælebs manere, retento tibi ipſi nomine tuo, ſed nuptias agere, & nomen tuum effundi impenſiùs cupis: *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*, id eſt, nuptias ſuas ſummo ſtudio affectarunt. Hæc autem ſententia cum ſuperiori verſu, & cum ſequentibus, ſic innodanda eſt. Prætulerat certè Sulamitis ſponſi ſui, nuptias *vino*, id eſt, epulis delicatis, & *vnguentis* pretioſis, quibus eatenus vſa fuerat in gynæceo ad formam curandam & expoliendam: ergo rationem huius prælationis ſubiiciens in hoc quidem verſu cauſam aperit, ob quam dictas nuptias vnguentis prætulerit; quia ſcilicet ſponſi nomen vnguenta omnia ſuauitate ſuperat; atque adeò tale eſt, vt eas virgines, ſuper quas inuocatum fuerit, longè decentius exornare, atque honeſtare poſſit, quàm ipſa vnguenta, quibus intra gynæceum clauſæ formam curabant, & infrà de vino & epulis agit: *Lætabimur, & exultabimus in te, memores vberum tuorum ſuper vinum*, vt inibi dicemus.

Cæterùm quamuis præfata expositio aliquando mihi ante alias placuerit, alia nunc accommodatior videtur,quam iam subiicio. Supponendum autem est id, quod suprà in Isagoge *cap.* 2. longiori oratione monstraui ; scilicet in hoc Cantico sponsum Regem induci, ac regiis decoratum insignibus,nunquam non describi ; cui nimirum traditur sponsa conditione ignobilis, & forma olim quidem turpi & indecora, sed postquam illam gynæcei diuturna cultura expolierat, iam pulchra & speciosa. Secundò obseruandum, Reges antiquo Hebræorum ritu vnguento consecrari, & initiari solitos, eapropter Reges vulgari sermone Scriptura sancta Hebraicè משיחים *Meſichim*, vulgò *Meſſias*, Græcè χριστος, id est, *vnctos* compellat. Nil certius. Sunt qui vnctionem istam,quæ adhibebatur in Regum inauguratione, oleo communi oliuarum fieri solitam affirmant. Sed verius est Reges eodem sacro vnguento imbui solitos,quo Sacerdotes consecrari consueuerunt. sic docet Isidorus disertis verbis *lib.* 2. *de Eccleſiaſticis officijs*, Albinus Alcuinus *de diuinis officijs*,*cap.de cœna Domini*,Dionysius Carthusianus 1.*Regum* 10. Angelomus *ibidem.* Pineda *in præuio Salomone*, *lib.*2. *cap.*6. & alij nouiores contra Abulensem,qui Saulem,Dauidem,Azaëlem,Iehu & alios oleo communi initiatos fuisse affirmat ; quia nimirum de Dauid scribitur 1. Regum 10. *Tulit Samuel lenticulam olei,& effudit ſuper caput Saül.* De Iehu 4. Regum 9. *Fudit oleum ſuper caput eius.* Eisdem fermè verbis describitur vnctio Dauidis & Azaëlis. Sed tamen cùm in his,atque aliis locis Hebraici Codices pro *oleo* habeant שמן *ſemen*,quæ vox est anceps,ad notandum oleum commune,& vnguentum pretiosum,nullum certè argumentum satis robustum inde confici potest, ad probandum vnctionem Regum oleo communi perfici solitam.

Ad illam verò faciendam, oleum sacrum de tabernaculo sumptum adhiberi solitum,comprobat inauguratio Salomonis 3. Regum 1. *Sumpſit Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo,& vnxit Salomonem*,id est,accepit de vnguento sacro, quod seruabatur in tabernaculo, Salomoni adnectit. Tostatus Iosiam Regem, firmátque ex illo Eccli 45. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris*,&c.Sed debilior est hæc probatio.Vna Salomonis vnctio,quam Scriptura expressit,mihi rem totam persuadet:nam id quod cum Salomone factum legimus, cum aliis quoque Regibus factitatum haud negare licet, præsertim, quia quoties sacer textus regalis vnctionis ministrum commemorat, id muneris Sacerdoti cuipiam demandatum nunquam non dicit. Cuius demandationis non alia occurrit ratio,nisi quia *Exodi* 32.cautum erat,ne aliis,quàm Sacerdotibus sacrum illud vnguentum contrectare, aut eodem vti liceret. Huius etiam rei fidem facit, quod in Prophetica interpretatione superioris versus diximus ad illa verba : *Myrrha,& gutta, & caſſia à veſtimentis tuis*, &c. quæ de vnctione Regia capienda esse, & easdem aromatum species continere ostendimus, ex quibus sacerdotale vnguentum configebatur, iuxta sententiam Cyrilli Alexandrini ; has verò species non vtique simul conflatas, (id enim non licebat per legem,) sed seorsim singulas ad formam colendam adhibere solebant adolescentulæ in gynæceo Regibus quamprimum nupturæ,vt ibidem probauimus, ex verbis quæ statim attexit Vates : *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Quæres fortasse, an ex dispensatione legis factum,vt Reges vnguento sacro imbuerentur, cum Scriptura ante creationem Regum,serió interdixerit profanum vsum illius vnguenti ? Exodi 30. *Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem illius non facietis aliud.* Noster Pineda dispensationi & relaxationi legis id tribuit. Non succenseo ; tamen si præcepti forma obseruetur, vsus tantùm profanus illius vnguenti ad delicias per legem excluſus videtur ; consecratio autem Regis talis non erat. Ad rem nostram.

Oleum effuſum nomen tuum,propterea adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Id est,à dignitate qua potiris,nomen tibi contigit. Ideò enim Christus,siue Messias appellaris, quia scilicet Rex vnguenti aspersione consecratus & initiatus es. Hoc verò vnguentum,à quo tibi nomen Christi, vel Vncti,non est incluſum, sed effusum ; id est,tibi soli nequaquam illud asseruatum retinere,neque in te ipso,vt ita dicam, stagnare vis, sed effundi in sponsam tuam,quasi dicat, pulchram aliquam sponsam ducere tibi in animo est, quæ fiat particeps & consors nominis & dignitatis tuæ ; quæ nimirum ideò Regina sit,quia Regis coniux,& quia vxor Christi,vel Vncti, Christiana,siue Christa quoque appellari queat.

Et quidem Reginas, quæ Christis, siue Vnctis Regibus nubebant, Christianas,vel Christas Hebraicè משיחות *Meſiachoth*, Latinè vnctas nuncupari solitas,docet Elias in Thesbi,

Thesbi, vbi ſic ait: quemadmodum ex מלך *Melech* fit מלכות *Malchioth*, id eſt, Regina: ſic ex משיח *Meſiach* fit משיחה *Maſicha* id eſt, Chriſta, vel vncta. Sed illud anceps, an Reginæ etiam ſicut Reges, in ſua aſſumptione inungerentur? Aliqui affirmant, idque firmant ex illis verbis Ezechielis cap. 16. *Laui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo*; & adducunt illa verba Pſalmi 4. *Myrrha & gutta,* &c. *à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* vbi filias Regum, iuxta Hebraicum idioma, Reginas appellatas volunt, quæ nimirum, eodem vnguento delibutæ & conſecratæ eſſent, quo Rex fuerat inauguratus. Sed licèt huic probationi parum deferam; puto enim tam Ezechielem, quàm Dauidem de gynæcei cultura, & linitione, ante nuptias verba facere; valde tamen probabile cenſeo, Reginas etiam apud Hebræos inungi ſolitas. id mihi perſuadet vſus noſtri temporis in Eccleſia, quæ in coronatione Regum & Imperatorum non viros tantùm, ſed Reginas etiam & Auguſtas, oleo ſacro perungit. quem vſum ex veteri Teſtamento ad Eccleſiam tranſlatum docet Innocentius Pontifex *in cap. cùm veniſſet, de ſacra vnctione.* Quòd ſi hac ratione inductus mihi non ſatis credis, id ſaltem contendo, tibi vt perſuadeas non temere factum, vt in coronatione noſtrorum Regum vngantur etiam Reginæ & Auguſtæ; ſed de induſtria ad denotandum Chriſti & Eccleſiæ ſingulare conſortium, qui illam ſuæ quoque vnctionis participem eſſe voluit, vt in Prophetia dicemus infrà *cap.* 4. ad illa verba: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Nam id mihi nunc ſatis, vxores Regum de ſuorum virorum nomine Reginas, imò etiam Chriſtas vocitari ſolitas. Accipe nunc huius expoſitionis totam energiam.

In ſuperiori verſu prætulerat Sulamites *vbera* ſponſi (id eſt, amplexum, vel potiùs nuptias, quas per amplexum notare voluit) prætulerat, inquam, vnguentis, quibus in gynæceo exculta ad Regias nuptias ſeſe eatenus adornauerat. Optimam ergo huius prælationis rationem nunc attexit, *Oleum effuſum nomen tuum,* &c. Ideo ſcilicet nuptias exopto, ac præfero, quia per illas nominis, ac dignitatis tuæ conſortem fieri licebit: etenim ab vnguento & chriſmate, per quod in Regem inunctus fuiſti, nomen tibi Chriſtus & Rex; hoc verò nomen nequaquam in te ipſo cohiberi & coërceri, ſed ad regni conſortem effluere vis. Nam quæcunque tibi ſtabili connubio adiuncta fuerit, de tuo nomine Regina & Chriſta erit, nominis, vnctionis ac dignitatis tuæ particeps facta. *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Propterea ſcilicet omnes puellæ, quotquot mecum in gynæceo manſitant, incredibili ſtudio tuas ardent & affectant nuptias. Et meritò quidem, nam cùm vnguentum illud, quod tibi nomen imponit, nempe ſacrum oleum, quo Sacerdotes & Reges imbui ſolent, ex eiſdem aromatum, ac pigmentorum ſpeciebus ſimul ſumptis, ac permixtis confletur, quibus prædictæ virgines, ad colendam formam, in gynæceis vtuntur, profectò de tuo nomine vocatæ, & (ſi fas eſt dicere) imbutæ & vnguentatæ, antiquas illas ſpecies, aromata & pigmenta deſiderare non poſſunt, vtpote quæ maiorem tuo ex nomine, & ex dignitatis tuæ conſortio, quàm ex illis aromatibus pulchritudinem & decorem ſe adepturas exiſtimant. Huic expoſitioni ex Patribus fauent quamplurimi, ſcilicet omnes illi, qui hæc verba de nomine *Chriſtus* in omnes latè fideles effuſo interpretantur. Hi ſunt Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, Origenes in ſecunda expoſitione, Theodoretus, Beda, D. Thomas, Gregorius Magnus, & alij quamplures, quos in ſequenti expoſitione exactiùs enumerabimus.

Verſ. 3. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

OCcurrunt in hoc loco valde diſſimiles lectiones, quæ diſſimiles quoque ac varias expoſitiones pepererunt. Septuaginta illa verba, *Trahe me*, cum ſuperioribus contexuerunt; *ideo adoleſcentulæ dilexerunt te, traxerunt te.* ſic habet codex Vaticanus, quam lectionem amplexi ſunt Origenes, Nyſſenus, Ambroſius de virginibus *lib.* 1. & alij Græci Patres. Codices etiam Complutenſes & regij, præfata verba cum antecedentibus conſuunt, ſed paulo aliter, *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te, traxerunt me*, Tigurina tranſlatio ſequitur eandem lectionem, ſed ad ſequentia reuocat hoc modo, *Traxerunt me: poſt te curremus*, &c. eſt etiam inter Græcos Patres aliqualis diſcordia. S. Ambroſ. *in Epiſt. ad Irenæum* 11. *& in lib. de Iſaac & anima, cap.* 3. ſic locum

iſtum

istum exhibet. *Attrahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* qui secutus videtur Aquilam & Symmachum. Theodoretus retinen priorem lectionem, illam cum sequentibus construit, ad hunc modum. *Traxerunt te, post te in odorem vnguentorum tuorum currentes.* Hactenus Græci.

Inter Latinos maior consensio, omnes enim nouum versum inchoant ab illis verbis, *Trahe me*, &c. Sed in dispunctione carminis, non leuiter dissident. Plures sic habent. *Trahe me post te : curremus in odorem vnguentorum tuorum* ; duo scilicet puncta affigentes ante verbum *curremus.* hi sunt Gregorius Magnus, Bernardus, Iustus Orgelitanus, Beda, D. Thomas, Apponius & nouiores alij quamplurimi ; sed dispunctionem istam castigauit noua æditio Clementis, quæ sic habet. *Trahe me* ; & duobus punctis præfixis illud *post te*, censuit cum sequentibus hoc modo : *post te curremus.* Hanc lectionem primò commendant primitiua Hebraica, in quibus accentus Sopasuel, distinguit clausulas supradictas : secundò fauent Septuaginta, qui nouum versum inchoant ab illis verbis : *post te curremus.* Adstipulatur etiam aliquis vsus antiquorum Bibliorum, nam Gotica, non duo, sed vnum punctum appingunt sub illis verbis, *Trahe me.* maximam distinctionem inducentes ; quam asseruit etiam Angelomus, quæ dispunctio mihi ante alias placet, quia cùm hæc verba alia sint sponsæ, alia puellarum, maiorem distinctionem postulare videntur.

Pro illis verbis, *Trahe me*, in originibus subest verbum משך *Masach.* quod sæpe aliàs Vulgatus & Septuaginta restituunt, *duco, adduco, extraho, educo* ; aliquando etiam *rapio & arripio.* Sed in hoc loco præfati Septuaginta subiiciunt verbum ἑλκω, cuius vis est *attraho :* aliquando etiam *detorqueo*, &, vt monet Aristot. *lib. 6. Ethic.* dicitur Germanè de stateris, cùm lances alteram in partem flectuntur. Denique verba illa, *in odorem vnguentorum tuorum*, desiderantur in originibus Hebraicis : addita sunt à Septuaginta, & à Vulgato tanquam reliquo textui conformia, de industria retenta fuerunt.

Ergo nouiores interpretes, Legionensem antesignanum suum sequentes omnes ad vnum, cùm prius finxissent sponsam desideriorum videndi sponsi sui quibus ardebat impatientem, atque ea propter deliquio animi exanimatam, iam nunc consectariè ad ea quæ sibi proposuerant, addunt, eandem, cùm in ea defectione animi ac virium pedes mouere, ac gressus regere non posset, hoc ab sponso suo efflictim exposcere, vti se fugientibus viribus collapsam planè ac iacentem erigat, ac post se moueat, trahatve : *trahat*, inquam, id est, ipsi innitentem, & aliàs post ipsum ire minimè valentem portet (sic plerique) si vnum excipias expositorem, qui huius parum decoræ portationis pertæsus, eam clausulam paulo aliter ediderit, *Trahe me post te* ; quasi dicat : O sponse, quamprimum veni, si enim te præsentem videre liceat, discedet statim longuor iste, ac viribus receptis te animos mihi facientem & trahentem persequar.

Sed tamen hæc interpretatio ex his quæ suprà *vers.* 2. diximus, contra eos, qui sponsam cassis viribus exanimatam fingunt, validè confutantur. Vlteriùs etiam dico, sanctos Patres eidem minimè adfauere. Nam quamuis plures Sulamitem imbecillem, & sponsum suum insequi haud valentem fingant ; hanc tamen imbecillitatem, alicui deliquio, aut defectioni ex amore, aut desiderio sponsi profectæ nullus tribuit ; quin potiùs id imbecillitatis, aut infirmitatis, quod præscripti Patres astruunt ad significandum statum animæ, antequam gratia Dei aduocetur ac præueniatur, omne eiusdem sponsæ, etiam minimum desiderium & amorem erga sponsum suum antecedit, hoc enim est proprium gratiæ, infirmitatem nostram iuuantis, vt animæ desideria & vota præueniat. Rursus quorsum spectat tanta defectio & ægritudo animi ad sponsum insequendum in sponsa, & in aliis puellis ad ipsam prosequendam tanta alacritas & ardor animi, quæ nimirum illa subindicant, *Post te curremus*, &c. an non magis isthæc tam prompta, expeditaque ad cursum animositas sponsam decebat ? Ego quidem hæc parum aptè à recentioribus conficta puto. Quapropter alium & alium huius loci sensum subiiciam.

Præmittere autem pauca operæ pretium est. Primò illorum sententiam non probo, qui non solùm priora illa verba, *Trahe me*, sed etiam posteriora illa, *post te curremus*, &c. vni sponsæ tribuunt ; ea nimirum inducti ratione, quia Hebræis valde solenne est numeros verborum permutare, singularem scilicet pro plurali, & hunc viciſſim pro illo vsurpare ; itaque docent extrema illa verba tantumdem valere, ac si

dicat,

dicat, *post te curram*; eo sensu, si me traxeris, te cursu incitatissimo persequar. hanc, inquam, expositionem non probo; tum quia hanc numerorum permutationem, sine vsu aliquo confingunt, tum etiam, quia Patres omnes præfata verba, *post te curremus*, à puellis sponsæ pedissequis dictata esse volunt, si vnum, vel alterum excipias, qui hisce puellis sponsam adiungunt; quasi ab hac simul cum ipsis pronunciata fuerint. Itaque hos volo numeros huius orationis ad amussim seruandos, atque adeò priora illa verba, *trahe me*, ab sponsa; posteriora verò, *post te curremus*, ab eiusdem ancillis deprompta fuisse. Sed quale, inquies, ancillarum istarum munus in nuptiis? dixi suprà in Hagoge *cap.* 3. §. 2. De his loquitur Scriptura: Esther 2. *& præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis, & tam ipsam, quàm pedissequas eius ornaret, atque excoleret.* Ex quibus verbis constat, prædictas puellas sponsis adhuc in gynæceis agentibus dari solitas, & cum eisdem ad nuptias progredientibus, inde etiam regredi, erat enim maximè propria earum functio sponsam insequi ac stipare à tergo; ideò pedissequæ dictæ. Ista cecinit Dauid Psalm. 44. *Adducentur* (inquit) *Regi virgines post eam.* (id est, post Reginam sponsam) *proximæ eius afferuntur tibi.* quæ verba Tigurina translatio sic extulit; *Virgines pedissequæ eius, sodales eius vnà tibi adducentur.* Vide plura *loco citato.*

Secundò notandum, sponsas quæ Regibus tradebantur, antiquo Hebræorum ritu, à suorum parentum domo in gynæcea primum traduci solitas, in quibus formam colentes per annum, aut diutiùs clausæ manebant: quo tempore elapso inde educi, & ad Regiam transferri consueuerant. Id quoque tibi persuadet historia Esther *cap.* 2. quæ vtramque traductionem à paterna domo in gynæceum, & à gynæceo in Regiam perspicuè tradit; & de posteriori sic demum scribit: *& vt eis placuerat compositæ de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transibant.* Vbi triclinium fœminarum vocantur ædes illæ, in quibus nubiles adolescentulæ ad Regias nuptias comparabantur. At verò in priuatorum coniugiis sponsæ à paterna domo in mariti ædes, illico transferri solebant, & ab hac translatione natus familiaris modus dicendi, *Ducere vxorem*, pro *nubere*; vt obseruant vulgo etymologiarum auctores. Huc spectat locus insignitus *Iudicum* 12. vbi de filiis & filiabus Abesam, sic scribitur: *Post hunc iudicauit Israël Abesam de Bethleem, qui habebat triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filijs suis, accepit vxores, introducens eas in domum suam.* Legendus Brissonius *selectar. ex iure quæst. cap.* 18. vbi de hac traductione sponsæ multa scrit. Itaque translatio illa solennis & pompica nouæ nuptæ, quæ in priuatorum nuptiis fieri solebat, ab ædibus sponsæ in domum mariti in regalibus connubiis fiebat à paterna domo in gynæceum, inde verò in Regiam, aut Palatium.

His ergo præmissis, cogita sponsam in gynæceo adhuc manentem, & cum puellis suis pedissequis, vt moris erat, conuersantem. Item moras sponsi ægerrimè ferentem ad illum absentem sermonem intendisse, hoc modo: *Trahe me.* id est, *extrahe me*, seu educito me tandem aliquando ex hac domo, aut triclinio fœminarum, satis temporis in cultura formæ posui; atque adeò tempus est iam, vt tanquam legitimam vxorem, hinc eductam in Regiam & cubiculum tuum demum transferas; puellæ verò sodales, quæ sponsæ vota ex gynæceo, iam tunc in domum sponsi migrandi audierant, sic attexunt. *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; id est, quod nostrarum partium est, agemus, à tergo stipantes & insequentes; atque eorum vnguentorum, quibus in gynæceo delibuta & condita es, suaueolentiam carpentes; quasi dicat: post te ibimus, quæ vnguentis & pigmentis formam tamdiu excoluisti, vt ad iungenda cum Rege connubia, habilis & matura sis. hanc expositionem commendat locus nuper citatus ex *Psal.* 44. cuius cum cantico isto concordiam sæpe aliàs insinuaui. Nam pro illis verbis, *Adducentur Regi virgines post eam; adducentur in lætitia*, &c. in primitiuis est ad verbum, *Adducetur Regi.* (hîc figendum est punctum) *virgines post eam*, &c. (sic locum istum extulit Hieronymus, Pagninus, Montanus, & alij passim Hebraizantes) ideſt, sponsa ipsa & Regina ad regias nuptias transferetur, eamque virgines pedissequæ insequentur.

Pro illis verbis *in odorem vnguentorum tuorum*, aliqui Codices habent, *in odore vnguentorum tuorum.* Nec longè absum, vt putem dictas puellas loqui de vnguentis & pigmentis, quibus ipsæ etiam ad stipandam sponsam in gynæceo condiebantur: quod & suadent verba illa Esther 2. *vt tam ipsam, quàm pedissequas eius ornaret atque excoleret*, ex quibus constat puellas illas Reginæ sodales, vnà cum ipsa Regina formam

vnguentis

vnguentis & pigmentis excolere solitas in parthenone. erit ergo sensus: post te incedemus vnguentis fragrantes, quibus tua causa donatæ sumus; quia eisdem imbutæ & excultæ non verebimur virorum oculos subire.

Posterior interpretatio cum priori cohæret, & vlteriùs vim illius verbi, *attrahe me*, ad amussim vocat, cui subiicitur radix משך *Masah*, quæ significat extrahere, & arripere; ita vt fas sit conuertere, *arripe me*. Ac propterea mecum agitare cœpi, an ritus ille nuptialis, sicut alij quamplures, ab Hebræis ad gentes promanasset: in quibus mariti sponsas suas traducturi, eas à matrum gremio & patrum domo simulata vi rapere solebant. Quamuis enim Plutarchus id propter Sabinas virgines factum putet, quarum raptum, qui sibi olim vsque adeò feliciter cesserat, imitari volebant Romani. Sed cùm raptus sponsarum, non solùm Romanis, sed etiam Græcis, Persis & aliis Gentibus solennis esset, longè meliùs alij id de industria fieri solitum dicunt, vt virginum pudori consuleretur, quæ nimirum non nisi coactæ & raptæ ad nuptias irent, & in maritorum domos migrarent. Sic Optatus Mileuitanus, *vt inuitæ virginitatem amittere viderentur*. Verba sunt illius à nostro Cerda producta, ad illa verba Maronis lib. 8. *Raptas sine more Sabinas*. Qui eruditè admodum, ac fusè probat ibi, eum morem rapiendi nouas nuptas ante Sabinarum raptum & Romæ condictionem in vsu fuisse. Imò potiùs de hac Sabinarum rapina Dionys. Halicarnass. *lib. 1. Antiquitatum*, sic scribit: *Romulus consolatus earum mœstitiam docuit, non iniuriæ, sed connubij causa ipsas raptas fuisse, & demonstrauit morem istum & Græcum, & antiquum esse; istamque rationem omnium, quibus inter viros & mulieres matrimonia contrahuntur, esse maximè insignem*. Hic autem ritus nuptialis vsque adeò antiquus est, vt ea, quæ de falsis Numinibus fabulabantur veteres, hinc deriuata existimet Cerda: apud quos Iupiter Europam, Theseus Ariadne, Pluto Proserpinam, Iason Medeam, Paris Helenam rapuisse feruntur. Quapropter de antiquitate huius ritus addubitare non licet.

De hoc raptu sponsarum multa Brissonius *de ritibus nuptiarum*; non pauca Rosinus *Antiquit. Roman. lib. 5. cap. 37.* & alij passim. Et quidem apud Romanos rapiebantur virgines ex matrum gremio, vel alterius necessariæ matronæ; apud Persas ex limine domus paternæ; tantumque inualuit consuetudo ista, vt *rapinam* pro nuptiis, & *raptam* pro coniuge appellauerit Propertius.

Nec mea de sterili facta rapina domo.

& subinde,

Consule quo facto tempore rapta soror.

Hunc verò ritum Hebræis non insuetum, persuadet mihi non tantùm locus iste Canticorum, sed etiam alius insignitus *Prouerb. 4.* vbi Salomon adolescenti suadens, vt sapientiam tanquam coniugem sibi adiungat, inter alia sic addit. *Posside sapientiam, & in omni possessione acquire prudentiam: arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus*. Vide quæ in eum locum coniecimus de nuptiarum similitudine, quam in eo capite persequitur Salomon. Vbi ea verba, *arripe illam*, &c. ex hoc ritu vxores ex parentum domo abripiendi exponi posse diximus.

Idem ergo Salomon sibi similis in hoc loco, *Attrahe* (inquit) *me*, seu *arripe me*. Sic sponsa nuptiarum desiderio incensa, & pudori suo pariter ingenuè prospiciens. Quasi dicat, Adesdum ô sponse, ac me etiam pudoris causa recusantem & reluctantem, ex hoc triclinio fœminarum ad palatium tuum rape. Cui sodales puellæ: *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*. id est, si ab sponso tuo ad nuptias rapta & abducta fueris, post te incedemus omnes, odorem vnguentorum tuorum insequentes, veluti canes cùm ferarum vestigiis insistunt, vt eas incitato cursu assectentur.

Translatio verò septuaginta Interpretum, alium sensum reddere videtur, sed cum isto cohærentem. Si enim cum plerisque priora illa verba cum antecedentibus nectas, ad hunc modum, *Ideo adolescentulæ dilexerunt te; attraxerunt te*; sensus est luculentus. nam, vt in superiori versu insinuaui, *adolescentulæ* in eo loco non significant puellas pedissequas & ancillas, de quibus statim dicit, *post te curremus*, sed sponsæ socias in eodem gynæceo nuptias Regis expectantes. De his autem appositè dicit, *attraxerunt te*. quasi dicat: te impensè adamarunt, & decore suo, formáque ad se traxerunt & illexerunt. Ego verò iuxta hanc lectionem affirmare audeo, vnam aliquam adolescentulam inter plures alias, à Salomone fingi in hoc loco, nuptias in gynæceo expectantem, ac reliquis eiusdem parthenonis sociis ab sponso præferri, & anteponi desiderantem. Sic enim fieri consueuit, vt ex pluribus puellis, quæ formam in

Nymphæo

Nymphæo excolebant, vna quæ magis Regi placuerat, præferretur, vt regni conſors eſſet. Ita colligitur ex *cap. illo* 2. *lib. Eſther*, & ex *Pſalm.* 44. vbi cùm præmiſiſſet Pſaltes, *Filiæ Regum in honore tuo*, vnam aliquam ex omnibus illis ad Regnum electam & aſcitam ilico affirmat: *Aſtitit Regina à dextris tuis*, &c. Ergo ſic ſponſa. Ideò adoleſcentulæ *dilexerunt te*, *attraxerunt te*. id eſt, quia oportet vnam aliquam ex multis eligi, quæ vnguenti tui effuſi, id eſt, Regni particeps fiat (hoc enim ſibi vult illud, *vnguentum effuſum nomen tuum.*) Ideò quotquot in gynæceo ſunt adoleſcentulæ, te impensè adamarunt, & formam ſuam curantes ſingulæ te vnum ad ſe trahere & allicere hactenus contenderunt. Iuxta quam obſeruationem habet ſpecialem emphaſim lectio vulgata, *Trahe me.* Nam poſtquam dixit: *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* hoc eſt, propterea puellæ omnes amore tui inductæ, tuas nuptias concupiſcunt, appoſitè ſubdit Sulamites, *Trahe me*, id eſt, me vnam ex omnibus præferto, & ad palatium tuum ducito, vt imperij & regni conſors ſim.

Quòd ſi ita legas cum aliis, *attraxerunt me*; tota ſententia ad puellas pediſſequas ſpectabit, ac ſenſus erit ex alio nuptiali ritu petitus; conſtat enim alterum puellarum pediſſequas munus in nuptiis fuiſſe, nouæ nuptæ perſuadere, vt marito acquieſceret, & nuptiis aſſenſum præberet. Ita notauit Scaliger *in poëtica*, idque ſibi depromere videtur ex Epithalamio Catulli, in quo puellæ cantatrices & pediſſequæ Iuliæ nuptias detrectanti, ſeriò id ſuadent, vt Manlio obſequi, & ab illo abduci ſe velit. Propterea (inquit Scaliger) has puellas pediſſequas ſponſæ mittere, ad maritum ſpectabat. quod ex illo loco Eſther, non obſcurè colligitur. Vbi Aſſuerus Rex Eunucho gynæcei cuſtodi iuſſit, *vt traderet Eſtheri partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo Regis*, &c. Ideo verò à marito mittebantur, vt ſponſæ animum ad conſenſum nuptiarum flecterent. quod erat etiam munus amicorum ſponſi, vt infrà *verſ.* 10. fuſiùs probabimus. Hæc autem præludia, ideo nuptiis præmittebantur, vt teſtatum eſſet cunctis, nouam nuptam, non aliter, niſi precibus euictam, & veluti coactam ad coniugium venire; id enim pudor atque modeſtia virginis poſtulare videbatur. Si ergo illi lectioni aliquid tribuamus, dicemus quidem verba eſſe ſponſæ; quæ cùm ſponſi ſui videndi & alloquendi percupidam ſe eſſe monſtraſſet, ne id à pudore virgineo alienum videri poſſet, ita fatur: *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*, *attraxerunt me*. Quaſi dicat: propterea nuptias tuas tanto ardore deſidero, ô ſponſe, quia puellæ abs te miſſæ pro amore, quo te complectuntur ſuis adhortationibus ac precibus, non modò allexerunt, ſed traxerunt & compulerunt me, vt te ardentiſſimè cuperem, & amarem. Cui expoſitioni obſeruit ſignificatio verbi ἕλκυσαν, quod, vti ſuprà dicebam, germanè ſignificat alicuius libræ lances in alteram partem detorquere, & ad nutum, ſeu motum voluntatis notandum, appoſitè accommodatur.

Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te.

Huius carminis trimembris eſt ſententia, quapropter illius membra ſigillatim diſcutiam. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Ex hebraizantibus complures præteritum pro futuro ſubrogatum volunt. ſcilicet *introduxit me*, pro *introducet me*, earum nimirum inducti ratione, quia hactenus ſponſa ad abſentem ſponſum verba ſua intendit. Concordat tranſlatio Symmachi, qui Hebraiſmum ſoluens conuertit εἰσαγαγέτω μὲ, id eſt, *introducat me.* Accinit Philo Carpathius, qui ad futurum etiam tempus ſpectans, per imperatiuum modum expreſſit hoc modo, *introduc me Rex.*

In cellaria ſua, in primitiuis eſt חדר *chadar*, cuius nominis ſignificatio eſt anceps, nam cubiculum, adytum, & penetrale domus adſignificat. Septuag. conuertunt εἰς τὸ ταμεῖον, quæ vox omnes ſignificationes capit, quæ ſubiiciuntur voci *chadar*: numerantur autem quinque præcipuæ, quæ ſunt *penus*, vbi conduntur ea, quæ ad victum pertinent; *triclinium*, aut *cœnatio*, vbi conuiuia exhibentur, *cubiculum*, vbi thalamus eſt, *apotheca*, vbi theſauri & res pretioſæ aſſeruantur, & *gynæceum*, ſeu *domus interior*, vbi puellæ formam curabant ad nuptias. Primam ſignificationem *penus*, vbi clauduntur cibi vtenſilia, vulgò *deſpenſa*, amplectuntur Ambroſius & Bernardus: ille enim ſic habet, *Eſt autem cellarium vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi ſuauia & mollia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ*, &c. Secunda ſignificatio *apothecæ*, vbi aſſeruantur theſauri & ſupellectilia pretioſa, placuit Origini & Philoni; ex quibus hic

scribit: *Promptuarium Regis est, vbi & res omnes pretiosæ reponuntur.* Tertiam significationem *cubiculi*, vbi thalamus erat, sequuntur plures Patres, Theodoretus, Nyssenus, Angelomus, Beda & alij, inter quos Theodoretus sic fatur: *Ad thalamum & cubiculum, & ad genialem lectum introducitur.* Quarta significatio *cœnaculi*, aut *triclinij*, apud Hebræos est familiaris, & illi hærere videtur Anselmus, nec ab illa abhorret Ambrosius. Quintam significationem *gynæcei*, aut triclinij fœminarum, probauit Anonymus Hebræus, & videtur maximè nata in hunc locum. Has omnes significationes ideò perstrinxi, quia ex illis tota interptretationum varietas pendet.

Certè inter sanctos Patres, plures sunt qui vim & potestatem illius verbi, *introduxit me*, seruandam esse putantes, his verbis rem aliquam præteritam ab sponsa commemorari volunt. qui vlteriùs per *cellaria*, cubiculum geniale, vel penum, vel apothecam, vel cœnaculum accipiunt: atque adeò fingunt, inter hæc ac superiora verba interponendum esse absentis olim sponsi aduentum, & sponsæ traductionem in domum & cubiculum sponsi, cœnam & alia nuptiarum oblectamenta: vt scilicet his omnibus iam posita se in cellaria sponsi introductam apud pediseguas suas gloribunda iactet sponsa. Cæterùm quicunque huius Cantici filum & contextum attentiùs considerauerit, facilè agnoscet, sponsum ad locum, vbi Sulamites manebat, nec dum successisse, vt ex dicendis infrà ad consequentes versus 7. & 9. facilè constabit. Quapropter si quis seriò contendat, sonum illius verbi, *introduxit me*, prorsus retinendum, atque adeò rem aliquam præteritam notari, nullam aliam expositionem idoneam esse puto, nisi eam, quam iam subiicio.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Non semel aliàs animaduerti, sed tum maximè in sono allegoriæ superioris versus, in his puellis, quæ ad nuptias regias assumebãtur, duplicem traductionem, aut translationem celebrari solitam: aliam à domo parentum in gynæceum, siue triclinium fœminarum, formæ curandæ gratia; alteram verò à gynæceo, in palatium, seu cubiculum Regis, ad legitimas nuptias paciscendas; vtramque translationem habes in libro Esther *cap.* 2. cuius testimonium dedimus *loco citato*. Si ergo sponsa rem præteritam, tanquam præteritam commemorat, de priori certè translatione loqui debet: dixerat enim in superiori versu, sponsum absentem affata, *Trahe me*, id est, *extrahe* ex hoc loco, in quo maneo, & ad tuum palatium ac cubiculum migrare me iube, (vt antea explicabam.) nunc ergo quo ex loco trahi & transferri se postulet, aperit his verbis, *Introduxit me Rex in cellaria sua.* hoc est, iam olim, id est, ante annum (sic enim mos ferebat) à domo parentum eductam in gynæceum induxit me, vt ibi clausa, nuptias expectarem: ea propter hinc trahi, & ad regiam transire impensè cupio. Attexunt pediseguæ puellæ, *exultabimus & lætabimur in te*, &c. Tunc scilicet, cùm tibi hinc ad nuptias ire licebit, nos vtique nuptialia pangemus, vt infrà explicabimus. Et sanè huic interpretationi plurimum tribuo, quia nullam verbis infert vim, & contextum minimè violat.

Nihilominus tamen, quia sancti Patres supradictas *cellariorum* acceptiones amplexi sunt de *penu*, de *apotheca*, de *cœnatione*, & de *cubiculo geniali*, eas certè minimè repudio, aut refello, sed censeo non posse illis aliter locum fieri, nisi cum Symmacho, Philone, & aliis Hebræorum Magistris, in verbo *introduxit*, admittamus peruulgatum Hebraismum, ac dicamus præteritum pro futuro, aut indicatiuum, pro imperatiuo, vsurpatum scilicet *introduxit*, pro *introducet*, vel *introducat*, pro *introduc.* hæc enim omnia in idem recidunt. Cui acceptioni, non solùm notissimus Hebraismus adstipulatur, sed etiam id quod obseruauit in hoc loco Gaspar Sanctius: nam sæpè ea, quorum expletio iam iam proximè instat, etsi infecta sint, pro factis habentur. Ioan. 19. *Opus consummaui, quod dedisti mihi*, quia videlicet quamprimum erat consummaturus. & cap. 15. *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, ideſt, faciam similiter quàmprimum: mitto alia. Ergo similem ad modum sponsa, quæ, vt infrà *vers.* 7. dicam, fingitur in hoc Cantico, ea ipse die sub noctem traductionem suam à gynæceo in Regiam, & introductionem in cubiculum sponsi expectare, non insulsè dixit, *introduxit me*, pro certissimè & ocyssimè *introduxit.*

His prælibatis, si per *cellaria*, penum accipias, aut thesaurorum & supellectilium pretiosissimarum apothecas, haud ineptus euadet sensus: *Introducit me Rex in cellaria*, ideſt, aderit breui mora tempus, cùm Rex in suas inducet apothecas, & earum traditis clauibus, faciet mihi copiam. Hîc siste. Nunc enim memoriæ occurrit peruetus consuetudo, iuxta quam vxoribus in die nuptiarum, ædium atque apothecarum claues

tradeban

tradebantur. Ita scribit Sextus Pompeius, qui putat claues deferri vxoribus ad partus facilitatem notandam. Melius tamen & aptius, meo iudicio, se vt matres familias in possessionem, seu rerum mariti communionem & societatem admitti existimarent. Nam receptum est vulgò, vt clauibus rerum traditis, res illis conclusæ transferri censeantur, ex Senatusconsulto Papiniano *l. clauibus, ff. de contrah. empt. & vendit.* Rursus ademptio clauium, repudij erat indicium. Ita Cicero *Philip.* 2. de repudiata mima ab Antonio. *Illam* (inquit) *suas sibi res habere iussit, ex duodecim Tabulis claues ad. mit.* exegit scilicet ex domo. Illud etiam quibusdam placet, & mihi non displicet, veterem morem tradendi annulum ferreum vxori in nuptiis, cuius meminit Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. D. Hieronym. *in Epist. ad Ephes. cap.* 2. ad istam clauium traditionem spectasse. Erat enim veteribus annulus pro claue; quod satis euincit locus Danielis 14. *Claude ostium, & signa annulo tuo.* & proximè, *signantes annulo regio abierunt.* Ad vxorem verò, & matrem familias pertinuisse signatorium, aut sigillatitium annulum gestare, ad apothecas & vtensilia obsignanda, euincitur ex illo Plauti, apud quem materfamilias sic addit,

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Clemens item Alexandrinus *lib.* 3. *Pædagog.* Christianis fœminis signatorium, & non alium concedit annulum; ita enim ait. *Tribuit etiam fœminis annulum aureum non Hercle ad ornatum, sed ad signandum ea, quæ domi custodienda sunt, propter curam domesticam, quæ illis incumbit.* Addo etiam illud Vopisci in Aureliano. *Vxori annulum sigillatitium quasi priuatus instituit.*

Ex his colligitur, cellarum & apothecarum claues, vbi vtensilia condita seruabantur, vxoribus deferri solitas. Quapropter iure optimo Sulamites pollicetur sibi futurũ, vt ea ipsa die suarum nuptiarum, in penum, in cellaria & in apothecas inducatur, sponso omnium vtensilium claues sibi deferente. Et sanè prædictum sensum subesse putauit D. Ambros. illo verbo, *introduxit, in Psal.* 118. *serm.* 1. *vers.* 8. cuius hæc sunt verba. *In cubiculum* (inquit) *Christi introducta dicitur Ecclesia, non quasi tantummodo desponsata, sed etiam quasi nupta, quæ legitimè claues copulæ consecuta sit.* & infrà: *Introduxit eam Rex in omnia interiora mysteria; dedit ei claues, vt aperiret thesauros scientiæ Sacramentorum, & clausas antea fores panderet.* Philo Carpathius, qui expositionem huius loci sic claudit. *De quibus cellarijs sancta Ecclesia in Beato Petro accepit claues.* Adstipulatur etiam Rupertus his verbis: *Non enim introductio qualiscunque hîc debet intelligi, sed cum iure possidendi, sicut ius est, sponsam legitimam cum tabulis matrimonij in dotem suam introduci.* qui significationem traditionis clauium expressit.

Secunda acceptio cellariorum, est pro cœnatione & triclinio, vbi conuiuium nuptiale offerebatur. Notissimus est Hebræorum ritus, cœnas & lautissima conuiuia per singulos nuptiarum dies exhibendi. *Esther* 2. *Iob* 9. *Ioan.* 3. *Genes.* 29. & sæpè alias in Scriptura nuptialium epularum miscetur sermo. Et sanè sponsa, siue à domo paterna, siue à gynæceo in sponsi domum translata, primò inducebatur in cœnaculum, vbi agebatur conuiuium, & inde post epulas in cubiculum transibat. Colligitur hoc ex aliis locis, sed tum maximè ex illo *Genes.* 29. vbi de nuptiis Iacob sic habetur. *Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias, & vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*; scilicet in cubiculum geniale. & Tobiæ 9. *Postquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam*, &c. ex quibus constat, sponsam prius ad cœnam, deinde ad thalamum admitti solitam. Ergo Sulamites, in hoc loco, id quod in nuptiis primùm erat, & iam proximè affuturum sperabat, commemorans ait: *introduxit*, vel potius *introducet me Rex in cellaria sua*, in triclinium magnificè apparatum, & lautissimè instructum, immittet me, vt ibi opiparè exceptam deliniat & oblectet.

Huic autem expositioni accommodatè aptari videtur nomen *Regis*; nam conuiuiorum præsides & rectores Symposiarchæ, Induperatores & Reges dici consueuerunt. Et quidem mensarum imperia in nuptialibus symposiis ad sponsam pertinuisse, suadent aliqua veterum monimenta. Ex diuinis autem litteris in hanc sententiam integrum est allicere locum Ioannis *cap.* 2. vbi nuptias in Cana Galilææ, & Christi miraculum describit; sic enim ait: *vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam, vocat sponsum Architriclinus, & ait: Quare bonum vinum seruasti vsque adhuc*, &c. Quidam enim sponsum mensis non accubuisse inde colligunt, quia vocatus dicitur ab Architriclino. imò illum, velut supremum mensarum sympoſiarcham imperasse mensis, & propterea ab inferiori alio Architriclino, quem sibi comitem ipse adsciuerat, quasi

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

in consilium euocatum, vt quid de vino faciendum esset decerneret. Alij, in quibus est Ma donatus & Cardinalis Toletus, Architriclinum symposij moduperatorem & Magistrum fuisse autumant, cuius erat (inquiunt) aliis epulantibus vini & ferculorum leges statuere, & cùm alij cœnam expleuissent, accumbere. Probant id Ecclesiastici testimonio cap. 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto illis quasi vnus ex illis, curam illorum habe, & sic conside, & omni tua cura explicita recumbe vt cæteris, propter ipsos*, &c.

Cæterùm cùm conuiuij Magister pluribus censeri soleat nominibus, nullum hactenus reperi, qui illum Architriclinum à quoquam dixerit compellatum, imò Fuluius Vrsinius de Romano triclinio ex marmoreis monumentis producit multa exempla, quibus *triclinarios, triclinarchas, & architriclinos* nuncupari dicit seruos illos, quibus curæ erat penum struere, & lectisternia disponere. Addit etiam eosdem προγευστὰς, id est, *prægustatores* appellatos, quia vina & cibos delibabant, ne quid vel inconditum, vel insuaue mensis apponeretur, & vt abesset veneni suspicio. Ad hæc pro certo habeo, Reges & arbitros symposij cum reliquis conuiuis accumbere solitos. Quod non obscurè innuit Athenæus *lib.* 11. hisce verbis, ex Græcis originibus ad viuum expressis: *In cœnis Esiatori* (sic dicebatur conuiuij princeps) *accumbenti dabatur tabella continens catalogum eorum, quæ apponenda erant, vt quod is vellet obsonium, id cocus afferret.* Præterea indecorum valde erat sympotiarcham aliis epulantibus esurire, & finem conuiuij impransum præstolari. Quapropter locus *Ecclesiast.* 32. sic est edisserendus: *Omni tua cura explicita recumbe.* id est, postquam ea, quæ tuarum partium sunt, absolueris, leges videlicet tuleris, & ferculorum cyathorumque ordinem seriemque præscripseris, tunc asside non solus, sed cum reliquis conuiuiis.

Mihi ergo ponium illius conuiuij *Ioan.* 3. supremum arbitrum fuisse, nonnulla persuadent. In primis enim, cùm ad conuiuij Regem pertineret, epularum distributionem, & ferculorum ordinem statuere, quod nullus ambigit, de vini ordine præpostero ad illum deferens Architriclinus perspicuè declarauit, sponsum totius conuiuij arbitrium habuisse. Tum etiam, si verum est quod Athenæus *ibidem* docet, & Macrobius *lib.* 3. *cap.* 13. ferculorum indicem, & catalogum dictatori, & magistro conuiuij tradi solitum, vt quod obsonium ipse mallet, id ministri afferrent; certè eum indicem & catalogum apud sponsum fuisse in hoc symposio nuptiali, satis declarant illa verba. *Quare bonum vinum seruasti vsque adhuc?* Quasi dicat: cùm tibi vini & obsoniorum esset index, & tuarum partium fuerit vtriusque ordinem edicere, quare distulisti præstantissimum & generosissimum vinum, in conuiuij finem. Ita Architriclinus, & idem *prægustator* dixit, vocans sponsum, id est, appellans illum suo nomine, non stantem, sed cum reliquis accumbentem.

Ad rem. Cùm vini & conuiuiorum regna, de quibus aliàs, fors decernebat, in nuptiis sponsus administraret; propterea fortasse Sulamites, in hoc carmine sponsum Regis nomine insigniuit. Nec leuis coniectura: nam cùm ter eo tantùm nomine recensuerit, semper de conuiuiis habetur sermo, nimirum hîc, *introduxit me Rex in cellaria*; & circa finem capitis, *cùm esset Rex in accubitu suo.* & cap. 2. *introduxit me Rex in cellam vinariam*; vt infrà docebimus.

Tertia acceptio *cellariorum* apud Patres communior, (& quam frequentiori vsu Scripturæ sacræ significat nomen illud Hebraicum חדר *chadar*) est pro cubiculo & loco thalami genialis, ad quem ex gynæceo transferebatur sponsa, vt constat ex illis verbis Esther 2. *de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transibant.* Iuxta quam significationem & acceptionem Sulamites ait, *introduxit*, vel potiùs, *introducat me Rex in cellaria sua.* Vel *introduc me*, sic lego cum Symmacho & Philone, non autem *introducet me*, cum aliis, vt cohæreant hæc verba cum illis, *trahe me.* Itaut vtraque sint de imperatiuo. quasi dicat: tandem aliquando voti, ac desiderij mei, faciat me compotem sponsus, atque ex hoc parthenone, seu triclinio fœminarum eductam, tanquam legitimam vxorem in cubiculum & thalamum secum transferat me, vt consummatione nuptiarum obtenta, matrimonium nostrum insolubile maneat. Et sanè cùm translatio sponsæ, vt constat ex illo loco Esther, fieret à fœminarum triclinio ad cubiculum Regis. illa priora verba, *trahe me*, referuntur ad locum vnde sponsa educi desiderabat: posteriora autem illa, *introduc me*, ad eum, in quem induci cupiebat.

Huic expositioni primas defero, quia cum sequenti hemistichio magis cohæret,

in

in quo puellæ pollicentur se Epithalamia, id est, nuptiales odas decantaturas. *exultabimus, & lætabimur in te*, &c. quæ sponsæ in thalamum discedenti occinebantur, vt infrà *cap. 2. vers. 7.* fusè ostendemus.

Sed illud anceps, cur scilicet *sponsus* aptè ad hanc interpretationem dicatur *Rex*. Legionensis, cui hærent recentiores non pauci, *Regis* nomen in hoc loco, non ad potestatem, sed ad delicias referendum esse censuerunt, affirmantes Hebræis solenne esse, eos quos impensè adamant, sic compellare: *Mi Rex, mi Imperator*, & alia id genus. Sed tamen delicata isthæc ac nimis mollia nunquam non repudianda mihi puto. Melius noster Sanctius, qui nomen *Regis* ad nuptias retulit, quia nimirum ex vsu linguæ sanctæ sponsi Reges dici consueuerint, sponsæ item Reginæ, & coniugia regna. Ita exponit Ezechielis illa verba cap. 2. *& profecisti in regnum*, id est, peruenisti ad nuptias. & Psalm. 43. *Astitit Regina à dextris tuis.* Hieron. *stetit coniux.* Mihi tamen non omnino id probatur, libentius quidem Origenis sententiam amplecterer, qui illud nomen *Rex*, de splendido cubiculi ornatu exposuit, hoc modo. *Sed propterea arbitror in his Regem nominatum, vt ostenderetur per hoc nomen prædiues cubiculum, vtpote Rege dignum, multis atque immensis opibus repletum.* Sic enim vulgò dicere solemus, de domo nimis splendida, *es casa que puede aposentarse en ella el Rey.* Itaque iuxta mentem Origenis, *cellaria*, seu cubiculum Regis dicitur, id est, Rege dignum conclaue.

Cæterùm, si memoriâ repetas ea, quæ diximus suprà in Isagoge huius commentarij *cap. 2.* facilè agnosces, nomen *Regis*, tum hic, tum alibi in hoc Cantico, potestatem & dignitatem sponsi notare. Ita fert communis sanctorum Patrum doctrina, qui ferè in eam sententiam conspirant, vt asserant in hoc dramate describi puellam quandam infimæ conditionis & fortunæ ad regios thalamos euectam. Quòd verò idem statim *pastor* appelletur, effecit, non sponsi conditio, sed carminis natura, quod bucolicum est, ad amores coloribus suis honestè pingendos appositissimum. Huius generis non pauca poëmata inuenies apud Vatum principes, Virgilium, Theocritum, & alios.

Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. *Memores* in Hebræo, *memorabimus*, vel *prædicabimus*, &c. Legionensis hæc verba sponsæ tribuit, cui hæret Vatablus & alij recentiores, qui numerum multitudinis, pro singulari captum volunt; id est, *exultabimus*, pro *exultabo*, &c. iuxta peruulgatum Hebræorum loquendi modum. Beda & (si Deo placet) Gregorius Magnus, vt numerum multitudinis retinerent, præfata verba, ab sponsa simul cum aliis puellis pedissequis dicta affirmant. Philo Carpathius, Iustus Orgelitanus, Angelomus, & Anselmus, præscripta verba puellis pedissequis tribuunt; sed tamen non ad sponsam, sed ad sponsum intenta docent, ita nimirum, vt dictæ puellæ de sponso, ac de vberibus illius, se mirificè oblectandas dicant. Ab his omnibus dissentio, & in sententiam Origenis, Theodoreti, Nysseni, Psellij, Bernardi & Honorij Augustudunensis discedo, qui omnes à pedissequis virginibus ad sponsam iactata seriò affirmant; ita enim postulat contextus, & natura etiam generis Hebraici, qui fœmineus est, non masculeus. Cæteri existimant, Sulamitem sibi atque aliis puellis lætitiæ & exultationis cumulum polliceri in illum diem, quo nuptiæ celebrandæ forent.

Sed reuocanda sunt in memoriam quæ de puellis pedissequis sæpe aliàs diximus, videlicet earum non paucas, sponsæ adhuc innubæ in gynæceo agenti, à sponso tribui solitas, nec non etiam (quod non semel alibi animaduertimus, Sulamitem absente adhuc sponso in his & sequentibus cum eisdem pedissequis sermonem miscere. Quare nunc vlteriùs dico ad virgines istas pedissequas spectasse, thalamos & nuptialia carmina pangere. Cuius rei vestigia subodorari mihi videor *Psalm. 44.* de his enim virginibus sic Psaltes. *Adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.) Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Hieronym. *in thalamum Regis*, alij, *in palatium.* quæ verba de pedissequis ancillulis esse interpretanda, nuper diximus. Cùm verò *in exultatione*, atque lætitia adducendæ ad thalamum dicuntur, haud dubito de choreis agendis, & Epithalamiis ab ipsis decantandis haberi sermonem. Ad hanc suspicionem facem mihi præstat Montanus, qui carmine præfatum versum sic expressit.

Hanc chorus lætè socians sequutus
Vocibus pompæ, veniuntque in aulam.

Regis, & gratos thalamos potentis,
Plaudere promptæ.

Hæ ſunt quæ 67. Pſalmo dicuntur *iuuenculæ tympaniſtriæ.* ſi tamen hic Pſalmus Epithalamium eſt, non epinicium. *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* quæ verba ex fonte, ſic conuertit Hieronymus: *Præceſſerunt cantores eos, qui poſt tergum canebant, in medio puellarum tympaniſtriarum.* quæ ſatis oſtentant puellas iſtas eſſe pediſſequas; dicuntur enim inſequi à tergo; tum etiam ad eas pertinuiſſe thalamos ſiſtris, tympanis & carminibus concrepare. Lege plura in Iſagoge *cap.*3. §.2. & 3.

Obſeruandum præterea, pro voce illa *exultabimus*, in fonte legi נגילה *naghilah*, à radice גיל *gul.* quæ ſignificat, non tam internum lætitiæ motum, quàm gaudij oſtentationem, tripudiis, choreis, aut geſtibus proditam, vt bene animaduertit Scholiaſtes Pagnini. Pro altera verò *lætabimur*, ſubeſſe נישמחה *niſmecha*, à radice שמח *ſamach*, quæ interpretatur *lætari*; aliquando etiam *canere.* Hierem. 31. *tunc lætabitur virgo in choro*, alij *in tibias*, id eſt, ad chorum, vel ad tibiam decantabit, Iob 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad vocem organi.* id eſt, pſallunt, ſuaſque organi vocibus accommodant. Vtrobique reperitur verbum *ſamach*, pro voce *memores* נזכירה *nazchirah*, id eſt, commemorabimus. aliqui reddunt *olfaciemus*, ſed perperam.

His conſtitutis, verba illa, *exultabimus & lætabimur in te*, &c. de prædictis puellis ſic exponenda, & ſuperioribus aſſuenda: tunc temporis cùm te, ô Sulamites, Rex in cubiculum & thalamos aſciuerit ſuos, nos quidem exultabimus, id eſt, tripudiis & choreis lætitiæ documenta dabimus, & lætabimur; pſallemus nimirum nuptialia carmina, vel Epithalamia. *memores vberum*, id eſt, commemorantes amores tuos, vel caſtos amplexus. Nam *vbera* hîc, amplexus ſonant, vti ſuprà firmaui *verſ.* 1. ad illa verba, *meliora ſunt vbera tua vino*; *amplexus* verò pro nuptiis interpretantur; quia iſtæ amplexu ſanciebantur publico, vt *ibidem* docui. Atque adeò, *memores vberum*, ſeu *commemorabimus vbera*, tantumdem valet, ac ſi dicerent, nuptias pangemus tuas, *ſuper vinum*, quæ videlicet vino, atque epulis cunctis præſtant; vel *ſuper vinum*, Hebr. quidem, ad verbum *à vino*: מיין *myiajim*, à vino, inquam, id eſt, poſt vinum, ſumpta præpoſitione *à* pro *poſt*, vt ſæpe aliàs in Scriptura, id eſt, poſt conuiuium nuptiale. Eodem ſenſu accipi etiam poteſt vulgata lectio, *ſuper vinum*, vt vulgo dici ſolet, *ſobre cena.* tunc ſcilicet, cùm ad thalamos eundum erit, hoc enim erat tempus Epithalamiorum dicendorum, vt ſuprà notaui.

Illud etiam ſubiicio, ne quid deſideres in hac expoſitione, iuniores iſtas puellas, non thalamos tantùm, ſed epulum etiam decantare ſolitas, Hebræos enim muſicam conuiuiis, præſertim nuptialibus adhibere ſolitos teſtantur pleraque Scripturæ loca: Eccleſ. 32. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in conuiuio vini.* Iſai 5. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris.* & cap.24. *Ceſſauit gaudium tympanorum, & quieuit ſonitus lætantium. Continuit dulcedo citharæ, cum cantico non bibent vinum.* Et quidem fœminas in magnis ſympoſiis decantare ſolitas, comprobant illa verba 2. Reg. cap. 19. vbi ſic Barzelai ſenex: *Nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue & amarum, aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus & potus, vel audire vocem cantoris cantatricum?* De nuptiali autem conuiuio Plautus *in Sticho*,

Lectos eburatos, auratos Babyloniæ periſtromata,
Conſutaque tapetia, fidicinas, tibicinas, ſambucinas.

Liuius lib. 29. *Tunc pſaltriæ ſambucoſtriæ & conuiuialia ludionum oblectamenta addita epulis.* Athenæum, Apuleium & alios prætereo, & Euripidis verba hîc ſubtexo, qui in Aulide nuptiis Pelei verba faciens, ſic demum ſcribit. *Quàm pulchrè cincinnatæ Pierides inter Deorum epulas veſtigia cum aureis, ſandalijs in terra palſantes ad nuptias Pelei melos canentes venerunt.* quas Pierides Thetidis, pediſſequas eſſe fingit inibi Poëta. Itaque cùm in aliis alij cantores in connubialibus tantùm epulis cantatrices puellas intonuiſſe apud veteres, mihi perſuadeo, videlicet ſponſæ ancillas & pediſſequas.

Quapropter, ſi illud, *introduxit me Rex in cellaria ſua*, de nuptiali conuiuio interpretandum velis, quæ ſequuntur verba, non ineptè ad eandem ſententiam allici poſſunt. *Tunc exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum*, id eſt, tunc inter epularum & obſoniorum delitias decantabimus conuiuia; ac interim,

tuos amores pangemus, qui vino & epulis ſuauitate præſtant; vel plura de nuptiis & amoribus tuis, quàm de vino & epulis pſallemus. Nam more comparatum erat in connubiali cantu, vt vini laudes & epuli lautitia celebrarentur; & quidem inter Dauidicos Pſalmos, quidam ſunt epulares, nimirum *Pſalm.* 110. qui ſic incipit: *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo.* Pſalm. 15. *Credidi propter quod locutus ſum.* Pſalm. 12. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* & paucis interceptis: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos, qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* qui Pſalmus celebrat omnem conuiuij lautiſſimi apparatum; eſcas videlicet, vnguenta, & vinum. Ille verò in nuptiali ſympoſio decantandus Pſalmus, nimirum 27. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius: labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit; vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* & reliqua.

Quòd ſi alteram expoſitionem de traditione clauium, per quam ſponſa in poſſeſſionem rerum mariti mittebatur, ſequaris prioris hemiſtichij cum poſteriori concordia, non erit difficilis: *exultabimus, & lætabimur in te*, &c. id eſt, cùm rerum mariti tui traditis clauibus, ſeu, quod idem eſt, accepto nuptiali annulo, potita fueris, geſtiemus lætabundæ, & pangentes nuptiales odas tibi congratulabimur *ſuper vinum*; id eſt, ante conuiuium nuptiale; hoc enim ſenſu donauit hæc extrema verba, Anonymus in gloſſa Hebræorum.

Recti diligunt te.

In Hebræo fonte, *Rectitudines te diligunt.* Septuaginta, *Rectitudo dilexit te.* Hieronym. *æquitas dilexit te.* qui præmiſſa verba Sulamiti accommodant; eidem etiam iſta tribuunt. Ex quibus Tigurina, *Rectitudines te diligunt.* Paraphraſticè exponunt, *Rectitudines tibi familiariſsimè adiunctæ ſunt.* Singularis eſt expoſitio, quam Rabbi Abraham coniicit in hunc locum, conuertit enim: *Præ rectitudinibus diligunt te*, & de meraciſſimo vino interpretatur, de quo Prouerb. 23. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit.* in Hebræo ad verbum, *cùm ambulat in rectitudinibus*, id eſt, cùm faciem & oculos recta petit. & infrà cap. 7. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum.* Hebr. *Quod vadit in rectitudinibus ad dilectum*; eodem ſenſu. Quaſi dicat (ad ſponſum ille refert hæc verba.) Cunctæ pudicæ atque honeſtæ puellæ præ omni generoſiſſimo, ac iucundiſſimo vino depereunt te; ſed vtrumque ſatis ignobile & iniucundum, tam lectio, quàm expoſitio.

Ergo ſi præſcripta verba, ſine iniuria contextus, ſponſæ tribuere integrum eſſet cum Philone, Iuſto & Apponio, prorſus ſentirem, qui Sulamitem amoris ſui cauſam adiunxiſſe volunt; perinde ac ſi diceret: non excæcat me amor, aut eludit ratio, cùm amo quem omnes, quotquot ſunt, recti amore complectuntur. Nec habenda eſt ratio illius lectionis, qua nonnulli ludunt, *Rectitudines diligunt te.* Nil enim ferè tritius in libris ſacris, quàm eiuſmodi abſtracta pro concretis vſurpare. Magis crediderim conuerti poſſe, *Rectæ diligunt te*, vt fœmina aliarum fœminarum, etiam earum, quæ rectitudini & ſobrietati ſtudent, amorem prætenderet, ne videretur ardentius, quàm par erat, proſequi eum, quem omnes rectæ & frugi fœminæ deperibant. An verò affirmari poſſit maſculeum genus vſurpatum pro fœmineo ab interprete noſtro, nec ne, alij viderint, tantùm dixerim id familiare admodum eſſe Hebræis (quod diſertus nemo ignorat) & ad fœminas viriles, ſeu viragines notandas appoſitiſſimum, quales ad ſuum amorem commendandum adducere decebat Sulamitem. Addo etiam, multò meliùs induci ſponſam dicentem illum ſe amore proſequi, quem nulla ſobria & frugi fœmina non diligit. Et quidem ita expediebat, vt Salomon virginem iſtam nuptias ambientem inducens, quod non admodum puellas decet pudicas, aliqualem amoris excuſationem ſubiiceret. Sic enim fieri iubet Scaliger *in poëtica*, vt ſuprà animaduertimus, & hanc Epithalamij primam legem tradit, his verbis: *Virginis autem amorem tectis indicijs, conditis ſuſpicionibus innues potius, quàm profiteberis, expugnatum caſtum pectus erga iuuenem tabeſcentem dices, nonnunquàm etiam aliarum fœminarum amorem obtendes,* & quidem id præſtandum, vt virgineæ conſulatur pudicitiæ, cui indecorum videtur amorem inchoare.

Sed tamen cùm illa verba, *exultabimus, & lætabimur in te*, puellis pediſſequis eſſe

tribuenda, constanter sentiam, eisdem profectò adscribenda esse puto isthæc, quæ sine aliqua distinctione & eodem tenore consequuntur; ne filum orationis indecorè abrumpatur. Itaque virgines istæ pedissequæ, eandem Sulamitem alloquentes, ita contexunt: *Recti diligunt te.* Cupiunt certè omnes fœminæ diligi impensiùs, & ob magnam amatorum copiam, valdè efferri solent (præsertim, si amatores ingenui sunt, vel in aliquo laudis genere præstantes.) Et quidem eam fortasse laudem Regius Vates in eam iactauit puellam, quam *Psalm.*44. mirè describit, atque commendat, dum ait. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* id est, opulentissimi populorum, adamabunt pulchritudinem tuam, & tecum coniugij fœdera inire mirum in modum exoptabunt.

Veruntamen aptior sensus euadit, si plurale pro singulari sumatur. Quod ita faciendum exemplo suo docuerunt Septuaginta, qui non, *rectitudines dilexerunt te*, conuertunt, sed, *rectitudo dilexit te.* hanc lectionem amplectuntur Theodoretus, & apud ipsum tres Patres, Origenes, Philo, & alij: ex quibus Theodoretus *rectitudinis* nomine, sponsum intelligit; quia tanta eius honestas, & probitas, vt non rectus modò, sed rectitudo ipsa censeri debeat. Et quidem per abstracta numeri multitudinis significari singularis concretum, passim accidit in sacris literis. Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit,* &c. Hebr. *Beatitudines viri.* Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit sapientiam.* Hebr. *Beatitudines hominis,* & alia id genus: in ea verò acceptione sic sunt edisserenda verba puellarum, *Recti diligunt te.* vel, vt habent Septuaginta, *rectitudo dilexit te.* Rectus nimirum sponsus, qui omnes alios iuuenes, honestate, æquitate & rectitudine antecellit, te impensè diligit, quasi dicat: Non amas tu, ô Sulamites, sed magis redamas eum, qui te priùs amore prosequutus est. Et quidem in hoc sensu verba ista excusationem elegantem continent; ne quis enim illi probro duceret tantum & tam vehementem erga sponsum amorem, addunt puellæ, ipsam ab illo adamatam fuisse priùs; nam redamare honestum, alioquin atque rectissimum iuuenem, non dedecet pudicam virginem. quem modum purgandi amores virginis tradit Iulius Cæsar Scaliger inter alias Epithalamij, seu nuptialis carminis leges, his verbis: *Expugnatum dices castissimum pectus pietate erga iuuenem amore tabescentem, cuius virtutes commemorando excitabis excusationem.* quod præceptum eleganter explicuit Salomon his verbis: *rectitudo dilexit te*, quibus sponsi virtutes, & impensum erga Sulamitem suam, amore complexus est.

Sed licèt hæc idonea sint, non longè absum vt credam, præmissa verba de amicis sponsi accipi posse. Nam, vt suprà in Hagoge huius commentarij *cap.*3. §. 2. fusè monstraui, in nuptiis paciscendis proximè ante earum celebrationem sponsus amicos suos ad sponsam mittebat, vt apud illam vota facerent, id est, vt illâ authoritate sua donis & adhortationibus quamplurimis, ad consensum nuptiarum alliceret: putabant enim ea ratione pudori, ac verecundiæ nouæ nuptæ, non parum prospici; dum constabat ipsam, non nisi multis donis, persuasionibus & autoritate grauium virorum adduci potuisse, vt nuptiis consensum præstaret. Ea propter eiusmodi viri, qui ad flectendam eo modo vxoris voluntatem ab sponso destinabantur, ex his erant, qui ob probitatem, & excellentiam locupletiorem apud ipsam autoritatem habere possunt. Et hæc est germana expositio illius testimonij ex *Psalm.*44. nuper dati, vbi Propheta ad nouam nuptam verba intendens, sic ait: *In muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Appellat autem *diuites plebis*, iuxta sonum allegoriæ, *nobilissimos*, ac potentissimos populi viros, qui ad deliniendam sponsæ voluntatem, & impetrandum illius consensum supplicabundi à Rege venerant, vt *loco citato* vberiùs probauimus. horum virorum, vota facientium grauitatem & autoritatem significauit Claudianus *in Epithalamio Honorij & Mariæ*, vbi ex persona Honorij sic canit:

—— *Fastigia supplex*
Deposui, gestique procum; de limine sacro
Oratum misi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent.

Iam intelligis quò tendam. Puellæ igitur, virgineque pedissequæ de amicis sponsi, quos iamiam ad vota facienda ante publicam translationem venturos sperabant, vt eos sponsæ commendarent, vtque autoritas earum apud ipsam plurimùm valeret, sic aiunt, *Recti diligunt te.* id est, viri probitate insignes, quibus propterea maximè fidere debes, quia tibi omnia fortunata desiderant, aderunt propè, vt te ad nuptias inuitent.

Nam

Nam cùm ſponſa præmiſiſſet illud, *introduxit me*, vel potiùs, *introducat me Rex in cellaria*; tranſlationem ſuam maturari poſtulans appoſitæ ad modum adoleſcentulæ, ipſam admonent de probitate & authoritate amicorum ſponſi, qui ante traductionem ad illam pro ſponſo ſuo vota facturum præmitti debebant. Hæc de loco difficili.

Verſ. 4. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

SONVS ALLEGORIÆ.

Nigra ſum. In primitiuis, *nigra ego*, & deſideratur verbum ſubſtantiuum, atque adeò non ſolùm ad præſens tempus, ſed ad præteritum referri poteſt, vt planè retulit D. Bernardus *ſerm.* 24. qui ſic efferri poſſe dixit. *Nigra fui.* illud etiam *ſum*, quod in vulgatis eſt, ſine iniuria textus ad tempus præteritum reuocare fas eſt; quia verbum ſubſtantiuum præſentis temporis cum nominibus adiectiuis conſtructum actionem quoque præteritam ſonat, vt videre eſt in verborum ſupinis: nam *amatus ſum*, vel *fui*, perinde valent.

Nigra. D. Ambroſius, & Origenes, *fuſca*, Hebraicè שחורה *ſehora*, id eſt, *ſubatra*, vel *ſubnigra*. Ita Pagninus & alij hebraizantes. Origenes & D. Bernardus Sulamitem Æthiopiſſam fuiſſe volunt. Cæterùm cùm eadem pulchra, imò dealbata & candida, poſtea dicatur, Æthiopem autem dealbare, pro re impoſſibili, vulgò iactetur, non Æthiopiſſam, ſed magis *ſubnigram* fuiſſe autumo, vulgò *morena*.

Sed formoſa. Hebraicè נאוה *naaua*, id eſt, deſiderabilis.

Filiæ Hieruſalem. Origenes, Ambroſius, Theodoretus, Bernardus exiſtimant, eas, quæ hîc dicuntur *filiæ Hieruſalem*, aliquas fœminas eſſe à pediſſequis adoleſcentulis diuerſas, quæ nimirum ſponſam tunc primùm conſpicatæ de forma illius detrahere, & atrum colorem incuſare cœperant. quibus occurrit Sulamites his verbis. Audiendus Honorius Auguſtudunenſis; *Hîc*, inquit, *ad literam datur intelligi quòd nobiles fœminæ Hieroſolymitanæ ad Reginam cum muneribus venerunt, & eâ fuſcâ viſâ deſpexerunt.*

Reliqui per *filias Hieruſalem* ipſiſſimas puellas pediſſequas intelligunt. His aſſentior; quia, vt in ſuperioribus non ſemel dixi, hæc & ſequentia verba à Sulamite adhuc in gynæceo & triclinio fœminarum agente dicta finguntur; in hoc autem triclinio manenti adhuc ſponſæ, cum ſolis pediſſequis conuerſari licebat; ab aliis enim externis fœminis ne videri quidem poterat. Quod ſi alienis fœminis tribui debere contendas, quia nimirum iſtæ ſæpe aliàs in hoc Cantico, *filiæ Hieruſalem* appellantur, dicendum eſt ſermonem iſtum ad abſentes factum, ſicut de his, quæ hactenus ſponſa ad ſponſum locuta eſt, decreuimus. ita nimirum, vt in publicum ocyùs proditura ad nuptias, qualis qualis tandem aliis fœminis apparitura, & quod iudicium de illius forma ab eiſdem ferendum ſit, iam tunc ſolicita curare fingatur. Hæc videtur fuiſſe mens Origenis in priori commentario *homil.* 1.

Tabernacula Cedar. id eſt, Cedarenorum, qui iam olim à primo ſuo parente Iſmaele bello addicti, & loca plurima vertere ſoliti, tentoriis vtebantur. de quibus Pſal. 119. *Habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Cedarenorum ergo tentoria, ſemper erant extenta, atque adeò æſtu, pluuia, puluere ac ſordibus denigrata.

Sicut pelles Salomonis. Origenes, Beda, Nyſſenus, Angelomus, Apponius & alij ex Patribus, pelliceas templi cortinas interpretantur, quas ad tegendum tabernaculum finxit Salomon. hanc verò ſuſpicionem alij excludunt. quia non legimus alicubi Salomonem pelliceis cortinis aliquam templi, aut oratorij partem contexuiſſe, ſed arcam ſub pellibus antea degentem in templum traduxiſſe. Sed tamen Patres qui hæc aſſerunt, nomine pellium non intelligunt tentoria, vel integumenta verè pellicea, ſed cortinas & vela. Ex quibus Salomon non pauca ad templi ornatū contexuit. Quamuis enim harum cortinarum nulla fiat mentio in 3. lib. Reg. inter opera Salomonis: tamen cùm conſtet eas poſtea in templo fuiſſe, non ſecus atque antea eodem opere, quo à Moyſe primùm elaboratæ fuerunt, nimirum ex byſſo, purpura & cocco bis tincto, opere polymito, vt habes *Exod.* 26. haud dubitandum, has eſſe cortinas & vela à Salomone denuò contexta. Illas verò pellium nomine cenſeri, expreſsè docent Origenes, Nyſſenus & Apponius. quæ vela propter colorem byſſinum purpureo mixtum,

& dilutum,ad significandam faciei in gynæceo excultæ pulchritudinem, appositæ videntur,vt statim dicam. Mitto Dionysium Carthus. qui per dictas pelles intelligit aulæa, quibus Salomon domum ac thalamum suum exornarat. Theodoretus, *pelles Salomonis*, eiusdem vestes candidissimas intellexit, quæ in Euangelio niueum liliorum candorem dicuntur imitari, *Considerate lilia agri*, &c.

Verùm enim verò his dimissis pellium acceptionibus, quæ minus idoneæ mihi videtur,aliam magis communem præfero,iuxta quam pelles sumuntur pro tabernaculis,aut tentoriis, siue militaribus,siue viatoriis. Nam cùm tentoria ex pellibus constarent, pelles etiam appellari consueuerunt. Id verò profanis auctoribus admodum familiare; in sacris autem libris, non omnino insolens. Ita enim edisserenda sunt illa verba Psalm. 103. *Extendens cælum sicut pellem*, id est,tentorij ad instar,explicans. Habacuc 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian.* & alibi. Quapropter *pelles Salomonis*, tentoria sunt,aut papiliones castrenses, quos Salomon Rex pacificus,nunquam explicauerat in castris contra hostes, atque adeò innatum sibi candorem, non amiserant; quales Rhesi denuo ad bellum venientis describit Virgil. 1. *Æneid.*

—— *Niueis tentoria velis.*

De his ita Bernardus serm. 28. *Non equidem aliud occurrit mihi quidquam de pellibus huius Salomonis, nisi quas fortè Rex in vsum tabernaculi soleret assumere; si quando in tentorijs habitare liberet.* De colore autem tapetium, aut pellium,quibus tabernacula tegebantur,extat illud iam allatum Virgilij,*niueis tentoria velis.* Regum verò tentoria,vt ab aliis priuatorum papilionibus different, vt notat Causabonus in Athenæum *lib. 3. cap. 6.* non alba solùm & niuea, sed ex albo & purpura,temperata erant, partim scilicet alba, & partim purpurea: vbi Causabonus citat Calixenum, qui formam Regij tentorij apud Ægyptios solemnis & aulæa, seu vela, quibus tegebatur, describens, *Tapetibus* (inquit) *tegebatur expansis in cæli morem*, κοκκινοβαφῆ πορφυρᾶ, id est, *coloris coccinei & albi.* Citat etiam Dionem Chrysost. qui de tabernaculo Xerxis sic ait: *Circumtextus tapetibus coccineis*, μισολευκοις, id est, *semialbis*,hoc est,partim albis, partim coccineis. Rursus Brissonius in aureo libello de Regno Persico,addit regiorum tabernaculorum pelles vnguentis imbui, seu inficisolitas. Profert autem Diodorum Siculum,qui Darij tabernaculum,quod in Alexandri potestatem cessit,eiusque pulchritudinem & diuitias describens, inter alia illud etiam commemorat, ipsius pelles vnguentis conditas fuisse. Concinit etiam Plutarchus *in Alexandro.* Mitto alia ad id spectantia, similem ad modum hodie nostrates pelles vnguentis inficere solent ad chirothecas,& alia delitiosa indumenta.

His prælibatis, quasdam recentiorum minus idoneas interpretationes huius allegoriæ missas faciens, ex sanctis Patribus, aliquas magis appositas, hîc adscribam. Primum hemistichium, *Nigra sum, sed formosa*, ad præsens tempus referunt auctores suprà citati, quasi vtrumque simul ad præsens coniunctum, nigredinem scilicet cum pulchritudine se habere significet sponsa. D. verò Bernardus per *nigredinem* eam intelligit,quæ pulchritudinem non extenuet,sed magis augeat & commendet.sic enim ait: *Non omne quod nigrum est,continuò deforme est; nigredo (verbi causa) in pupilla non dedecet, & capilli nigri candidis vultibus decorem & gratiam addunt: potuit etiam sponsa cum pulchritudine compositionis næuo non carere nigredinis.* Itaque sponsa, iuxta mentem Bernardini, cùm se nigram & formosam prædicat, ea demum nigra se habere dicit, quæ ipsam pulchriorem reddunt, scilicet, oculos, capillos, & næuos faciem venustè pingentes.

Secundò idem Bernardus, cui adstipulatur etiam Origenes in priori commentario *Hom.* 1. nigredinem & pulchritudinem sic conciliat, vt nimirum sponsa decolor esset,fusca nimirum, & subatra; tamen in corporis, & membrorum conformatione & structura formosa & elegans. Bernardus sic ferit. *Multa sunt quæ in superficie quidem reperies decolorea, in compositione verò valde decora.* Origenes verò: *fusca in colore, sed in delineatione decora.*

Tertiò Beda & Angelomus, hanc pulchritudinis simul & nigredinis cohærentiam, in eo ponunt, quòd sponsa excolens formam, iam tunc aliqualem candorem & pulchritudinem comparauerat, nec dum tamen omnem exuerat deterseratque nigredinem: atque adeò ex parte nigra, ex parte candida erat; sed quatenus medicamenta & auxilia ipsi aliquem candorem afferre cœperant, spes suberat, futurum, vt tandem deleta ad purum cuncta nigredine, candidissima euaderet.

Sed

Sed licèt omnes iſtas interpretationes litera capiat, & ſimilitudinis deſumptæ, ex Cedarenis tentoriis, & Salomoniticis pellibus ipſis aptari queat, tamen aliam eſſe germanam verborum ſententiam reor, quæ ſic habeat. *Nigra ſum, ſed formoſa*; nigra ſcilicet modò ſum, non inficior, à nigredine aliunde aſcita; ſed tamen ex meo genio, & natura formoſa & candida. Sumit iſta expoſitio robur ex ſequentibus verbis. *Nolite me conſiderare, quia fuſca ſum, quia decolorauit me ſol.* quibus probat Sulamites, eum colorem ſubatrum non ſibi à natura, ſed à Solis æſtu eueniſſe. Ita innominatus apud Genebrardum, qui ſic conuertit: *Nigra ſum, & non nigra.* Fauet Theodoretus, qui vocem illam, *formoſa*, candidam interpretatur, ſeu dealbatam; & quidem cum iſta expoſitione pulchrè cohærent verba ſequentia. *Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Iſta verba aliqui ex Patribus cum ſuperioribus ita nectunt, vt tam in Cedareneis tentoriis, quàm in pellibus Salomonis ſimilitudo appareat formæ ac ſpeciei Sulamitis. Sed quónam modo? Non alio certè, niſi quatenus vtraque tam Salomonis, quàm Cedarenorum tentoria extrinſecus atra, pluuiis nimirum, ventis atque ſole denigrata & deuſta erant; deintus verò pulchra, & candidiſſimis aulæis, veliſque conſpicua; id enim etiam Cedarenis tabernaculis tribuit Honorius. ſic enim ait: *Sed & ipſa gens Cedar dicitur habere vſque hodie nigra tabernacula, nigris videlicet coryis exterius cooperta, interius verò albis linteis extenta.* Si verò hæc tibi non diſpliceant, ſimilitudinẽ iſtam non ita conformare debes, vt dicta tabernacula in externa ſuperficie cõnexa, nigra & deformia, inconcaua & interna, alba & formoſa eſſent: ſed, vt tedocet Cauſabonus *loco ſuprà citato*, ita vt iuxta veterum morem præſcripti papiliones, in cõcaua etiam ſuperficie, eſſent candidiſſimi & pulcherrimi; tamen pellibus atris ac nigris contra pluuias, & æſtum contegi ſoliti; quibus detractis & complicatis candor & pulchritudo etiam externa conſpicua reddebatur. Lege Cauſabonum *loco citato.*

Sed licèt prædicta ſimilitudo ex tentoriis deſumpta hoc modo explicata in rem ſignificatam aptè cadat, vt ſtatim dicemus, tamen præferendus eſt ſenſus magis communis ſanctorum Patrum, qui tabernacula Cedar & pelles Salomonis, ſic prioribus verbis adaptant per diſtributionem, vt Sulamites *nigra* dicatur, *ſicut tabernacula Cedar*, atque *formoſa, ſicut pelles Salomonis.* Vtraque autem ſimilitudo ſumitur ab externo colore prædictorum papilionum. Nam Cedarenorum ſemper ſub die agentium, tentoria erant vtique ab æſtus pluuiis ac ventis nigra. Salomonis verò tabernacula, erant vtique regia, albo nimirum, & purpureo colore conſpicua, vnguentatis pellibus odorata. & quia necdum illa explicuerat in caſtris natiuum colorem ſeruantia.

His prælibatis, germanus ſenſus iſtius loci eſt, quem tradunt Origenes, Gregorius Nyſſenus, & alij, qui non colores ſolùm diſtribuunt, ſed etiam tempora, ad hunc modum: Nigra quidem fui antequam ad ſponſi nuptias vocarer, iam verò poſtquam accerſita ſum, deterſa nigredine, candorem accepi. Addit robur huic expoſitioni D. Bernardus *ſerm.* 25. citato, qui cùm duas afferat loci huius interpretationes, in poſteriori etiam, hac temporis diſtributione vtitur: & legi poſſe dicit pro *nigra ſum, nigra fui*, vt color ille alter ad præteritum tempus referatur; pulchritudo verò & elegantia ad præſens vocetur. Accinit Nyſſenus, nec lectio iſta abit ab originibus; nam Hebræus Codex, ad verbum habet, *Nigra ego, ſed formoſa.*

At quis non videat his verbis alluſum ad illud fœminarum gynæceum, vel triclinium, vbi puellæ ad regias nuptias aſcitæ vnguenta, pigmenta & balnea, diuturno tempore ad cutem excolendam adhibebant, vt ad primum & ſecundum verſum diximus in ſono allegoriæ. Sponſa igitur in hoc gynæceo manens, & nuptias expectans, ſic ait: *Nigra fui*, olim. iam verò poſtquam in parthenone faciem excolui, vnguentis, pigmentis ac balneis vtens, decora effecta ſum, & candorem eximium attraxi mihi, *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Quaſi dicat: olim cùm ruſtica eſſem, & ſyluana mulier, quaſi tabernacula Cedar ſub dio agens Solis æſtu deuſta, fuſca & decolor eram; iam verò poſtquam parthenonem ingreſſa ſum, & mihi tot auxiliis & medicamentis formam excolui, genuinam ſpeciem recuperaui, & natiuum colorem recepi; candidum ſcilicet purpureo dilutum, *ſicut pelles Salomonis*, pelles nimirum regiæ, quibus multa arte niueus candor affertur, & candor purpura diſtinguitur, &, ſi Deo placet, vnguentis etiam affatim condiri ſolent; atque adeò ad nuptias quamprimum cum lege copulandas idonea, habiliſque ſum. Hæc enim erat cura, quæ tunc coquebat ſponſæ animum.

Quod

Quòd si extrema verba, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, vnam & eandem similitudinem contineant, hæc certè, iuxta supradicta, sic construi ac configurari debent. *Nigra* olim fui cùm in syluis agebam, sed nunc demum per culturam gynæcei formosa & candida, *sicut tabernacula Cedar*, &c. Sicut enim eiusmodi tentoria sub nigris pellibus niueum colorem celare solent, qui his demum detractis ac replicatis se se prodit; ita etiam sub colore fusco & atro, quem mihi Solis æstus impresserat, niueus candor mihi genuinus latebat, qui nigredine vnguentis, balneísque detersa, conspici, ac meam formam omnibus commendare cœpit. Hæc Sulamites ad *filias Hierusalem*, id est, ad puellas pediseguas, secum in gynæceo morantes, siue ad alias fœminas absentes, significans se earum oculos, iam tunc minimè vereri, etiamsi de aliena pulchritudine seueras admodum censuras ferre soleant.

Vers.5. Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRo voce *decolorauit*, Hebr. שׁשׁפתני *segzaphatani*, id est, *aspexit me*. Ita Septuaginta ἐφύλαξε με, directis radiis, & pleno lumine aspexit me, vt bene Origenes, alij *despexit*. Eodem sensu Symmachus, *torue aspexit*, Aquila *combusit*. Theodotion, *torrefecit*, quæ omnia eódem recidunt. D. Ambrosius, *Quia non est intuitus me Sol*. Placet coniectura Ghislerij, qui putauit, tam Origenem, quàm Ambrosium legisse apud Septuaginta non ἐφύλαξε με, sed ἐφεώρακε με, quod verbum, vt notat Budæus, est non intendere, vel oculos auertere ex despicientia. Philon habet, *circumspexit*, intelligit enim ἐφεῖ, non ἐφε.

Quòd fusca sim. Hebr. *Quòd fusca.* ego malim ad præteritum referri, quàm ad præsens tempus, id est, *fuerim*, filios matris suæ appellat, aut suos fratres, aut suæ patriæ ciues. Paulus ad Hebr. 10. *Hierusalem quæ est mater nostra*, id est, patria nostra, aut denique suos affines, quos fratres appellari solitos, nemo ambigit. *Pugnauerunt*, Hebr. נהרו *niharu*, à verbo *nahar*, id est, *currerunt*, vel *confluxerunt contra me*. Septuaginta ἐμαχέσαντο ἐν ἐμοὶ, id est, *pugnauerunt in me*. Illud verò *in me*, non est in accusandi, quasi *contra me*, sed in auferendi casu, cuius lectionis significationem dabimus infrà. imperfectus Auctor, *Filij mei pugnauerunt in me*.

Vineam meam. Hebr. ad verbum, *vineam meam, quæ mihi*, id est, quæ mihi à parentibus relicta: vel quæ mihi iam cesserat, eámque obtinebam.

Origenes videtur referre culpam coloris fusci in patriam: nam sponsam, Æthiopissam esse fingit, vbi calor Solis vigens facies torret: viget autem ibi maximè Solis æstus, quia supra verticem pendet, & radios emittit rectos. quæ interpretatio cohæret cum verbo Græco παρεβλεψε με, id est, *rectis radijs aspexit me*.

Sed tamen hæc expositio non probatur, quia Æthiopibus natiuus est & genuinus ater color, sponsæ autem scopus est in his verbis Solymitanis fœminis ostendere persuadere, nigrum colorem, quem eatenus tot auxiliis & medicamentis emendauerat in gynæceo & triclinio fœminarum delitescens, vel ex eo facilè deleri potuisse, quia non erat innatus, sed ascititius, & ab extrinsecis causis impressus.

Quapropter, vt alias minus idoneas huius literæ expositiones missas faciam, consectariè ad ea, quæ ad superiorem versum diximus, affirmare oportet, Sulamitem in gynæceo post emendatam aromatibus, balneísque formam hæc pronunciasse, ne scilicet quisquam suspicari possit eam, quam tunc præferebat albedinem, esse alienam, & succis illitam, non ingenitam & naturalem, vt accidere solet fœminis, faciem expingentibus: asserit enim contra factum, nam nigredo illa, quam ad gynæceum attulerat, cùm ad ipsum è syluis translata esset, & quam in gynæceo deleuerat, ipsa potius erat aliena ex Solis æstu impacta & impressa: atque adeò nigredine ista demum detersa, candidum colorem rediisse, qui verè natiuus erat.

Et quidem, quia dixerat se olim Cedarenorum tentoriis haud disparem fuisse, subiicit hîc similitudinis causam. Vnde enim color ater illis tentoriis? non aliunde, nisi quia sub dio erant Soli exposita, ventis & aliis cœli iniuriis patentia. Cur autem sub dio & cœlo exposita? quia semper in castris; viri enim pugnaces erant Cedaritæ, quibus

quibus inuisa pax semper fuit. de quibus Psaltes, *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ob easdem ergo causas sibi accidisse nigredinem, ostendit Sulamites. *Quia decolorauit me sol, & filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quasi dicat: ideò fusca & atra sum, quia sub dio agens Solis radios excepi; ideò verò sub dio fui, quia velut in castris constituta, bellum fraternum sustinui. Subdit,

Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Est qui dixerit: *Vineæ* nomine per metaphoram, suam ipsius formam compellasse, ita vt sensus sit, quia vineis asseruandis operam nauare, & in syluis degere coacta sum, hinc factum, vt vineam meam, id est, formam, quæ pro vinea mihi esse debebat, vt illi curam omnem impenderem, nequaquam colerem, aut expolirem. sed tamen huic expositioni non acquiesco.

D. Bernardus, cui hærent etiam Philo & Apponius, vineas vt sonant, accipiunt; atque his verbis Sulamitem declarasse affirmant, quàm sibi feliciter pugna fratrum cessisset. Nam cùm dissidiis suis, ipsam hæreditaria quadam vinea sua spoliare vellent, quam colere & custodire debebat, ipsi certè pro vna, quamplures vineas dederunt, quas ab sponso suo dotis nomine acceperat; itaque sensus est, pugnam illam cum fratribus initam, ipsi nigredinem attulisse, quatenus ab illis in syluas & ad vitam rusticam compulsa fuerat. tamen ex eo dispendio maximum quoddam lucrum & compendium sibi partum, quia pro vna vinea, quam iidem oppugnando, aut litem intendendo ademerant, plures vineas indepta erat, quas in dotem à viro suo acceperat.

Cæterùm hæc etiam expositio abhorret à contextu & filo reliquæ dictionis, quia (vt sæpè aliàs monui) hæc omnia ab sponsa dicta sunt ante nuptias, atque adeò ante acceptionem dotis, cùm exculta iam formâ suam proximè traductionem in domum sponsi expectabat.

Sentio igitur vinearum nomen, vt sonat, sine aliqua metaphora, capiendum pro hortis & nemoribus; hæc enim esse solet vis eius vocabuli in Scriptura. Rursus per filios matris suæ, non fratres & germanos, sed conciues eiusdem patriæ incolas significari autumo, vt nuper etiam monebam. Quibus positis alium præstantiorem, & ad Sulamitis commendationem magis aptum sensum illis verbis subesse existimo: *Fratres mei pugnauerunt contra me.* Quam pugnam cum puella virgine inire potuerunt iuniores adolescentes? nullam profectò, nisi de pudicitia. Quid magis adolescentibus solemne, quàm virgines expugnare? Nihil certè. Ergo Sulamites, *filij*, inquit, *matris meæ pugnauerunt contra me*; id est, patriæ meæ conciues me impugnauerunt, pudori meo iniuriam & vim afferre volentes. *Posuerunt me custodem in vineis*, hoc est, expulerunt me in vineas; cùm enim domitura non essem, etiam in laribus & penetralibus, vt pudori & honori consulerem meo, in vineas & agros discedere opus fuit: id sibi vult illud, *posuerunt*, id est, effecerunt sua vi, vt ego prospiciens virginitati, cuius iacturam domi verebar, fugerem in vineas. Huic simile est illud Ouid. 2. *Metamorph.* de quadam puella.

Multi illam petiere, illa auersata petentes,
Impatiens, expersque viri, nemora auia lustrat.

Hoc modo Sulamites, non tantùm excusat nigridinem, quinimo venditat & ostentat, cùm dicit talem ob causam fuisse contractam, non secus ac miles strenuus vulnera ostentat in bello accepta.

Huic expositioni sponte subscribit translatio Septuaginta, quæ sic habet: *Filij matris meæ pugnauerunt in me*, in auferendi casu, quam sequuti sunt Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Ambrosius & alij; nam illud *in me*, perinde valet, ac *de me*, seu *pro me*; quasi dicat: Conciues mei petitores ac proci inter se dimicabant & confligebant, ecquis auferret me, vt eius essem. Ita enim ferunt iuniorum mores, vt pro adolescentulis inter se ad sanguinem vsque decertent.

Vineam meam non custodiui. Illud etiam indecorum ac sordidum videbatur, & quod poterat Sulamiti ab aliis fœminis probro verti; quòd scilicet mulier rustica ex syluis assumpta esset ad nuptias; quam etiam labem à se repellit, dicens, se non sponte in syluas descendisse, vt vineam aliquam suam asseruaret, quasi aliter viuere & conuersari non posset, sed iniuriis atque vi conciuium suorum coactam ad eam exercitationem se recepisse; quia in vrbe incolumi virginitate degere non licebat.

Vel aliter illis verbis, *vineam meam non custodiui*, suam tenuitatem profitetur spon-

ſa, quæ nimirum antequam ad nuptias vocata fuiſſet, ne vineæ quidem alicuius paruæ, exiguam ſortem habebat, vnde viueret. Cui expoſitioni energiam comparare licet hoc modo; ita vt alius totius ſententiæ intellectus euadat; *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*; id eſt, fratres mei intenderunt mihi litem, vt bona mea auferrent ſibi. Quapropter cùm rem, cauſámque meam, aduersùs eorum iniurias tueri non poſſem, omnibus meis bonis ſpoliata, ad vineas alienas ſeruandas, victus quærendi cauſa, compulſa ſum; quia nulla, vel exigua vineæ portio mihi reliqua fuit, ex qua viuerem. Iuxtà quam expoſitionem, hæc verba aliquam etiam continent purgationem, per quam Sulamites apud Solymitanas fœminas, quæ ipſi extremam paupertatem probri loco obiicere poterant, quod nimirum, nihil dotis afferret ad nuptias, tantam tenuitatem excuſat, affirmans ſibi vtique non paruam ſortem, hæreditario iure obtigiſſe; hac tamen iniuſtis litibus per vim & iniuriam à ſuis fratribus, aut conciuibus ſpoliatam fuiſſe.

Vel certè conſentaneè ad priorem expoſitionem, quam poſteriori facilè præferendam reor, ſponſa ſic fatur: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*, id eſt, Cùm conciues mei pudicitiam meam expugnare conarentur, ego certè, vt illi proſpicerem, coacta ſum, non tantùm domo excedere, ſed etiam fortunis meis; ac vineam vnam, quam patrimonij loco obtinebam, incultam relinquere, vt aliò diuerterem, & ab eorum iniuriis tuta eſſem: id ſibi vult illud, *non cuſtodiui*. Nam verbum *cuſtodire*, in hoc libro cùm vineis tribuitur, idem eſt quod *colere*; infrà cap. 8. *& ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius*, id eſt, *his qui colunt, ac percipiunt fructus*. & infrà, *tradidit eam cuſtodibus*, id eſt, *colonis*. quæ expoſitio, vel ideò mihi probatur, quia omnes tres ſuprà ſcriptas excuſationes complectitur; quippe quæ nigredinem ideò excuſat, quia probat non eſſe genuinam & natiuam, ſed ex ſyluana vitâ contractam. Vitam quoque ruſticam & mercenariam excuſat, quia non neceſſitas quærendi victum, ſed vis & iniuria conciuium, illam ad eam exercitationem compulit. Denique ſummam paupertatem excuſat, quam ad nuptias afferebat, quia dicit ſe habuiſſe patrimonij loco, non paruam vineam, quam relinquere neceſſe fuit. Dum verò has omnes iacturas & diſpendia ſeruandi tuendíque pudoris gratia ſe ſuſtinuiſſe affirmat, non ſolùm nullam illis turpitudinem ineſſe oſtendit, ſed eaſdem mirum in modum extollit, atque commendat.

Verſ. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

INdica mihi. Septuaginta, *annuntia mihi quem diligit*, Septuaginta, *quem dilexit, anima mea.* Vtramque lectionem amplexi ſunt Origenes, Nyſſenus, Theodoretus, & alij.

Vbi paſcas, vbi cubes. Pro aduerbio *vbi*, ſubeſt איכה *ichah*, quæ vox *vbi*, ſignificat, & *quomodo*. eamque lectionem ſequutus eſt Rabbi Salomon, & Nyſſenus etiam *hîc*, ad hunc modum: *Quomodo paſcas, quomodo cubes in meridie.* Item verbum *paſcas* תרעה *thirgheh*, id eſt, *paſces*, in futuro, ſic extulerunt Septuaginta, ſcilicet ποιμανεις, id eſt, *paſces*. Rurſus *cubes* eſt etiam futuræ coniugationis *hiphil*, id eſt, *cubare facias*. Ambroſius conuertit, *vbi manes*, Guidazerius ſic extulit: *Quomodo paſcas oues, quomodo ſtabules eas.*

Ne vagari incipiam. In primitiuis eſt בעטיה *cheghotiah*, ex radice עטה *ghatah*, quæ nõ pauca ſuæ ſignificationis complexu coërcet; eſt enim *tegere* amicire, hinc nata eſt tranſlatio Septuag. quam ſequuti ſunt ex Rabinis quamplures: *ne ſim quaſi circumamicta*, vel, *ſicut adoperta*; ſunt qui legant, *ne ſim ſicut operiens.* ſed non audiendi. Significat etiam *vagari*, & *errare*, & *circumire*. hanc autem ſignificationem non modò agnouit noſter Vulgatus, ſed etiam ex Rabinis Salomon, Tharrius, & alij; eſt quoque *miſcere*. Inde manauit alia tranſlatio eiuſdem Rabbi Salomonis in expoſitione vocum primi cap. *Ne ſim ſicut mixta.* Alia ſignificatio præfati verbi eſt, *increpare* & *reprehendere*. Hæc autem aliam tranſlationem dedit illi Rabino, qui Anonymus dicitur: *Ne*, ſcilicet, *ſim ſicut reprehenſa.* Ad hæc verbum *ghatah*, ſignificat *declinare*: aliquando etiam *prædam inuadere*. Et inde quoque duæ aliæ tranſlationes natæ. Prior eſt, *Ne*, ſcilicet,

ſim

ſim veluti declinans. ſic Pagninus. Poſterior eſt, *Ne ſim tanquam volucris.* ſic Mercerus, auem intelligens rapacem, & ad prædas celerem. Aben Hezrhah, *Ne ſim velut rapiens.* Sed licet tot ac tam diſſimiles tranſlationes offerat prædictum verbum; omnes tamen in idem recidunt, vt ex dicendis infrà conſtabit. Ad hæc Symmachus tranſtulit, ῥεμβομένη, ex ῥεμβῶν, quod *fundam* ſonat, id eſt, veluti funda iactata, & emiſſa. Interpres Theodoreti conuertit, *Ne ſim velut circumuenta.* Denique Mercerus aliquos citat, qui ita reſtituunt, *Ne ſim velut imminuta*, ſeu *deficiens.*

Poſt greges ſodalium. omnes lectiones inter ſe concinunt. Vox originalis in bonam æquè, & malam partem rapitur; nunc amicos, nunc riuales ſignificat.

Notandum eſt, ſponſum, qui paulo antè *Rex* compellatus eſt ab ſponſa, iam nunc paſtorem dici. Hinc nata perſuaſio aliquorum, qui volunt, carmen hoc eſſe bucolicum; quos ſuprà *cap. 2. Iſagog.* & *verſ. 4.* confutauimus. Aſſentior Origeni, qui *Homil. 2.* ex quatuor, docet ſub paſtoris vocabulo ipſam Regis dignitatem & munus adumbratam fuiſſe; quia in Scriptura ſacra, paſſim Regibus paſtoris nomen accommodatur. Quapropter ſub dicto nomine & munere paſtoris per meridiem ouilia ſua, intermiſſis paſcuis, ad opaca loca colligentis, & otia interim captantis, Regem ſignificat, puto per id tempus à publicæ adminiſtrationis negotiis vacantem & ceſſantem. Hoc enim tempus ad ſponſum conueniendum idoneum magis exiſtimat Sulamites; ideò de illo ſciſcitatur: *Annuntia mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Non quidem vbi paſcas te ipſum, vt quidam volunt: quibus adſtipulatur D. Anſelmus (hoc enim non cohæret cum ſequentibus;) ſed vbi paſcas greges tuos, & vbi cubare eoſdem facias circa meridiem: tunc enim oues à paſcuis ad ſtabula declinantes conquieſcunt verno tempore.

Ne vagari incipiam. Supprimo lectionem vulgarem, & tranſlationem Septuag. Primùm expendo, *Ne ſim quaſi* περιβαλλομένη. Sunt qui reſtituant, *quaſi circumducta*, & ad ſenſum vulgatæ lectionis reuocant; ſed non auſcultandi. Annuendum potiùs Origeni, Ambroſio, Hieronymo, Nyſſeno, & aliis Patribus Græcis, qui in eam lectionem conſpirant, *Ne ſim ſicut circumamicta & velata.* Nam præterquam quòd iſta lectio concordat cum primitiuis codicibus, quod ad ſenſum attinet, à vulgata tranſlatione non abiit. *Ne ſim*, inquit, *circumamicta.* Rabbi Salomon, in priori expoſitione metaphoram ductam exiſtimat à lugentibus; conſtat enim eos in luctu & triſtitia caput amicire ac velare ſolitos, 2. Reg. 25. *Rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalon*, &c. ſcilicet mortem illius lachrymis ac luctu proſequens. & *cap. 15.* cùm eiuſdem Abſalonis inſidias pertimeſcens coactus eſt domo exire, ſic deſcribitur: *Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens & flens medijs precibus operto capite; ſed & omnis populus, qui erat cum eo, cooperto capite aſcendebat plorans.* Et Eſther *cap. 6.* de luctu Aman: *Feſtinauit ire in domum ſuam lugens, operto capite.* Nec lugentium ſolùm erat caput velare, ſed etiam earum, quæ in adulterio comprehenſæ, iudicibus ſiſtebantur extremo ſupplicio damnandæ. Huc ſpectat illud, *Atqui illi dixerunt vt diſcooperiatur, erat enim operta facie*, &c. tunc ſcilicet, cùm in iudicium vocata fuit. *Daniel 13. 32.* de Suſanna operto capite ad iudicium, & inde ad ſupplicium abducta dicitur. Mitto alia. Ex hac obſeruatione noſter Sancius cùm notaſſet, viduarum quoque proprium eſſe caput tegere & velare more lugentium, id fortaſſe ab ſponſa præfatis verbis, ſignificatum dicit: Annuncia mihi, ô ſponſe, locum, vbi pecoribus paſcua intermittentibus, manſitas, vt ſcilicet ad te contendam, ac te videam: nam quandiu abſens es, tanquam viduam me æſtimo. hanc enim vim habere videtur illud, *ſicut circumamicta*, accepto ſigno pro re ſignificata, nempe caput velatum, pro viduitate vſurpando. Non diſpliceret hæc interpretatio, ſi ſermo eſſet de iam nupta poſt contractum matrimonium; hæc enim meritò abſentiam ſponſi loco viduitatis ducere poſſet; tamen cùm hæc verba ad tempus antenuptiale pertineant, illam certè non probo. Adde etiam, quia non aptatur illis verbis, *iuxta greges ſodalium tuorum.*

Quapropter, ſi metaphoram à lugentium habitu ductam crederem, ſenſum aliter inſtituendum putarem, hoc modo, locum quietis & otij tui à cura pecorum feriantis mihi renunciari abs te vellem, ô ſponſe: *Ne ſim velut circumamicta, iuxta greges ſodalium tuorũ*, &c. Ne ſcilicet inter riuales tuos poſita, & eorum infeſtationibus vexata, ne operto capite, vt mos fert, plorantium, ac mœrentium, lugubrem vitam agere opus ſit mihi, meuſque luctus aliis paſtoribus innoteſcat. Vel ne ſim mulieri adulteræ ſimilis, quæ extremum mortis ſupplicium ſuſtinere cogitur capite velato: ſiue, quia te

tandiu abesse vltimi supplicij loco duco. Vel quia nihil prohibet ab his, qui me insequuntur, capitale aliquod crimen mihi imponi, quale esset, fœminam iam olim viro promissam & pactam adulteris locum dedisse: quod quasi factum puto, & iam iam talem me æstimo, ea est riualium tuorum contentio. Vel certè propter istorum, inquit, riualium contentionem in tanto suæ adulterandi periculo, vti me iam iam ream adulterij operto capite ad iudicium, imò ad supplicium adducendam verear. Vide infrà in prophetica interpretatione. Hanc ergo vim habet illud, *iuxta greges sodalium tuorum.* secundùm quam interpretationem existimo post illa verba, *indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, supplendum esse finem huius notitiæ, *vt*, scilicet, *ad te veniam.* Id verò quod addit, *ne sim velut circumamicta*, &c. non quid ipsam pati oporteat in via ad sponsum contendentem, sed quid iam sustineat. Vbi, vbi est, manens significat: vt propterea, vel sponsum ad illam, vel illam ad sponsum, quàm primùm venire oporteret. Et sanè iuxta hanc expositionem, duas rationes obiicit Sulamites, quæ sui ad illam aduentus maturationem facilè persuadere possent sponso, nempe dolorem ingentem, quo ipsa excruciabatur, & riualium insidias, vt scilicet amore simul ac zelo incitatus ociùs accurreret.

Sed quamuis hæc aptè dicta videantur, tamen translationem septuag. Interpretum, alio sensu accommodatiori donare licet. Apud Hebræos, virgines ante nuptias velis obductæ incedebant, & velatæ quoque ad viros offerebantur; vt fusè probaui in Isagoge *cap.* 3. §. 3. & paulo pòst dicam. Contemplare igitur Sulamitem nuptias expectantem, ac morarum impatientem, sic demum profari: Notum fiat mihi per te, ô sponse, vbi nam gregibus à pastu cubantibus, otia meridiana captes, vt ad te pergere liceat. *Ne sim velut circumamicta, iuxta greges sodalium tuorum*, ne scilicet tandiu maneam innupta, atque adeò aliorum pastorum riualium tuorum (hos enim sodales vocat) me petentium impugnationibus exposita sim. Habet autem specialem energiam verbum illud *circumamicta.* nam propriè significat modum quo virgines innuptæ operiebantur, caput nimirum ac faciem tegentes; cùm vxoratæ caput tantùm obnuberent, faciem verò liberam relinquerent.

Sed neque huic etiam interpretationi acquiesco: puto enim horum verborum, & eorum, quæ in vulgato textu iacent, maximam esse concordiam; sanè exploratum est, meretrices apud Hebræos palliis vultum operire, & in viis ac semitis considere solitas, mœchos expectantes. *Genes.* 28. ad eum modum velata in scorteo habitu in via stetisse perhibetur Thamar, quasi quæ pudorem exponebat suum. Et Origenes *lib.* 4. contrà Celsum, hoc ait ex Chrysippo, cuius hæc verba adscribit. *Primum extra vrbes & personatæ meretrices prosternebant se libidini prætereuntium: foris autem manebant arcentibus legibus: postremò de prauatione disciplinæ intra vrbes penetrare ausæ sunt.* Ergo propter hos circuitus & errores, quos pellices per vias & semitas agebant, dicebantur vulgò *semitariæ* & *errones.* Hinc Salomon de scorto Prouerb. 7. *Garrula & vaga, quietis impatiens.* & cap. 5. *vagi sunt gressus eius.* Vide quæ nos contulimus in hæc loca. Et nota concordiam Vulgati & Septuag. est enim vtriusque sententia per omnia similis, quæ sic habet: Fac mihi notum locum, in quo pascis greges, & à pastu quiescis, vt recto itinere ad te pergam, ne si vaga & errans huc, illucque ferar, in tuos incidam riuales, qui me tanquam meretriculam adoriantur. Huic verò sententiæ fidem facit coniectura nostri Hieronymi de Prado *in cap. 26. Ezechiel.* qui collatis pluribus Scripturæ sacræ locis, tandem conficit apud Hebræos virgines, meretrices & coniugatas, omnes quidem vti palliis ac peplis, sed diuerso modo; nam virgines faciem obnubentes, atque vnum tantùm oculum relinquentes liberum, peplum ad papillas vsque dimittebant: coniugatæ reliqua præter faciem velabant; meretrices verò habitum virginum mentitæ peplis etiam faciem tegebant. Vide quæ nos contulimus in Isagoge *cap.* 3. §. 3. Ex his autem liquet virginum, ac scortantium pallia esse omnino similia: neque aliud, inter has & illas, discrimen versari, nisi quòd meretrices oberrabant in viis; ideò עטיות *ghatioth, vagæ* & *errones* dictæ. Virgines verò delitescebant domi, ideò עלמות *ghalmoth*, id est, *occultæ* & *absconditæ* appellatæ. Quapropter id cauet sibi Sulamites, ne si pallio amicta virgineo vagaretur per agros, nihil à meretrice differret, atque adeò procos multos contra se prouocaret.

Sed tamen necdum horum verborum tota vis & significatio exhausta est: atque adeò obseruare oportet id quod suprà *vers.* 1. posui & probaui, Sulamitem in exordio huius Cantici à Salomone fingi eo die, quo suam translationem à domo sua, vel è

gynæceo

gynæceo in Regiam & cubiculum ſponſi ſui fieri expectabat, à primo manè ſe ſe ad nuptias proximè adornantem, atque iſthæc ſecum & cum puellis pediſſequis miſcentem colloquia: quibus illud in primis teſtatum vult, ſe ſcilicet ſponſi videndi, & ſuæ traductionis in domum & thalamum eius à gynæceo, vbi hactenus delituerat, formam excolens, & ad futura connubia ſe ſe adornans deſiderio ardere plurimum. Huius ergo ardentiſſimi deſiderij vim, quam hactenus pluribus aliis modis expreſſerat Sulamites in hoc verſu, præclaro quodam documento, ac ſchemate declarat. Sed quale hoc? iam demonſtro. Fingit vtique ſponſam, quæ bonam illius diei partem in cultura formæ poſuerat, & traductionem veſpertinam iam iam expectabat ad meridianum tempus deductam, ac tunc quidem ſponſi deſiderio acriùs ſtimulatam, diem ipſam quòd tardè iret, incuſantem, & exiguæ illius moræ vſque ad veſperum impatientem hæc demum protuliſſe. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* q. d. certè id temporis quod à meridie ad veſperum labitur, expectare animus impatiens non ſinit; atque adeò *indica*, vel *annuncia mihi* (vt habent Septuag.) id eſt, per nuntium aliquem, mihi ſignifica, vbi nam per meridiem à paſcendis gregibus rediens quieſcas, vt ad te ocyùs veniam: piget enim vſque ad noctem morari. Hoc ſponſarum deſiderium ac votum expreſſit Seneca *in Epithalamio Medeæ, ac Iaſonis*, vbi Hymenæus ſic cecinit.

Et tu quæ gemini præuia temporis
Tardè ſtella redis ſemper amantibus,
Te matres auidè, te cupiunt nurus,
Quàm primum radios ſpargere lucidos.

Loquitur autem Seneca de ſtella Veneris ad veſperum apparere ſolitæ, qua illuceſcente ſub noctem tranſlationes ſponſarum fieri ſolebant, vt ſæpè animaduerti. Huc ſpectat etiam illud Catulli *in Epithalamio Pelei & Thetidos.*

Adueniet tibi iam portans optata maritis
Heſperus.

Ex eodem genere eſt illud Claudiani,

At tollens thalamis Idalium iubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.

Mitto alia. Addit ſponſa: *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Quaſi dicat, locum, in quo te reperire oporteat, mihi certò deſtina & deſigna, vt ſine errore aliquo ad te contendam, ne ſi huc illuc vaga ferri cœpero (vt meritricantium mos fert) in ſuſpicionem veniam proſtitutæ pudicitiæ, atque alij paſtores riuales tui me veluti ſcortum adoriantur. quibus verbis, & ſponſum ſtimulat zelotypiæ aculeo, & ſuum pariter erga ſponſum, amorem & fidem commendat plurimum. Hic eſt germanus corticis ſenſus.

Sunt tamen qui hæc verba, non ad abſentem, ſed ad præſentem ſponſum, à Sulamite dicta volunt, quibus fauent Origenes & R. Salomon. Hi verò ſenſum huius allegoriæ non aliter conformant, quàm vt verba ipſa ſonant, vt ſcilicet paſtrix cum paſtore loquatur, ac ſibi locum illum deſignari poſcat, in quem ſponſus pabulatum ducat, & illum in quo à paſtu rediens per meridiem gregibus collectis otietur & quieſcat, vt ipſi quoque ſua ouilia proximè paſcere & paſcuis intermiſſis cum illo ſimul otiari & quietem capere liceat. Ad hunc ſenſum ſpectauit S. Bernardus *ſerm.* 32. vbi ſic ait: *Denique hoc ſponſa prudenter aduertens, poſtulat ſibi indicari, vbi ſponſus paſcat & cubet in meridiano feruore, parata paſci, & paſcere cum illo, & ſub illo. Nec enim tutum arbitratur longè agere gregem à ſummo paſtore, nimirum ob incurſiones luporum, & propterea ſatagit in eiſdem cum ipſo paſcere paſcuis & cubare vmbris.* Hæc Bernardus; ſed tamen præferenda eſt ſuperior interpretatio.

Quid plura? Origenes aliam offert corticis interpretationem *in Homil.* 1. ex duabus, vbi hæc ferit verba: *Annuntia mihi vbi per meridiem degas, niſi enim tu mihi annuntiaueris, incipio errabunda iactari, & dum te quæro, in aliorum greges incurro, & quia aliorum erubeſco aſpectus, faciem meam atque ora mox contegere incipio; ſum quippe ſponſa formoſa, & alijs nudam faciem non oſtendo, niſi tibi ſoli.* Interpretatur autem Origenes tranſlationem Septuag. quam ad pudorem & verecundiam ſponſæ refert, itavt perinde ſit illud, *Ne ſim velut circumamicta*, ac ſi dicat. De loco vbi per meridiem degis, ideo edoceri abs te volo, ne ſi hac illac errans, in aliorum paſtorum greges incidero, opus ſit mihi, præ nimio pudore, faciem velare, vt nec videar, nec videam: ne, in-

quam, videar; id enim mihi pudorem affert: ac ne videam; timeo enim ne ipsos videns, amore ipsorum alliciar. *Non patiar* (verba sunt Origenis) *vt ad ipsos perueniens ora non contegam; ne incipiam forsitan eos amare, quos nescio.* Nota custodiam oculorum, quam sibi indicit Sulamites: nota velaminis proprium vsum.

Cum Origene conspirat Hieronymus *in Epist. 22. ad Eustochium.* Denique S. Ambros. *lib. 4. Exaem. cap. 5.* & *in exhortat ad Virg.* aliam nobis accommodat expositionem translationis Septuag. Vtrobique enim non fieri *circumamictam*, perinde esse dicit, *atque effici mercenariam*; sic enim ait: *ne fiam circumamicta. mercenaria esse desiderat, quæ sibi vendicabat ante dominatum.* Et iterum. *Vbi diuinæ præsentiæ copia sibi est denegata, quasi mercenaria haberi postulat: quæ antè pretiosoris copulæ gratiam vendicabat: mercenaria esse desiderat, quæ antè mercenarios colligebat: mercenariæ vtique vox est ista, dicentis, Ne fiam tanquam circumamicta, continuò fit mercenaria?* Crediderim certè Ambrosium ad antiquum Hebræorum morem respexisse, apud quos liberæ omnes fœminæ, siue nuptæ, siue innuptæ, caput velabant: ancillæ verò apertum, detectumque præferebant, vt notauimus suprà in Isagoge *cap.* 3. §. 4. Comprobat hoc, locus insignitus *Isaiæ* 47. vbi Propheta Babyloni captiuitatem & seruitutem comminans, sub persona puellæ, quæ ex libera in ancillam migrabat. *Tolle* (inquit) *molam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum.* Septuaginta, *detege velamen tuum, discooperi humerum.* q. d. detege capitis velamen, & ceruicem aperi. hoc enim ancillaris tua conditio postulat. Nec velamen tantùm, quod erat libertatis insigne, ancillæ deponere iubebantur, sed etiam crines radere. Huc spectat locus ille eiusdem Isaiæ: *Decaluauit Dominus verticem filiarum Sion*, &c. Ambrosium ergo mercenariam pro ancilla accepisse existimo. Iuxta quam acceptionem, integer locus, hoc sensu donari potest: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Hæc sponsa, circa meridiem dixisse fingitur, quæ nimirum moræ impatiens, tempus vespertinum, in quo nuptias (vt mos Hebræorum ferebat) copulandas iri credebat, expectare renuens, sic ait: Significa mihi ô sponse, vbi per meridiem maneas, vt vesperam præoccupans ad te ocyùs veniam. *Ne fiam sicut circumamicta, iuxta greges sodalium tuorum*, id est, vt fiam discooperta & reuelata. Per sodales autem alios pastores intelligit, ipsi tanquam Summo pastori subiectos. q. d. Vt mercenaria inter mercenarios, & ancilla inter seruos efficiar, scilicet pastrix inter pastores, desiderij vim exexpressit, his verbis: quæ scilicet ne ad paucas horas sponsum ad se venturum expectaret, vt nuptiæ legitimæ, legitimo tempore copularentur, ancilla fieri appetit, vt ocyùs ad illum venire liceat: quasi dicat, malo te meridie videre, & ancilla esse, quàm ad vesperum expectare, & fieri sponsa & domina.

Vers.7. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

Si ignoras te. Quamplures, tam ex antiquis, quàm ex nouis hebraizantibus, illud *te*, paragogicum esse docent, atque adeò cum redundantibus numerandum, ita vt vel abiiciendum prorsus, vel ita efferendum esse dicant: Si ignoras tibi, vel, vt Symmachus transtulit, *si non cognoscis tu.* Et sanè has affixorum pronominum redundantias apud Hebræos norunt, quotquot Hebraicè sciunt. Nec longiùs accersenda sunt exempla; adest è proximo. nam pro illis verbis, *egredere, & abi*, in primitiuis est, *egredere tibi*, vel *te.* quod Hispanis valde familiare est, qui vtramque partem, sic vulgò afferrent, *si no te lo sabes salte y vete*, &c. in quibus illud *te* semper redundat. Latinis etiam non insolens: inde enim est illud Ennij,

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

& sexcenta alia; sed licèt præfatus Hebraismus, sit aliàs valde solemnis, illum tamen in hoc loco admissum, non omnino credo, abhorret enim à communi sensu Patrum: omnes enim ad vnum pronomen *te* recipientes & seruantes, de cognitione sui ipsius, quam sponsæ suaderi volunt, hæc verba exponunt, vt ex dicendis infrà constabit.

O pulcherrima inter mulieres. Hieronymus, Origenis interpres, semel legit: *O bona inter mulieres*, quia καλὸς bonum & pulchrum sonat.

Egredere

Egredere, & abi poſt veſtigia gregum. Symmachus, & ex illo Nyſſenus: *egreſſa vade ſecundùm veſtigia gregum.* Hebræa ad verbum, *exi tibi, & abi.* Reliqua non diſſonant. Ambroſius, *in calcaneis gregum.* Vox originalis עקב quæ ſignificat eam plantæ partem, quæ ſui ſignum in puluere dimittit. In quibuſdam vulgatis codicibus erat olim, *gregum tuorum*; ſed mendum hoc abſterſit Vaticana correctio, quæ abſtinet à pronomine poſſeſſiuo.

Et paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Hiſpanica tranſlatio Aſcalonenſis de genere fœminino extulit: *Y apacienta tus cabritas*, &c.

Huius loci cum ſuperiori haud facilis eſt nexus: illi ergo, qui pronomen *te* paragogicum eſſe autumant, non vno ſenſu donant; alij enim ſic exponunt: *Si ignoras te*, id eſt, ſi non ſatis tute tibi noſti, vbi nam paſtor ille maneat, quem tantopere deperis; egredere, & abi poſt veſtigia gregum; id eſt, inſiſte gregum veſtigiis, quos ille paſcit, & ipſa te tandem veſtigia ad illum perferent. *Et paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, cùm tandem aliquando in ipſum incideris, licebit tibi apud ipſum morari, & paſtoritiam quoque artem colere, ita vt cum paſtore, paſtrix fias, hædoſque ab vberibus matrum depulſos (vt puellarum mos fert) ſeorſum ductes. hanc expoſitionem amplectuntur ex Rabinis Tharrius & Salomon; ex nouioribus autem interpretibus, ſatis multi, qui omnes verba iſthæc puellis pediſſequis tradenda eſſe affirmant, quibus cum hactenus ſponſa ſermonem texuit.

Addit Sanctius noſter, prædictas puellas, ſub hac ſimilitudine paſtoris hædos (ſiue, vt in Hiſpanica lectione præfertur, *cabritas*, ex genere fœmineo) ad paſtum ducentis Sulamitem admonuiſſe; vt quemadmodum ſponſus ſuos ſodales & amicos, ſicut paſtor gregem, ad hortos & nemora, nuptiarum gratia, deduxerat (nuptias enim in hortis & nemoribus ab Hebræis celebrari ſolitas, non ſemel aliàs diximus, & dicimus infrà *verſ.* 17. non ſecus ſponſa alias virgines comites ſuas tanquam paſtrix hædiculas ad eoſdem lucos perferret, pollicentes futurum, vt ſicut hædiculæ, ſeu agnellæ, naturali quodam inſtinctu matrum ſuarum veſtigia odoratæ ad illas contendunt; ſic etiam præfatæ virgines, tam ad ſponſum, quàm ad amicos eius ſuopte deſiderio & amore ductæ perueniant. Cæterùm quamuis hæc leporem habere videantur, tamen mihi non ſatis placent, quia huius verſus cum ſuperiori nexum laxiorem continent, & quia contra communem Patrum ſententiam, pronomen *te*, redundantibus ſignis annumerant.

Secundam expoſitionem exhibet nobis Honorius Auguſtudunenſis, & Iuſtus Orgelitanus, qui hæc verba ſponſo tradunt, & ad hunc modum exponunt. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*, quaſi dicat, ſi vel ideò ignoras me, quia ignoras te ipſam, ego enim non ſum alibi quærendus, niſi in te, in quam amor tui, me omnino tranſtulit. *Tu es locus meus*, verba ſunt Honorij: *& in te locus requiei meæ, & extra te nullus mihi locus eſt manendi. Quod ſi ignoras te eſſe locum manſionis meæ, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos*, &c. *ſi nimirum me in te ipſa non deprehendis, progredere ad externa, hædiculas tuas ad pabulum rege, atque inter paſtorum mapalia quæſitum me inuenire licebit.* Hæc ille. quæ ideò difficilia, quia nec cohærentia ſunt cum antecedentibus, nec ſatis benè ſponſo aptantur; hic enim hactenus abſens fingitur: quòd ſi iam adeſſe dicatur, ſui veſtigandi documenta & notas ne quicquam præbet.

Eodem modo peccat tertia interpretatio, quæ hæc verba per conceſſionem quandam ab ſponſo Sulamiti ſuæ, non ſine ſeueritate, annuente, dicta contendit. Nam cùm ſponſa in ſuperiori verſu, morarum impatiens, & quaſi minus intendens, ſeriò affirmaſſet, id ſibi in mentem veniſſe, vt è domo in qua erat, pedem efferens, per aliorum paſtorum tuguria vaga, & errans, ſponſum veſtigaret, nunc certè ſponſus, non ex beneuolentia indulgens, ſed ex ſeueritate, potiùs libertati ſponſæ hoc condonans ait: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*, id eſt, ſi non ſatis attendis, quanta ſit tua infirmitas & imbecillitas, & quali periculo fidem tuam obiicias, age quod agis: *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum; & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*, id eſt, è domo, in qua hactenus delituiſti, ad agros & nemora demigra, & per aliorum paſtorum riualium meorum mapalia, viam rege, ita vt ab his videri & amari, ne dicam rapi, & violari poſſis. Quaſi dicat: abſit à te, vt hoc facias, nam viſa planè & amaberis, & rapta denique violaberis. Itaque hæc conceſſio & conniuentia ſponſi, non tam impellit, quàm reuocat ab inſtituto ſponſam. hanc corticis expoſitionem commendant

quamplurimæ Patrum interpretationes, qui Ecclesiam, vel animam ad suæ infirmitatis cognitionem his verbis prouocari, atque huius cognitionis assequendæ modum notari affirmant, per eam nimirum fragilitatem, quam ad occasiones & pericula delinquendi redacta in semetipsa experietur.

Quarta igitur interpretatio est aliorum, qui vti hæc verba sponso donare possint, & tamen difficultatem nuper adscriptam peruincant, ita secum deliberant, Sulamitem impatientem morarum hæc apud se & cum aliis virginibus versare cœpisse. *Indica mihi vbi pascas*, &c. Interim autem, dum hæc diceret, sponsum ad ipsam aduentasse, & non quidem seriò, sed per iocum hæc protulisse. *Si te ignoras ô pulcherrima mulierum*, &c. quasi dicat: si ignoras te ipsam, atque adeò me ignoras circa te proximè stantem, abi longiùs, &c. (nam de reliquo à superiore expositione non abeunt) cæterùm frustrà ad iocum confugimus in re seria, nec iocus ille incohærentiam minuit. Pergo ad alia.

Quintam expositionem donant nobis alij Patres non pauci, qui sentiunt sponsam in hoc loco, non tam de cognitione propriæ infirmitatis & imbecillitatis commoneri, quàm de agnitione pulchritudinis & gloriæ, quam detersa veteri nigredine sponsi sui beneficio, iam iam receperat. Hi ergo prædicta verba non sponso, sed puellis pediſſequis tradentes, aiunt puellas istas, non quidem his, quæ proximè dixerat, sed his quæ paulo antè iactauerat Sulamites, occurisse, cùm dixit: *Nigra sum, sed formosa*, &c. ita vt sensus sit: *si ignoras te ô pulcherrima, inter mulieres*. ideſt, si non satis nosti ad quantam pulchritudinem ac venustatem antiqua nigredine detersa veneris, nobisque id tibi denuntiantibus & persuadentibus non plenè credis. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*. id est, è domo excede, & (vt mos est puellis) hædiculas tuas ducens ad pastorum mapalia declina, ac tuis ipsa auribus capies quàm pulchra sis, cùm tua venustas, à cunctis pastoribus adamari & celebrari vulgo incipiet. Cæterùm aliquid etiam in hac expositione desidero quod sequentem, quam reliquis facilè præferendam sentio, plurimum mihi commendat.

Nam in superioti versu Sulamites cùm per meridiem ad sponsum venire sibi in optatis esse dicit, ab eo consilio propterea reuocari se affirmat, ne si inter pastores circumamicta hac illac vagis gressibus erret, scortum appareat, & in prostitutæ pudicitiæ suspicionem veniat, atque adeò aliorum pastorum lasciuiam in se prouocet. (hæc enim est maximè germana illorum verborum explicatio.) Quapropter non aliter hæc verba illis adamussim respondere poterunt, nisi eam difficultatem, quam animo suo conceperat sponsa, prorsus diluant. id autem nulla ex superioribus interpretationibus præstat; omnes enim sponsam in lucos ac nemora, vt egrediatur inuitant; quomodo autem pudoris malè habiti opinionem, aliasque suspiciones declinare ipsam oporteat, non satis declarant.

Age igitur, ac primum id pone; verba scilicet ista, vel à puellis pediſſequis dicta fuisse, vt communior hebraizantium sententia fert. quibus adstipulantur Nyssenus, Psellius, & Bernardus, vel certè ab sponso fuisse prolata; sic enim volunt reliqui omnes ad vnum Patres. hi sunt Origenes, Isidorus, Gregorius, Anselmus, Philo, Theodoretus, D. Thomas, & alij passim; quibus ego libentiùs assentior. Ita tamen hæc verba ab sponso pronunciari potuisse admitto, vt nihilominus à præsente ad præsentem Sulamitem dicta omninò denegem (nam quorsum his, qui iam tunc præsens aderat, modum ostenderet sponsæ suæ quo absens inueniri posset? vt nuper dicebam.) Sed velim prorsus illum absentem & à Sulamite sua longiùs agentem hæc vsurpasse; ita nimirum, vt quemadmodum sponsa absens hactenus ad sponsum absentem verba fecit; ita etiam sponsus, qui eatenus etiam absens manserat, non secus ad absentem sponsam verba intendat; id enim vtriusque amorem & desiderium quamprimum nubendi apprimè declarat.

Deinde notandum, apud Hebræos olim virgines etiam ante nuptias pastoritiam vitam agere solitas: id enim munus obiisse constat Rachelem *Genes.* 34. nec non filias Iethro Sacerdotis Madian, *Exod.* 3. & aliàs passim, idque sine dedecore, aut sinistra quapiam opinione, vel iniuria status illius. Addit etiam Rabbi innominatus apud Genebrardum: *Comparatur dilecta pastrici quæ pascit agniculos: quòd nimirum soleant mulieres apud Hebræos pascere paruos agnos, qui non opus habent labore & fatigatione.* Huc spectauit Mopsus pastor apud Maronem.

Quid

Quid facerem? neque enim Alcidipe, nec Phyllida habebam
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos, &c.

His positis, si verba ista puellis potius, quàm sponso donari debere contendas, erit sexta expositio: *si ignoras te, ô pulcherrima mulierum.* Vel, vt habent Septuag. *si non cognoscis te ipsam.* si nimirum, quia amor ad sponsum ocyus ire suadet, & rursus pudor ab hoc itinere reuocat, ita dubia & anceps manes, vt te ipsam non satis capias, vel intelligas: sic enim vulgò de homine addubitante & hæsitabundo iactare solemus, *No se entiende a si mismo.* id est, quod consilij à se ipso capiat ignorat, (ad quam interpretationem proximè accedit Hebræus apud Guidazerium) accommodatissimam rationem ad illum vestigandum tibi offeremus, qua & ipsum inuenire, & pudori tuo consulere possis: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Quasi dicat: vt ipsum certò & sine errore aliquo inuenire possis, hoc suademus, vti domo excedens, sequaris vestigia gregum (eorum scilicet, quos ipse pascit:) nam hæc vestigia te ad ipsum certissimè perferent. Rursus nedum per agros vagaris & erras, amicta pallio virginibus & pellicibus communi, in suspicionem venias prostitutæ pudicitiæ, atque adeò pastorum lasciuiam in te prouoces, agnellas, seu hædiculas ad pabulum ducito: id enim munus obire solent honestissimæ, ac generosissimæ virgines absque nota dedecoris. sic autem occurrunt adolescentulæ ei difficultati, quam in vestigando sponso sibi ipsi proposuerat Sulamites.

Sed vlteriùs etiam aliquid desiderabis in hac expositione. Nam in superiori versu sponsa moras sponsi ægrè ferens, & ne ad vesperum quidem (quando nuptiæ iuxta morem patriæ, denique celebrandæ erant) differri sustinens, vt ab sponso suo maturè educta transferretur in ædes geniales, de illo circa meridiem quærendo consilium init. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Huic autem tam celeri ac præcipiti consilio nihil in superiori expositione respondet.

Quapropter septimam interpretationem ad extremum subiiciam, quæ vel ideò mihi ante alias probatur, quia superiori sententiæ congruentiùs occurrit. communem ergo sanctorum Patrum sensum amplexus, qui si vnum, vel alterum excipias, hæc verba vnanimes sponso dedunt. Ego quoque sponsum effari puto: & illud præterea adnoto, quod sæpe aliàs animaduerti, scilicet translationes sponsarum & nuptiarum celebrationes sub noctem fieri solitas. Idem verò tempus esse solet, in quo pastores capras suas ad caulas & stabula compellere, ac se ipsos in tuguria & mapalia referre solent. Sicut ergo Sulamites in superiori versu absens ad absentem sponsum verba fecit, sub persona pastoris circa meridiem pascua intermittentis, & in opacis locis cubantis: sic etiam in hoc versu sponsus non quidem præsens (id enim suprà exclusimus) sed absens quoque ad absentem sponsam sermonem intendit, sub persona etiam virginis pastricis, agnos, hædósve suos nocte incumbente ad vesperum circa tuguria pascentis, atque illos iam iam ad caulas ac stabula cogentis. hanc enim vim habent extrema illa verba, *Abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos circa tabernacula pastorum.* id est, ad tuguria coge & compelle, scilicet consueto tempore; non enim emphasi caret illud, *abi post*, &c. ita enim mos fert, vt pastores nocte ingruente gregem suum à tergo instantes ad caulas compellant. Vide etiam an germanus allegoriæ sensus iste sit, vt sponsa fingatur ad vesperum post matres incedens, & illas ad caulas regens, vt hædos tenellos ibi, per diem, de more inclusos, distentis latè vberibus pascant: atque adeò additum fuisse, *& pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Ego quidem hanc interpretationem libens præfero, ac sensum totius loci sic instituendum esse puto, vt per quandam periphrasim bucolicam poëtis solennem, vespertinum tempus describat sponsus, quo translationem sponsæ fieri oportebat.

Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum. Id est, finge tibi sponsum absentem, ac suæ Sulamitis nuptias non secus depereuntem, atque adeò tempus decretum expectantem. Hic ergo sic ait: si vel ideò ignoras te, quia ignoras me, quod nimirum non prius tuam fortunam & felicitatem satis cognitam perspectamque habere poteris, quàm me videris, & apud me degeris: *egredere, & abi post vestigia gregum*, &c. quasi dicat: Age vt agis vitam pastoritiam per nemora, vt lucos greges tuos rege (hoc enim non dedecet virginem nubilem & generosam.) Sed quandiu hoc facies? donec tandem aliquando fugiente die & nocte iam iam ingruente capellas tuas ad caulas & stabula ad lactandos hædos, ac te ipsam ad tuguria referas: hoc enim tempus expecto, vt tibi quamprimum adsim, ac nuptias exoptatas concelebrem, tuis simul, ac meis votis

obtem

obtemperans.Ideò subdit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilabo te*; sic est accipiendus locus iste de futuro,vt infrà non leuibus argumentis conficiam.

Huic expositioni subseruit Gregorius Nyssenus, qui extrema illa verba, *& pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, perinde esse existimat, ac si dicat: *pasce gregem donec ad stabula, caulasque redierit*. Non dissimile quidpiam Corydon ad Galatheam, apud Maronem, nisi quòd ibi Corydon Galatheam ad se venire cupit; hîc contrà, sponsus ad sponsam ire desiderat:

Nerine Galathea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hædera formosior alba.
Cùm primùm pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura,venito.
Imò ego Sardois videar mihi amarior herbis,
Horridior rusco. proiecta vilior alga,
Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est:
Ite domum pasti (si quis pudor) ite iuuenci.

Sic concinit versus iste cum superiori,& contextus est loculentior.

*Vers.*8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

SONVS ALLEGORIÆ.

*Equitatui meo.*Hebraicè נסו *susathi*,Græcè τῇ ἵππῳ μου.omnes istę voces ancipites sunt; & vt à voce primitiua Hebraica exordiar,quatuor vtique illius significationes,vt notat Tharrius. Nam equam & ipsam quoque equitandi rationem,ac modum, & tam equorum, quàm equitum ordinem notat, & sanè *susathi* videtur esse nomen *thoar*, ex סוס *sus*, quod *equum* adsignificat: hæc autem nomina, quæ Hebræi *schem thoar* vocant, scilicet fœminea, ex substantiuis masculinis, latiorem significationem habent,vt aliàs obseruaui,& non modò rebus,sed etiam actionibus,& aliis quibusdam tribui solent. Ex his autem significationibus,quas continet vox illa *susathi*,tres posteriores capit vox Latina *equitatui*. nam ipsam actionem equitandi equorum aciem & equitum quoque ordinem sonat, frustrà id exemplis comprobem, cùm sint obuia. Denique nomen Græcum ἵππος, quo vsi sunt Septuaginta, est generis epicœni, & tam *equum*, quàm *equam* sonat. Sed quid inde? Certè omnes significationes, quas tres præmissæ voces recipiunt, vsurparunt interpretes huius loci, diuersi quidem diuersas.

Nam primum, *equæ meæ assimilaui te*, legunt passim omnes hebraizantes, & ambiguam, seu ancipitem vocem Græcam, quæ in translatione Septuaginta occurrit,ad significationem quoque fœmineam transferunt Codices. sic Complutensis, Regia & Vaticana, quæ similem ad modum conuertunt *equæ meæ*. Agnouit hanc lectionem D.Ambrosius *in Psalm.*118.*serm.*2. & de Isaac & anima; sed tamen numerum singularem,acceptum esse pro plurali existimauit; sic enim habet, *Non vnam equam diuitis Regis accipias,sed absolutè,pro equitatu*,vt sæpe diximus,*qualis ouis alterius,est pro grege ouium*. alludens certè ad Virgilium *Ecloga* 3.

Infelix ô semper ouis pecus, &c.

Ambrosium imitati sunt Theodoretus,Psellius,& alij.

Alij rursus adhærentes quoque translationi Septuaginta,& præferentes significationem masculeam,legunt,*equo meo*.In his esse videntur tres Patres apud Theodoretum, quamuis enim interpres ex Græco reddiderit,*equæ meæ*, tamen contextus ipse postulat, vt *equus* legatur, non *equa*. Addit tamen Theodoretus ex prædictorum Patrum nomine *equum*,in singulari,accipi pro *equis*,in plurali numero,ac rursus equos non sumi,vt sonant,sed pro equitibus; id enim solenne Græcis, sicut etiam apud nostrates, qui vulgari sermone dicimus; *tantos cauallos van a la guerra*, id est, tot equites, &c. Philo absolutè legit *equis meis*, & non de equitibus, sed de ipsismet equis concipit. quam lectionem videtur etiam mihi sequutus Origenes,quamuis illius interpres *equitatum* restituerit in vtraque tam breui, quàm longa expositione; sed vtrobique *equitatum* accipit pro equorum ordine.

Sed tamen cæteri Latini Patres,vocem istam *equitatus*,non quidem pro equis, sed pro equitibus ipsis equis insidentibus accipiunt. hi sunt Gregorius Magnus, Beda,Isidorus,

dorus, Anſelmus, D. Thomas, quibus etiam ex Græcis adſtipulantur tres Patres nuper citati, ſed expreſſiùs Nyſſenus inter ipſos numeratus.

Denique aliqui ex nouis interpretibus, nomine *equitatus* ipſam equitandi, aut equis inſidendi actionem notari perperam contendunt, qui quantumuis eam tranſlationem ad Hebraicas origines redigant, minimè auſcultandi ſunt.

Aliqui præterea obſeruant, vocem illam *meo*, in voce Hebraica *ſuſathi* reſpondet; affixum paragogicis ac ſuperfluis ſyllabis adnumerandam, itavt planè redundet, ſicut nuper de pronomine *te* ſtatuerunt, ad illa verba, *ſi ignoras te*, idque quamplurimis aliis exemplis in Scriptura ſacra obuiis confirmant.

Aſſimilaui te. Hebraicè דמיתיך *dimithich*, ex radice *damah*; ſignificat autem *comparare*, ac ſimilem efficere. Rabbi Salomon ſic extulit: *ad equitatum meum in curru Pharaonis ſilentium impoſui tibi*, vel *paraui te.* Subeſt etiam hîc alia recentiorum interpretum obſeruatio, qui docent, hîc verbum præteriti acceptum planè pro verbo futuri temporis, itavt *aſſimilaui*, ponatur prorſus pro *aſſimilabo.* quod vtique nec probo omninò, nec reprobo. Quamuis enim ſentiam hîc, vt in ſuperiori verſu, confici ſponſum, verba iſta ad abſentem ſponſam intendere, & de futura illius traductione agere; tamen id non prohibere quominus verbum præteriti aptam ſignificationem reddat; quamuis in hebraiſmos reſpuere non ſoleant, cùm opportuni ſunt, nunquam tamen niſi coactus ad illos confugio.

Hæ igitur ſiue diuerſarum lectionum diſſimilitudines, ſiue earundem lectionum, tam diſſimiles acceptiones, diuerſas quoque huius loci interpretationes pepererunt. Percurram eas, quæ digniores auctores ſibi numerant, ac primùm quidem lectionem illam interpretari libet, *equæ meæ in curribus Pharaonis comparaui*, vel *aſſimilaui te.* Certè ſi antiquos Patres adeas, nullum planè inuenias, qui hoc loco *equam*, vt ſonat, pro ſingulari *equa* accipiendam putauerit; & tamen non deſiderabis graues aliquos ex nouis interpretibus Doctores, qui hanc acceptionem cæteris aliis præferendam tam ſeriò prædicent, vt vulgatæ lectioni vix aliquid tribuendum eſſe putent, quibus illud commune proloquium obiicere libet, *Ne quid nimis.* Alij rurſus tam ſeuerè in hanc lectionem & acceptionem inuehuntur, vt illam tanquam indecoram, & (ſi Deo placet) obſcœnam & impuram reſpuere non dubitent. Ego quidem inter hæc vſque adeò diſcrepantia iudicia medius incedo; nam tranſlationem iſtam bono ſenſu donari, tamen vulgatam lectionem facilè anteponendam puto.

Equæ meæ in curribus Pharaonis, &c. Non poſſum non hîc adſcribere nouioris cuiuſdam interpretis, nouam ſatis expoſitionem: qui, ne Salomon à ſtylo bucolico, quem à duobus ſuperioribus carminibus inchoauerat, diſcedere videatur, addit ſponſum in hoc verſu hippophilacem, id eſt, equarum cuſtodem & paſtorem fingi, qui nimirum equam vnam præ cæteris pulchram & elegantem aluerit, atque adeò dignam, vt in Ægypto, vbi equi & equæ digniores & elegantiores gignuntur, ipſiuſmet Regis Pharaonis currus traheret ſub iugum miſſa; huic verò tam eleganti & venuſtæ equæ Sulamitem ab ſponſo comparatam ſentit ob venuſtatem, & velocitatem, vt quæ priùs moueri non poterat, niſi attracta, eadem iam nunc ab ſponſo erecta, velociſſimè cuiuſpiam equæ celeritatem æmuletur, quæ non modò ipſa ocyſſimè currere poſſit, ſed ad currum etiam trahendum valida ſit. Sat ſcio hanc expoſitionem tibi minimè probandam iri, quanuis illi ſuccos & pigmenta adliniam.

Sicut etiam nequaquam arridebit aliorum figmentum, qui ne vacet, aut redundet pronomen illud *meæ*, fieri poſſe dixerunt, vt ſponſus ſemetipſum pullo equino recenti, & ſponſam equæ matri compoſuerit, quæ nimirum ad currus trahendos rapta prædictum pullum, in ſtabulis reliquit matris abſentis deſiderium crebris hinnitibus ſignificantem, & vbera depoſcentem; ad ipſam quoque, vbi data porta fuerit, velociſſimè ruentem, itavt ſenſus ſit: *Equæ meæ in curribus Pharaonis*, &c. id eſt, quandiu abſens exiſtis, ô ſponſa, & ad te venire non licet, tanto tui deſiderio ardeo, vt tanquam pullum equinum me exiſtimem; te verò veluti equam matrem meam ad currus trahendos aſſumptam: atque adeò, cùm primùm licuerit toto animi mei conatu & arrepto curſu ad te contendam, & in vbera, id eſt, amplexus tuos irruam. Et ſanè hæc ſimilitudo, non inſulsè aptatur cortici & literæ, quia, vt in ſuperiori verſu adnotaui, ſponſus veſperam expectare fingitur, vt ad ſponſam veniret, vel potiùs eandem venientem exciperet; nam veſpertino tempore traductio ſponſæ de more fieri ſolebat à paranympho, & ab amicis ſponſi, vt in ſequenti verſu dicemus: pulli

autem

autem prædicti, ad vesperam vsque expectare consueuerant matres suas ex diurnis operis & laboribus ad stabula redeuntes. Nec aliena est hæc similitudo à Scripturis sacris, nam *Isaiæ* 38. in cantico Ezechiæ Regis, vbi Vulgatus noster habet, *sicut pullus hirundinis, sic clamabo.* Non pauci ex Hebræorum Magistris restituunt, *sicut pullus equæ.* Sed quantumuis expositionem istam expoliam, non arbitror me illam cuipiam persuasurum esse.

Tertiò igitur alij præfatam lectionem & comparationem equæ, seu equi (id enim non valde curant) sinceriùs capiendam esse putant, ac sponsum ea similitudine Sulamitis elegantem formam significasse autumant, quia nimirum equæ recentis & necdum crebris partubus ad maciem deductæ magna satis venustas, cum qua propterea virgo pulcherrima sine iniuria aliqua componi potuerit, præsertim, quia non insueta aliis hîc comparatio. Nam Plato in Dialogo qui appellatur, *Hippia maior*, seu *de pulchro*, vtranque pulchritudinem equæ ac virginis copulauit. Nam postquam asseruit vetusto quodam deorũ oraculo equæ venustatẽ laudatam, sic demum inquit: *Pulchrum vas cùm ex arte est fictum, sed si hoc cum equa & virgine comparetur, tali cognomento indignum est.* imò & ipsum dialogum, cuius argumentum est de pulchritudine, Hippiam à Platone de industria vocatum ἀπὸ τῆς ἵππου, id est, ab equa, propter eximiam huius animantis pulchritudinem. Rursus Theocritus in Epithalamio Helenæ puellis Helenæ formam admirantibus hæc verba tribuit.

Sic aurea Helena elucebat inter nos
Valida, procera: quemadmodum procurrit Iulius in aruo
Aut in horto cupressus, aut in curru thessalicus equus.

Ecce qualiter congruunt omnia equa & currus, itaut credere possis, Theocritum hanc similitudinem sicut alia, quæ in eo Epithalamio miscet, ab hoc Salomonis cantico mutuatum fuisse. Adde etiam ob eam causam quamplures fœminas ex his, quæ pulchritudine apud veteres excelluerunt, ab equa nomen sibi asciuisse. numerabo ex multis paucas. Valerius Maximus celebrat fœminam quandam Athenienſem Hippo dictam, Hesiodus Hippem, vxorem Thesei, Hesichiique Hippiam Philadelphi coniugem. Numeratur etiam Hippo inter Nymphas Oceani. Hippodomiam Polopi vxorem commendat Pindarus, & Nerei filius Hippothoem, Hipponoem & Mercippem. Pausanias quoque memorat Alcippem Martis filiam. Plutarch. Archippem pulcherrimam. Euripa etiam & Leucipes cognomina sunt Dianæ apud dictum Pausanium. Mitto alias innumeras fœminas, quibus ob formæ præstantiam equæ nomen dederunt antiqui, atque inde sic colligo, eos, qui hanc equæ similitudinem quasi indecoram seueriùs insectantur, non esse auscultandos, cùm ex dictis constet antiquos fœminis quibuslibet forma præstantibus, imò etiam Heroinis, & Deabus equarum cognomina indidisse. Sed licet eo capite, quo aliis inuisa est hæc expositio, mihi non displiceat, tamen multis aliis nominibus mihi nequaquam arridet illud sic instar omnium, quia vt hactenus sæpiùs notauimus, in hoc versu sponsus absens de absente loquitur, atque adeò parum aptè ea forma & pulchritudo laudatur, quæ scilicet necdum visa fingitur.

Quapropter meliùs & aptiùs quispiam asseruit ea comparatione pudorem Sulamitis notatum fuisse, quia cùm præmisisset illam inter pastores venturam. *Et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*; ne quis forsan ex pastorum societate aliquid contra pudorem eius suspicari posset, illicò attexit eam equæ similem esse, *equæ meæ in curribus Pharaonis*, &c. eo nimirum sensu, quo de alia puella valde pudica lyricus Poëta lusit:

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exultans, metuítque tangi.

De industria dixit, *equa trima*, nam equæ nouæ toto triennio non equiunt, vt in naturali historia equi tradit Conradus. At dices, non *equæ* solùm, sed equæ curribus Pharaonis adstrictæ collatam fuisse sponsam.

Id certè mihi persuadet, vt præfatæ lectionis aliam longè accommodatiorem expositionem subiiciam, quæ omnes huius comparationis numeros cohibet. Loquitur sanè sponsus absens, vt sæpiùs dixi, & qua ratione Sulamitem, quam ducere decreuerat, iam iam proponat sibi, & quomodo rem ipsam fieri oportere apud se statuat, recogitat antequam fiat, aperítque subiectis verbis, *equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te.* Quasi dicat: huic equæ adsimilem te iam iam cogito. Vel si id non placet, præteritum

teritum loco futuri positum cum aliis p'uribus puta; vtrumque enim æquale est. Itaque sensus erit, *equæ meæ*, id est, *equæ compari* cum equa, veluti eidem currui adstrictus matrimonij iugum libenter ducam, te similem reputo; quippe quæ aptissima mihi videris ad coniugia copulanda. Emphasim habet vox Hebraica דמיתיך *dimitich*, id est, *similem te faciam.* quæ significat sponsam alioqui conditione imparem (fingitur enim rustica & siluana mulier, vt non semel notaui) ad æqualitatem illam extollendam, quam inter coniuges honorum, diuitiarum, ac nominum communio efficere solet. Nam in his, quæ sub idem iugum mittuntur, equis, nihil magis obseruari & attendi solet, quàm æqualitas & similitudo, & ob eam causam *equos* Latinè ab æqualitate dictos credunt Origenistæ, quasi æquales, nam æqualitas & similitudo ad currus vectandos eos pretiosiores reddit. Quid autem certius, quàm coniuges apud Latinos à iugo dictos? velut eidem iugo adstrictos, & Græcè similiter maritati συζυγοὶ, ἀπὸ τῆ ζυγῆ, id est, à iugo eodem trahendo dicti, & Scriptura etiam *Eccli.* 26. matrimonium cum iugo componit. *Sicut bouium iugum quod mouetur, ita & mulier nequam*; id est, qui mulierem maleuolam duxit, non discedit à boue, qui cum altero iugum non satis adstrictum, sed dissolutum potiùs, aut laxum trahit, atque adeò onera illius status ferre non potest. Hactenus de lectione Septuag.

Circa vulgatam translationem non minor, imò maior interpretum discordia. In primis plures ex sanctis Patribus hanc comparationem desumptam existimant, ex curribus illis, quos Pharao contra Dei populum produxit, & in rubri maris fyrtibus demersi sunt, & hos quoque non parua discordia distrahit. Alij enim (in quibus est Philo Carpathius, & fortè etiam Apponius) cum ipsissimis Regis Pharaonis curribus ad maris profunda demersis, Sulamitem collatam putat, hoc sensu, *equitatui meo in curribus Pharaonis adsimilaui te*, quia nimirum, sicut equos illos rubri maris vndæ obruerunt, ita etiam per me fiet, vt antiquos mores tuos obruam, & obliuione æterna consepeliam. Nam hi interpretes ex his sunt, qui sponsam non solùm rusticam & conditione sua vilem, sed etiam meretricem, & impudicam sibi proponunt ante nuptias, atque adeò satis aptè de illa sub eo statu id enunciatum videtur ab sponso, futurum scilicet, vt eam sibi adiungens de genere illius mores & antiquam turpitudinem, non secus in profundam obliuionem mittat, quàm currus & equites Pharaonis marinis vorticibus olim obruti fuerant, ne vnquam ad littora enatarent. Nec aliena à sacris literis hæc obliuionis comparatio, nam Michæas Propheta cap. 7. *Deponet* (inquit) *iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris, omnia peccata nostra.* Alij rursus ipsissimos Pharaonis currus hîc accipientes, alterum corticis sensum instituunt. Nota enim est curruum & equorum multitudo, quam Pharao contra populum Dei comparauit. Nam *Exodi* 14. sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus attulisse dicitur. Addit verò sacer textus: *Cumque appropinquasset Pharao, leuantes filij Israël oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde.* Aiunt ergo cum his curribus & equitibus comparatam Sulamitem, quia sicut exercitus ille Pharaoni Regi suo fidelis subditus ad subuertendos illius hostes, satis validus erat, Israëlitas verò copia & robore suo plurimum exterrebat, & in fugam compellebat, ita etiam Sulamites datam sponso suo fidem inuiolatam seruans, & ille quidem, vt par est, demissa procis ac riualibus morum grauitate ac seueritate terribilis erat.

Cæterùm tam in hac, quàm in superiori interpretatione, ni fallor, id tu desiderabis, quod iuxta illam pronomen possessiuum vacat omnino, ac redundat; quapropter ne id desiderare possis, alij authores, vt dicti pronominis vim eliciant, non cum illis curribus, quos à Pharaone contra populum Dei eductos Erythræi maris fluctus demerserunt, sed cum ipso Israëlitici populi exercitu, cui mare diuisum semitam dedit, comparatam autumant, hi sunt Origenes, Ambrosius, Gregorius, Beda, quos infrà in appendicibus subscribam. Quæ expositio vix aliquid offert quod cortici ac sono allegoriæ (qui totus ad nuptias pertinet) possit adaptari; tamen ita quispiam comminisci posset, translationem, seu eductionem sponsæ in domum sponsi, quam iam tunc absens meditabatur sponsus, cum translatione filiorum Israël ex Ægypto in terram promissionis, per quam à seruitute in libertatem asserta fuit, his verbis conferre, itavt sensus sit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea*, id est, traductionem tuam à gynæceo, vel triclinio fœminarum, in quo hactenus mansisti, in domum ac palatium meum iam iam adorno & expedio, ac, si Deo placet,

quandam tibi translationem meditatus sum ei similem, qua populum Israeliticum olim ab Ægypto in desertum, & inde in terram promissam traduxi.

Dices fortasse, comparationem istam esse ineptam: imò potius aptissima, & accommodatissima est. In primis enim Oseas Propheta translationem Ecclesiæ à Iudæis ad gentes expingens sub sponsæ a Christo adamatæ nomine & exemplo, ad eandem comparationem expresse adlusit; sic enim ait: *Propter hoc ecce ego lactabo eam & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo illi vallem Achor ad aperiendam spem.* Vide quæ diximus suprà in Isagoge *cap.*3. *&* 6. *&* 8. vbi huius loci expositionem non perfunctorie transegimus, asserentes eam ex hoc ritu nuptiali translationis sponsæ in domum mariti, & ex adlusione ad traductionem Israëliticæ plebis ex Ægypto in desertum, & in terram promissionis desumptam fuisse; vtriusque verò translationis non parua concordia est. Nam antiqua illa traductio plebis Israëliticæ, facta quidem fuit de nocte, ac primum quidem in desertum & syluas, deinde in promissam terram, aditusque prior fuit in vallem Achor, quæ aliàs dicebatur tractus Engadditanus. Nihil non simile in traductione sponsarum reperies, quę nimirum de nocte etiam fieri solita, ac priùs quidem in nemora & syluas, deinde in mariti domum. Quomodo autē Tribus Beniamin, cui sortitò obtigerat prædictus tractus Engadditanus circa Hierichuntem, in ea potissimum amœnissima regione nuptias suas celebrare soleret, diximus in Isagoge *cap.*7. suprà citato, & dicemus etiam infrà *cap.*8. *vers.* 11. Sed quorsum, inquies, additur, *in curribus Pharaonis*? Aliqui affirmant (& mihi etiam veritati simillimum videtur) Pharaonem, qui ea ipsa nocte, qua Ægyptiorum primogeniti nece dati sunt, Iudæorum multitudinē satis indulgenter ac beneuolè ex Rham esse, vbi collectus erat populus, exire persuasit, ad sarcinas conuehendas, & reliquam multitudinem exportandam, accommodasse illi currus suos. nam cùm pleraque alia ab his accommodata populus accepisset; ait enim Scriptura: *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptijs, vt accommodarent eis, & expoliauerunt Ægyptios.* Quid mirum, si dicamus equos etiam & currus eorum, qui maximè ad viam illam conficiendam opportuni erant, mutuo sibi oblatos accepisse. Sed licèt hæc interpretatio inter illas, quæ sensum horum verborum ex adlusione ad transitum filiorum Israël ex Ægypto in terram promissam petendum autumant, facilè princeps sit; tamen ex eo mihi displicet, quia hæc verba, sicut alia, quæ continentur in hoc Cantico, ex nomine Salomonis dicuntur, non quia sentiā nuptias illius cum Pharaonitide in hoc libro descriptas, id enim suprà in Isagoge *c.*1. *&* 2. seriò confutaui; sed quia semetipsum tanquā Christi Domini figuram, & imaginem propheticè inducit. Non video autem quonam modo Salomon equitatum illum, qui vel à Pharaone contra populum Dei productus, vel à Dei populo contra Pharaonem collectus fuit, potuerit suum dicere, cùm ait, *equitatui meo.*

Quapropter alia mihi succurrit expositio, quam cæteris facilè præferendam existimo. Præmitto autem, nomine *equitatus*, hìc non equos iugales curribus adstrictos, sed equites ipsos curribus insidentes notari; quam acceptionem equitatus agnouerunt hìc tres Patres apud Theodoretum, Ruperus, Nyssenus & alij nuper citati, & est aliàs satis communis significatio apud Latinos, qui his vocabulis, *equitatus* & *equites*, non tantùm notant eos, qui equis insident, sed etiam illos, qui in curribus adstrictis equis vectantur in bello contra hostes, vt expressè notauit Seruius in Maronem *ad lib.*1. *Georgicorum*, & Agellius *lib.*18. *cap.*8. Quapropter iuxta hanc significationem, *equitatus in curribus*, erunt certè duces curribus victi. De industria autem dixi *duces*, quia certo certius est, duces & Reges ad bellum in curribus olim progredi solitos. Nam de Pharaone Israëlis populum ad mare rubrum insequente, sic legimus Exodi 14. *Iunxit ergo currum suum, & omnem populum assumpsit secum*; & de ducibus sic attexit: *Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* Chaldæus habet, *& in his duces totius exercitus*, scilicet electissimis curribus vectos. & *lib.*3. *Regum* Iosaphat Rex Israël è curru pugnabat *cap.*22. vbi etiam Principes curruum appellantur, duces alij, qui è curribus etiā bellum inferebant Item *Regum* 4. *cap.*19. sæpe aliàs in Scriptura sacra insigniores duces ac Principes in curribus contra hostes progredi feruntur. Inde autem licet colligere, eiusmodi currus non solùm omni robore instructissimos, sed etiam pulcherrimos fuisse. De pulchritudine & ornatu curruum, quibus duces & Imperatores ad pugnam progredi solebant, legendus omnino Lipsius in electis, & Bulengerus *de Imperat. Roman.* & alij. Aliquid de hac elegantia & ornatu curruum, quibus vtebantur duces ac proceres Regnorum,

scribit

ſcribit Eſdras *lib.3. cap.3.* vbi recenſens præmia, quibus decorandus erat à Dario miles ille ſapiens, qui ſapientiorem, ac digniorem ſententiam protuliſſet, inter alia ſic ſerit: *Dabit illi Rex Darius purpura cooperiri, in auro bibere, & ſuper aurum dormire, & currum aureo freno, & cydarim byſſinam, & torquem circa collum*, &c. Quantum ergo putabimus fuiſſe reliquum ornatum & apparatum currus, in quo equi iugales frenis aureis decori gradiebantur. Mitto alia.

Secundò notandum, veterum quoque moribus comparatum eſſe, vt mariti vxores in domos ſuas elegantiſſimis curribus vectas inferrent. Meminit Plutarchus *in Apophthegmatis Romanis.* item Claudianus *in nuptijs Honorij & Mariæ.*

Ante fores iam pompa ſonat, pilentaque ſacra
Præradiant ductura nurum. calet obuius ire
Iam princeps, tardúmque cupit diſcedere ſolem.

& Statius *in Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, ſic habet,

Iámque parens Latius, cuius prænoſcere mentem
Fas mihi, purpureos habitus, iuuenique curule
Indulgebit ebur.

Mitto Euripidem *in Elena*, Naſonem *elegia* 4. & alios paſſim; addo autem huius ritus expreſſa veſtigia reperiri in Scriptura ſacra. Nam *Pſalm.*44. vbi vulgata lectio, *Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna, propter veritatem & manſuetudinem*, &c. Hebræi codices ad verbum habent, *in decore tuo proſperè inequita ſuper verbum decoris & manſuetudinis*, &c. vox originalis eſt רכב *rechab*, quod germaniùs vertitur *currum inſcende.* Inde enim fluit רכב *recheb*, id eſt, *currus.* Itaque ſenſus eſt: Quandoquidem ſponſam ducere tibi placuit, currum aſcende, & à quatuor illis dotibus, ſcilicet decore, iuſtitia, veritate, & manſuetudine, tanquam à veloci quadriga ſublimis vehere, vt cum pompa & gloria ipſam traducas. Lege etiam ea, quæ *Prouerb.*4. contulimus ad illa verba, *arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.* vbi Salomon præcipit iuniori adoleſcenti, vt ſapientiam ritu coniugis ſibi aſciſcat. Hebræus, aut quidam, latentem in verbo illo *exaltabit*, ſimilitudinem agnoſcens, ita reſtituit, *& deducet te equitantem*, id eſt, currui inſidentem. Adde etiam, ſi placet, noſtrum Centuputeolanum, qui *Pſalmum* 67. nuptialem eſſe affirmat, ſcilicet Epithalamium dictum ſuper nuptias Dei & Tribus Benjamin: cuius vocabulo ſignificatur Eccleſia ſponſa Chriſti, atque adeò de curru ſponſalitio, exponit illa verba, *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium Dominus in Synai in ſancto.* quæ currum genialem & turbam illum de more vndique ſtipantem deſcribunt. Hæc etiam eſt pompa illa, quam legimus 2. *Machabæorum cap.9.* in nuptiis filiæ cuiuſpiam ex proceribus Cananæorum, vbi ſic habet, *Nunciatum eſt Ionathæ, quia filij Iamri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam vnius de magnis principibus Canaam, cum ambitione magna.* vbi adnotant interpretes eam ambitionem in curru nuptiali, & turba ſtipantium potiſſimum ſpectari. Nil certius.

His ergo prælibatis, ſenſus eſt loculentus. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.* id eſt, tranſlationem tuam, ô ſponſa, mihi dilectiſſima, iam iam adorno & expedio. nam iam diu te cogitaui, & nunc etiam cogito, ac mihi propono curru nuptiali elegantiſſimo ac ditiſſimo ſublimem, & ad ædes meas tranſeuntem: ſimilem vtique ducibus ac proceribus meis equitantibus, aut incidentibus in curribus Ægyptiis, vel quia currus pulchri, ſicut etiam equi generoſi ex Ægypto ad Salomonem tranſmittebantur. Vel certè currus ipſi ideò dicuntur Ægyptij, quia equi ex Ægypto allati ipſos trahebant. Nam Ægyptum Salomoni nobiliores equos dediſſe teſtatur ſacra pagina 2. Paralip.9. *Adducebantur autem ei equi ex Ægypto.* Horum autem equorum ad trahendos currus incredibilem copiam recenſet lib.3 Regum cap.4. *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium*, &c.

Cùm hæc, quæ hactenus poſui, mecum agitarem, ſcire vlteriùs deſiderabam (vt huic expoſitioni prorſus acquieſcerem,) cur nimirum ſponſa curru nuptiali in ſponſi palatium vecta magnis ducibus currus incedentibus ſimilis dicatur, ſumpta comparatione ex re militari. Ita enim fert concors ſanctorum Patrum ſententia, ſuccedat ergo memoriæ id quod ſuprà notabam *verſ.*3. ad illa verba, *trahe me.* vbi multis argumentis oſtendi traductiones ſponſarum apud Hebræos ritu ſolenni per raptum fieri ſolitas, ſimulata vi & coactione (fruſtrà hîc reſcribam quæ ibi fusè proſequu-

tus ſum.) Nunc autem vlteriùs addo ad raptum iſtum, qui eo modo per ſimulationem violentiæ peragi ſolebat, arma adhiberi ſolita, atque adeò ſponſum & amicos eius, non ſine armis ad accipiendum ſponſam venire ſolitos, atque promptam illam nuptialem, militari ſimilem eſſe. Comprobant hoc efficaciter duo Scripturæ loca. Primum eſt deſumptum ex *Pſalm.* 44. vbi Vates ſponſum excitans, & erigens, vt ad ſponſam accipiendam & curru abducendam pergat, ita quidem præfatur : *Specioſus forma præ filijs hominum.* & ſubinde, *Accingere gladio tuo, ſuper femur tuum potentiſſime.* Sed clariùs hoc perſuadet locus nuper citatus ex *lib.* 2. *Machabæorum cap.* 9. vbi poſt illa verba, *Nuntiatum eſt Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba*, &c. ſtatim attexit, *& ecce tumultus & apparatus multus, & ſponſus proceſſit, & amici eius & fratres eius obuiam illis cum tympanis & muſicis & armis multis.* Quorſum igitur arma in nuptiis ? Non aliò certè ſpectant arma iſthæc, niſi ad eam ſimulationem violentis prædictam. Mittò alia teſtimonia exotica & profana.

Iam intelligis quò tendam ; cùm igitur tránſlatio ſponſæ eo modo ſimulata vi per raptum fieret, & quaſi in exercitu inter armatos curru inſidens in domum ſponſi de more abduceretur, valdè propriè & germanè comparatur cum duce, aut Imperatore totius exercitus, curru eleganti ſubuecto, & multis vndequaque militibus ſtipato & circumſepto. Et ſanè patronum habet iſta expoſitio Gregorium Nyſſenum, in quo aliqua huius currus nuptialis mentio occurrit, ſed clariùs eam inſinuat Ambroſius *in Pſalm.* 118. *ſerm.* 3. vbi locum iſtum ediſſerens, & ad nuptialem currum adludens, ſic denique adſcribit : *Cœpit ſponſa concordia & manſuetudine populorum eſſe ſublimis, & toto circumferri orbe, & velut curru equis velocibus ſupra mundum rapta aſcendit ad ſponſum.* Hæc Ambroſius, quorum ſententiam dabimus infrà.

Denique moneo lectorem currum iſtum nuptialem nequaquam confusè permiſcendum cum feretro, aut lectica, quæ deſcribitur infrà *c.* 3. *verſ.* 3. hunc enim currum ab equis trahi & deduci, lecticam verò illam virorum humeris portari, textus ſignificat, vt ad eum locum vberiùs dicemus.

Verſ. 9. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & collum tuum ſicut monilia.

Verſ. 10. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

SONVS ALLEGORIÆ.

Sicut turturis. Hebraicè בתורים *bathorim*, id eſt, *cum turturibus*, vel *in turturibus.* Sic Pagninus, Tigurina, Vatablus & alij hebraizantes. Suſpicari verò æquum eſt, in originibus olim fuiſſe כתורים *chatorim*, id eſt, *ſicut turtures*, ſed poſtea ſcribentium errore poſitum ב pro כ : imò etiam coniectari licet, in vulgata tranſlatione, olim quoque lectitari ſolitum, *ſicut turtures.* ita enim ſuadet conſequentis hemiſtichij ſimilis verſio, *Collum tuum ſicut monilia*, niſi dicamus, Hieronymum, vt ſæpe aliàs, Septuaginta interpretum veſtigiis inſtitiſſe, qui ita legunt ὡς τρυγόνος, id eſt, *ſicut turtures.*

Et quidem vox illa תור *thor, turturem* adſignificat, & neſcio quod ornamenti fœminei generis, quod alij aliter deſcribunt, cui ornamento id nominis propterea datum exiſtimat Rabbi Abraham, quia figuras turturum impreſſas continebat. Alij verò eam vocem deriuant à radice תור *thauar*, id eſt, *circuire*, atque adeò *circulum* ſonat, itaque *thor* quodlibet ornamentum circulare notat, ſiue auribus, ſiue genis, ſiue collo, ſiue carpis brachiorum cingendis fabrefactum ; torques nimirum, inaures, monilia brachialia, & ſi quod aliud generis eſt ; hæc omnia complexus eſt Hieronymus nomine *murenularum*, ſic enim reſtituit infrà eandem vocem, *thorim. Murenulas aureas*, &c. hoc enim nomen quoduis monile in circuli forma conflatum ſignificat, ducta ſimilitudine à murena piſce, quæ tunc cùm profundiſſimæ fluuiorum arenæ indormit, flectit ſemetipſam in circulum, & extremam caudam ore tenet. Eapropter ipſiſſima hæc monilia ſerpentes aureos olim nuncupari affirmat Clemens Alexandrinus, ab aliis etiam *anniculos*, ſiue etiam *annulos* appellari conſtat ;

ſcilicet

scilicet paruos annos, quia nimirum serpens in orbem ductus, & caudam suam admordens, anni symbolum fuit apud veteres.

Nec longè abest vt credam, per diuersa isthæc nomina *murenulas*, ac *turtures*, quibus breui interstitio duorum versiculorum, quæ dictam vocem *thorim* extulit Vulgatus, idem prorsus significatum, atque adeò *turturis* vocabulum non aliter, pro monili, seu alio ornamento vsurpatum, sicut nomen *murena*, quia non insolens Vulgato interpreti, Hebraicas voces sic latinitati reddere, vt vim nominis originalis in Latina versione retineat. Sap.4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* nomen *vitulamina*, positum quidem pro stolonibus, qui arboribus adnascuntur, & earum vitalem humorem exprimunt. Græcè μοσχόμοτα, quod fluit ab μοσχὸς, id est, *vitulus*, ideò Vulgatus vocem illam effinxit, aliud quidem sono tenentem, aliud significatione exprimentem: quod sæpe aliàs facere consueuit. Ita etiam in hoc loco vocem illam *thorim* seruans, potestatem thematis Hebraici *turturem*, seu *turtures*, restituit; tamen inaures significare voluit, ex his quas suprà genas è fronte pendentes puellis Hierosolymitanis gestare solenne fuit, quarum meminit Isaias *cap.*5. vbi inter alia mundi muliebris ornamenta numerat *gemmas ex fronte pendentes*, nimirum è fronte super genas demissas. quam expositionem & translationem sequitur Thargum. Sic enim paraphrasticè conuertit, *quàm pulcher est populus hic, vt dentur ei verba legis, & sint sicut inaures supra maxillas eorum*, &c.

Sicut monilia. Septuag. ὡς ὁρμίσκοι. de potestate huius vocis multa hìc Nyssenus *Hom.*3. non pauca Origenes *Hom.*2. quæ in appendice mysticæ interpretationis subiiciam. Ambrosius legit, *sicut redimiculum*; sed non dispar sensus; Hebraicè הרוזים *haruzzim*, quæ torques & monilia adsignificat.

Murenulas aureas, &c. De hac voce, & quæ illi subest in primitiuis, iam suprà dictum est. Septuag. sic extulerunt: *similitudines auri faciemus tibi.* Origenes verò *Hom.*2. per similitudines auri aliquid intelligit, quod auri speciem reddat; aurum verò minimè sit, nempe Alchymiam, quæ aurum colore refert, seu aliquod aliud metallum ignobile deauratum, aliter enim non satis congruerent subiecta verba, *vermiculatas argento*, quia argentum quidem auro imbui & exornari solet; aurum verò argento expoliri nusquam visum. Alij verò meliùs & aptiùs, per similitudines auri, monilia significari autumant, figurulis, aut imagunculis cælata; nam verosimile est eiusmodi monilia, quæ nuptis donabant, aut turturum cælaturis insculpi, aut in serpentum, caudas ore prementium, formas circumduci solitas, vt nuper dicebam.

Vermiculatas argento. Opera vermiculata sic describit Plinius lib.33.cap.10. *si in spiras, vel flexus, quales anguillarum, aut acanthides efformatum sit, vermiculatum dicebatur.* Septuag. μὴ στιγμάτων, id est, *cum stigmatibus, cum notis, vel cum punctis.* Symmachus, *cum varietatibus*, seu *cum variegatis.* Quinta editio *in punctulis melis instar minutis & albentibus.* Præter vnum Origenem, (cuius expositionem suprà dedimus) reliqui vulgò interpretes, *vermiculos stigmata varietatis & puncta argentea*, ex argento quod auro immersum esset, aut ex subtilissimis argenti filis aurum cingentibus efformata comminiscuntur. Ego verò in hoc loco nomen *argenti*, non quidem ad metalli naturam, sed ad colorem significandum, additum reor. nam cùm linguæ sanctæ nullum satis proprium vocabulum suppetat ad colorem album notandum, loco illius, *argenti*, *niuis*, & *eboris* voces frequentiùs vsurpat. Psalm.92. *Pennæ columbæ deargentatæ*, id est, candore insignis. Eccles.6. *Donec rumpatur funiculus argenteus*, id est, medulla alba, quæ dorsi spinam complet. nescio, an alibi? Ergo murenulas *vermiculatas argento*, non intelligo aurea monilia immerso argento elaborata, aut filis argenteis præcincta, sed albentibus notis, aut incisuris, vulgò, *Esmalteblanco*, distincta & expolita. & sic cessat difficultas Origenis, & concinnior cuadit sensus.

Sed cuius sunt verba isthæc? Recentiores interpretes non pauci, hæc verba sponso tradunt, & numerum multitudinis pro singulari acceptum affirmant, nimirum *faciamus*, id est, *faciam.* Sed communis Patrum consensus & conspiratio præmissa verba, non sponso, sed sponsi familiaribus tribuit Origenes, Gregor. vterque, Theodoretus, Psellius, Bernardus, qui huius asserti rationem reddit ad subiecta verba: *Cùm esset Rex in accubitu suo.* vbi sic scribit: *non cum sponso, sed de sponso sponsa ad alios loquitur.*

His constitutis,plures interpretes genarum & turturis anologiam, aut nullam inueniunt, aut non curant, & sensus tantùm allegoricos & mysticos perscrutantur. Alij verò ex recentioribus de sono allegoriæ sic censent: *Genæ tuæ sicut turturis*,id est, genæ tuæ turtureis genis haud dispares sunt. Nam turturis, inquiunt, genæ, cùm de cætero candidæ sunt,circa oculos modicè rubescunt, atque adeò ad pudorem sponsæ notandum appositæ sunt. *Collum tuum sicut monilia*,id est,succi plenum, sicque ad rotunditatem conformatum,sicut monilia rotunda,quòd nimirum totos monilium circulos repleat, & cum illis aptissimè cohæreat, quæ non minima pulchritudinis pars est.

Quibus verò in superiori versu placuit translatio Septuaginta: *Equæ meæ in curribus Pharaonis*, &c. hi certè præmissa verba alio sensu donant, sic enim aiunt: Cum elegantia & pulchritudine pulcherrimam & elegantissimam quamlibet equam imiteris, tamen fræno, & calcaribus non indiges, quia genæ & maxillæ tuæ sicut turturis, quæ auis cùm sit, frenum non recipit,nec calcaribus ad volandum opus habet: atque ea similitudine ingenium sponsæ cum primis docile, & ad parendam prochue significari dicunt: quæ nimirum præceptis ac documentis sponsi sui,non coactè, sed sponte & ad metum obsequatur,siue currere,siue cunctari opus sit.

Et collum tuum sicut monilia. Id est, non elatum collum, aut erectam ceruicem habet,quod superbiæ significationem continet,vt de Solymitanis fœminis Isaias, *Eleuatæ sunt filiæ Hierusalem,& ambulauerunt extento collo*,id est,elato & sublimi. Antisthenes fastum & arrogantiam Platonis sic incusauit apud Diogenem, *Equam conspicatus iactabundam, fastu turgidam, hinnientem frementémque, ad Platonem conuersus, ita inquit: Meo iudicio præclara est equa.* Salomon ergo vti sponsam ab hoc fastu alienam prorsus esse ostenderet, *Collum*,ait,*tuum sicut monilia*,id est, deflexum, ac demissum, itavt eleganti circumflexione circulum complere videatur, & id quidem sine freno, & sine loris, (vt nuper dicebam,) vt prædicta inclinatio sponsæ, humilitatem & detumescentes spiritus eximiè adumbrans non coacta, sed spontanea magis appareat.

Sunt præterea alij & aliæ interpretationes minus concinnæ; sed, vt magis congruentem germanámque huius loci expositionem adscribam, aliqua prælibare operæ pretium est, scilicet in memoriam reuocandum est id, quod suprà in Isagoge *cap.6.* multis prosequuti sumus, olim in nuptiis sicut sponsæ puellas pediſſequas, ita etiam sponso sodales & amicos tribui solitos, qui ipsum stiparent, & alia quædam munera obirent ad solemnitatem & pompam connubiorum spectantia, id nominis muneríque datum Ioanni Baptistæ, Ioan. 3. *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi gaudio gaudet, propter vocem sponsi.* Machab.1.cap.9. *Processit sponsus,& amici eius.*

Secundò notandum, istos sponsi sodales & amicos,antequam sponsus adiret, obirétque oculis sponsam suam, præmitti quidem solitos vt ipsam alloquerentur, & precibus doníque pluribus oblatis adcon sensum nuptiarum adducerent. de his donis loquutus est Psaltes Psalm. 44. *Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum: & filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Extrema verba ex Hebraicis originibus sic recenset Hieromus: *Filia fortis in muneribus vultũ tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*,id est,ditissimi & opulentissimi amici sponsi preces fundent, & precibus addent quoque munera eximia, vt tuum ipsis vultum aperias,& roganti assentiaris sponso. Huc spectat etiam illud *Genes.* 4. vbi seruus Abrahæ senior cùm primùm vidit Rebeccam, inaures & armillas dono illi dedit ad nuptias cum domino suo Isaac iungendas, ipsam inducere & lentare cupiens. Huc etiam spectat illud Claudiani in Epithalam. *de nuptijs Honorij, & Mariæ*;

—— Fastigia supplex
Deposui, gestíque procum, de limine sacro
Ornatum misi, Proceréſque proxima nobis
Iura tenent.

Alij Codices habent,*oratum misi Proceres*,eodem sensu, hoc est, ad exornandam donariis & precibus quoque exorandam præmisi amicos meos proceres, vt difficilem alioquin & nuptias ex pudore fortasse detrectassem Mariam ad consentiendum adlicerent. hunc sensum reddit translatio Hieronymi: *Filia fortis in muneribus*, &c. id est,

eſt, quæ non facilem, aut lentam ad acquieſcendum, ſed fortem ac ſtrenuam ad repugnandum te præbes, atque adeò multis precibus ac muneribus plurimis tecum agere opus eſt, vt aſſentire velis. Et quidem hoc ritu nuptiali naturali verecundiæ, quæ fœminas in primis decet, conſulebatur, vt ſcilicet non niſi coactæ, & precibus muneribúſque enictæ, nuptiis aſſenſum præberent.

Vlteriùs etiam in hoc ritu obſeruandum eſt, ſponſam familiaribus ſponſi tunc cùm ipſam adibant, vultum velo tectum aperire ſolitam, vt nimirum de forma ipſius aliquid ſponſo renunciare poſſint. Huc ſpectant verba Pſalmi præmiſſa: *Vultum tuum deprecabuntur*, &c. lege plura *loco citato*.

Senſus ergo germanus loci ſic habet: cùm ſponſus præmiſiſſet, *equitatui meo*, &c. quibus ſe ſponſam traducturum in domum ſuam pollicebatur, familiares, ſeu ſodales ſponſi, ea quæ ſuarum partium erant, præſtare incipiunt, ſponſam adeunt, ſponſa faciem illis de more aperit. Quia igitur ſponſa, depoſito velo, genas collúmque illis videnda obtulit, prædicti ſodales munus ſuum explentes, laudant & deſcribunt in ſponſa, quæ iam tunc videre integrum erat, genas & collum. *Genæ*, inquiunt, *tuæ ſicut turtures*, vel *ſicut inaures*, id eſt, aptiſſimæ ſunt vt turturibus exornentur; hoc eſt, ornamentis illis, ſeu inauribus, quæ ex fronte ſupra genas pendent, quæ nimirum ob amphibologiam vocabuli Hebraici, vel quia turturum formas præ ſe ferebant, eo nomine cenſebantur. Itaque particula *ſicut*, non comparationem, ſed aptitudinem ſignificat. Quaſi dicat: Genæ tuæ ad turtures, vel, quod idem eſt, ad inaures excipiendas natæ & appoſitæ, idémque ſenſus verborum ſequentium, *& collum tuum ſicut monilia*, id eſt, ad monilia inſerenda idoneum valde. Hæc autem explicatio nullam vim infert verbis; nam ſi quis dicat: Pectus eſt ſicut torax, tibiæ ſicut gleuæ, caput ſicut caſſis, ſenſus certè erit, torax cum pectore, gleuæ cum tibiis, caſſis cum capite iuſtiſſimè cohærent.

Sodales ergo ſponſi ſtatim ac genas & collum ſponſæ detecto velo contueri licuit, ita loquuti ſunt: Genæ tuæ inauribus ex fronte dimiſſis, collum verò monilibus excipiendis aptum natumque eſt: nam quamuis vtraque per ſe pulchra ſint, additis huiuſcemodi ornamentis pulchriora euadent. idcirco *murenulas aureas faciemus tibi*. vox *murenulæ*, vt nuper dicebam, latiùs patet; nam *genarum*, *colli*, ſicut *manuum*, ornamenta ſignificat. Itaque aiunt, & genis & collo tuo ornamenta accommodatiſſima nos daturos pollicemur, ſi nobis ſponſi nomine nuptias petentibus acquieſcere non dubitaueris; ornamenta nimirum aurea punctis ac notis albis diſtincta. Hiſpanè diceres; *hermoſamente eſmaltadas*. *Murenulas*, inquam, id eſt, monilia in orbem ducta, quæ aliàs ſerpentes dicuntur, quia angues in circulum ſeruatos, & caudas prementes referunt, & annorum multorum, vitæque longæuæ ſymbolum præbent, quam dicti amici ſponſi, ſponſæ eo ſymbolo ſe deprecari ſignificant.

Theodoretus verba illa, *collum tuum ſicut monilia*, alio ſenſu donauit, *collum* (inquit) *admirantur, ſcilicet dicti ſodales, quippe quòd nullo extrinſecus egeat ornamento, aut adiectitio honore, cùm per ſe adeò ſit formoſum, atque inſigne, ſcilicet ſine monilibus, quaſi monilibus ornatum eſſet*. Accinit Bernardus, *collum tuum ita in ſe ipſo formoſum eſt, vt extrinſecus non requirat ornatum*. Eadem ſententia prioris hemiſtichij ſi legas *genæ tuæ ſicut turtures*, quaſi dicat: non aliter decoræ ſunt genæ tuæ ſine turturibus, id eſt, ſine inauribus è fronte in faciem pendentibus, ac ſi turturibus, id eſt, exquiſitiſſimis illis ornamentis inſignitæ forent. Tamen, vt naturalis iſte decor colli, ac genarum maior ſit, *Murenulas aureas faciemus tibi*. hæc expoſitio à ſuperiori parum diſſidet.

Gregorius Nyſſenus, Theodoretus & ex Rabinis aliqui putant, iſta verba cum ſuperiori verſu ad hunc modum conſuenda, iuxta lectionem Septuag. cùm ſponſus Sulamitem ſuam equæ iugali adſimilem affirmaſſet, ita ſubiiciunt ſodales: *pulchræ ſunt genæ tuæ*, &c. ſi equę iugali haud diſſimilis eſt, ſolent certè huiuſcemodi equę phaleris & ephippiis exornari. Quapropter equum erat, vt paria his ornamenta offeramus tibi. equarum capita & maxillæ frenis bullatis & gemmatis, colla item torquibus aureis decorari ſolent; quamuis ergo genæ tuæ ad inſtar turturum obtineant, & collum tuum ad inſtar monilium, id eſt, quamuis non egeant his, vel aliis ornamentis ad decorem, cùm per ſe ſatis formoſa & pulchra ſint, tamen murenulas aureas faciemus tibi, &c. id eſt, pro frenis gemmatis & bullatis inaures ex fronte in genas pendentes pro phaleris & torquibus monilia collo inſerenda dabimus tibi, & ſicut frenis & phaleris, maxillis, collóque impoſitis, ſolent equæ ad arbitrium ſeſſoris conuerti; ſic etiam par

est, ô sponsa, vt eiusmodi donariis ad genas & collum ornandum collatis ad consensum nuptiarum adduci te patiaris.

Septuaginta cum præfatis verbis connectunt ea, quæ sequuntur. Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Psellius, & alij Patres Græci, ad hunc modum: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, vsque dum Rex sit in accubitu suo.* In his verò Nyssenus extrema verba ad præfatam *equæ* phaleratæ & ornatæ similitudinem reuocat; sic enim exponit: *Vsque dum Rex insideat quadrigis suis, vel ascendat equos suos.* quæ interpretatio præmissam expositionem non euariat, itaque sensus est: Similis es equæ iugali frenis, phaleris, ephippiis exornatæ, ex his, quas Rex attingit currui suo, in quo decumbens pompicè incedit. quasi dicat, sicut equæ elegantis freni & phaleræ imponntur, vt iugum sponte subeat currui regio alligata, sic etiam nos sponsi sodales monilia, inaures, aliaque ornamenta tibi donamus, sponsa, vt matrimonij iugum non detrectes, sed sponte illi acquiescas.

Origenes ordinem dramatis aliter contexuit; sic enim fatur: *Posteaquam austeriori comminatione vsus est sponsus ad sponsam, protestatus ei quòd nisi cognosceret seipsam, exitura esset in vestigys gregum, &c. Erubuit super austeritate præcepti, sed & rubor verecundiæ diffusas in vultu speciosas effecit genas eius, & multo quàm fuerant, pulchriores, non solùm autem genæ, sed & ceruix eius tam decora fuit reddita, sicut redimiculis adornata, &c.* Ordo tamen iste non est accommodatus, nam sæpe alias adnotaui sponsum, ea quæ hactenus dixit, ad absentem sponsam dictasse; sed tamen appositè ad præmissum allegoriæ sensum, quem cæteris facilè præferendum diximus, affirmare licet sponsam, quæ vultum olim velo tectum sodalibus sponsi aperuerat, ex reuelatione sua & virorum conspectu erubuisse, vt par erat, atque ob ruborem genis aspersum eximium tum ipsis, tum ceruici decorem efflatum; eapropter dicti sodales in earum laudes prorumpunt, & quæ sine ornamentis adeò pulchræ erant, additis ornamentis pulchriores elegantioresque futuras seriò affirmant.

Vers. 11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRo *accubitu suo*, מסיבו *Mesibi.* Theodoretus, Bernardus, Rupertus & plerique alij, *thalamum* interpretantur; Origenes verò, & Philo Carpathius nuptialem accubationem epularem, quę fiebat lectulis in orbem mensæ dispositis, Græcè ἐν ἀναλίσει. De more veteri discumbendi in mensis fusè dicam cap. 2. vers. 6. *Nardus mea.* In conuiuiis vnguenta adhibere solitos Hebræos, ad perfundendos conuiuas, exploratissima res est. *Lucæ* 7. Christus cum Pharisæo conuiuatore expostulauit, quòd sibi consuetum illud officium non præstitisset. *Oleo caput meum non vnxisti.* Hinc illud, *impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est*, &c. Ergo nardi nomine vnguentum intelligit ex nardo confectum, quod conuiuis officij cuiusdam ergò solebat aspergi, vt constat ex facto Magdalenæ *Ioan.* 12. quæ nardo spicato & pretioso Christi pedes dicitur inunxisse inter epulas. Et quidem nardino epulantium tempora perfundi, non vno loco Tibullus & Horatius docuere: ille enim *lib.* 11. *eleg.* 11. sic ait:

Illius puro distillent tempora nardo.

& lib. 3.

Iam dudum Tyrio madefactus tempora nardo.

Hic verò,

Narde parum onyx eliciet cadum.

Pro *nardo* Hebraicè נרד *narad.* significat autem non solùm vnguentum nardinum, sed etiam fruticem ipsum, vel gramen, de quo Dioscorides *lib.* 1. *cap.* 16. & Plinius *lib.* 12. *cap.* 12. & quidem Plinius *lib.* 21. *cap.* 3. addit; in conuiuiis, veteres nardinis corollis vsos fuisse. *Sutiles* (inquit) *corollas aliorum Sacris inuenimus, & solennes cœnis, deinde transiere ad rosaria, eóque luxuria progressa est, vt non esset gratia, nisi mero folio, lautissimum quippe habetur è nardi folio.* De veteri ritu coronandi conuiuas, frustrà multa feram, cùm res sit admodum explorata. Illud etiam obuium, vnguenta & corollas parare, ad fœminas pertinere. De vnguentis *lib.* 1. *Regum cap.* 8. prædicit Samuel Israëlitis, futurum, vt Reges quos illi tantopere optabant, filias suas facerent vnguentarias.

Huc

Huc spectat illud Psalm.44. *Myrrha & gutta & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Id etiam suadet factum Magdalenæ *Lucæ 7.* & *Ioan.12.* Erat autem id munus maximè proprium sponsæ. Vxores enim ab vngendo, dictas putat Donatus *in Hecyra Terentij*, cui adstipulatur illud Ennij,

Exin Tarquinium bona fœmina lauit & vnxit.

corollas etiam plectere fœminearum partium fuisse, res ipsa prodit. Sed officium hoc vnguenta condiendi, & maritis suis siue in thalamis, siue in conuiuiis adspergendi, testatissimum est in sacris. Nam veteres non in conuiuiis tantùm, sed in thalamis etiam vnguentis vsos fuisse fœminarum ministerio, satis euincit locus *Prouerb.5.* vbi meretrix iuuenem inuitans ad toros: *Aspersi*, inquit, *cubile meum myrrha, aloë & cinamomo.* Plura de hac re dicam *cap.5.* ad illa verba, *Manus meæ stillauerunt myrrham primam.*

Dedit odorem suum, præteritum pro futuro, id est, *dabit*, vt alia in hoc libro *suum*, Origenes *eius*. Ergo ad nexum huius loci cum antecedentibus veniens, sic astringitur nodus, vbi vir spopondit à se ducendam, imò deducendam esse Sulamitem illis verbis, *equitatui meo*, &c. Et eius familiares ad illam inducendam flectendamque munera polliciti sunt: euicta sponsa & annuens connubiis addit se repensuram eam gratiam, & quod ad sponsam spectabat vnguentis coniugem suum oblectaturam; cúmque *vxor* ab vngendo dicta sit, perinde est ac si dicat: ero quidem illius vxor.

Igitur si cum Theodoreto, Bernardo & Ruperto *accubitum* thalamum, aut torum genialem interpretamur, ita locus ediserendus est: *Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Præteritum pro futuro, ad hunc modum: cùm Rex in thalamo suo decubuerit, & me ad eundem asciuerit, quod mearum partium est faciam: perfundam cubile nostrum nardino vnguento, quod suauissimum effert odorem ad sponsum meum deliniendum. Quòd si epularem accubationem in nuptiali symposio, quod magis probo, cum Origene & Carpathio Philone interpretemur, ita dicendum erit: cùm Rex in triclinio supra lectulum mensæ accubuerit, quod vxoris est proprium faciam, videlicet nardo respergam caput, tempora & capillos imbuam; qualis verò sit futura nardus mea, & quàm pretiosa, odor ipse testabitur: *Dabit odorem suum.*

Item de corona nardina in epulis solennì, exponi potest locus iste, præsertim si Regis nomine Sympositarcham intelligamus: vt posse intelligi suprà *vers.4.* latiùs probaui; hic enim oblata corona magister constituebatur symposij. Hinc illud Plautinum *in Persa*,

Do tibi hanc florentem florenti, tu eris
Dictatrix nobis.

Erat autem sermo de magisterio conuiuij. Luculentiùs rem euincit locus Ecclesiastici cap.14. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex illis.* & post pauca, *vt lateris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias, coronam & dignitatem consequaris corrogationis.* Sic ergo ediserendus est locus: *Cùm esset Rex in accubitu suo*; cùm fuerit nempe in nuptiali conuiuio accumbens mensis: *nardus mea*, corona videlicet ex nardo à me compacta, seu ex mero nardi folio, vt verbis vtar Plinianis, caput sponsi redimens, & eidem regnum conuiuij addicens, efflauit *odorem suum.* Ex tribus his expositionibus, nescio cui magis tribuam. Prima non inepta, secunda aptior, tertia acutior videtur, optionem do.

Vers.12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi:

SONVS ALLEGORIÆ.

FAsciculus. Hebraicè צרור Zeror. Septuag. δέσμευμα, id est, *colligatio.* Ambros. *in Psalm.118. alligamentum*: & ita vertunt interpretes ex Origene & Theodoreto. Aquila ὑπόδεκτος, id est, *susceptus*, vt ita dicam. Plures *sacculus myrrhæ.* Apponius, Bernardus de vero fasce myrrhæ accipiunt, ex recentioribus alij de fasciculo non virgarum, sed foliorum & florum Syriacæ myrrhæ exponunt; nam virgæ, inquiunt, spinosæ, hirsutæ atque adeò non aptæ ad fasciculum conflandum, nedum vberibus mammisque admouendum; folia verò lenia sunt, & flores suauissimum

odorem

odorem efflant. Alij pyxidem, aut thecam vnguentariam eſſe volunt, qualem fœminæ collo appenſam, & vberibus impendentem geſtare ſolent. quibus fauet lectio Septuaginta, quæ ſic ſe habet: *Alligamentum guttæ fratruelis*, &c. Gutta autem, ſeu ſtactes eſt pretioſior myrrha, ſcilicet ſponte manans liquor ex myrrhæ caule, nam qui ex corticis vulnere fluit, vilior eſt. Hæc autem gutta non in faſcem conflari, ſed in pyxidem cogi poteſt, niſi dicamus, gurtam accipi pro myrrha ipſa, effectum videlicet pro cauſa', quod ſuadet vox illa *alligamentum guttæ*. gutta enim non alligatur, ſed in pyxidem cogitur.

Dilectus meus. Hebr. דוד *Dod*, *dilectio*, ſeu *amor*, abſtractum pro concreto; Sepuaginta ἀδελφιδοῦς, id eſt, *fratruelis*, vel fraternus, ſignificat fratris filium, vt ait Theodoretus, Origenes, Pſellus & alij Græci; ſolenne enim eſt non Græcis tantùm, ſed etiam Latinis, hæc nomina cognationem ſignificantia commutare, & alia pro aliis ſubiicere, generum, pro coniuge, Virgilius,

Teque tibi generum Thetis vocat omnibus vndis.

Et vox Græca γαμβρὸς, nunc *maritum*, nunc *generum*, nunc etiam *ſocerum*, ſignificat, vt obſeruauit Seruius ad præmiſſum carmen Virgilij. Coniux item à viro ſuo *mater* aliquando appellatur, aliquando *ſocrus*, vt *cap.*3. oſtendam.

Inter vbera mea commorabitur. Hebr. ילין *ialin*, *pernoctabit*; poteſt autem referri, vel ad thalamum, vel etiam ad epuli nuptialis accubationem; nam vtrumque nocte peragebatur, vt ſuprà exhibui. Sed dubium, an illud *commorabitur*, ad vocem *faſciculus*, an ad illam, *dilectus meus*, reuocari debeat? Origenes & Theodoretus ad *dilectum* referunt, non ad *faſciculum*. Pſellius & Nyſſenus ad *faſciculum*; apud illos enim non faſciculus, ſed dilectus vberibus hærere dicitur; apud hos verò faſciculus ipſe, vel dilectus inſtar faſciculi: ego verò mallem referre ad dilectum, vt ſeruetur vulgatæ lectionis vis, & faſciculus in ſua germana ſignificatione capiatur, vt reddat hunc ſenſum: dilectus meus mihi ad inſtar eſt myrrhæi faſciculi, qui videlicet dilectus inter vbera mea *pernoctabit*, intereſt autem hoc plurimum illorum, qui pro faſciculo pyxidem aut conuertunt, aut interpretantur, exiſtimantes myrrhæ faſcem ſpinoſum, aut horridum, haud poſſe vberibus admoueri: non enim ipſe faſcis, nec dilectus inſtar faſciculi, ſed dilectus per ſe dicitur admouendus.

His præmiſſis occurrit ſtatim Origenis interpretatio: vnxerat (inquit) Sulamites dilectum ſuum: ille autem vnguento imbutus, odoris fragrantiam, quam acceperat, latè reddebat. ergo addit, ſponſa. *Alligamentum myrrhæ fraternus meus mihi*, id eſt, *dilectus meus myrrham mihi redolet, & hanc conſtrictam, non diſperſam, quo ſuauitas odoris denſitate reddatur vehementior; & hic cùm talis ſit, in medio vberum meorum commorabitur*, &c. Hæc ille, verba iſta cum ſuperioribus connectens, vbi ſponſum nardo à ſe profundendum promiſerat.

Secunda expoſitio eſt Pſellij, ad hunc modum. Solent (inquit) fœminæ ſuauia in veſtimentis vnguenta præferre. Ergo pro his omnibus ſibi eſſe ſponſum collo appenſum affirmat. cum Pſellio ſentit Nyſſen. recentiores verò interpretes ſic aiunt: Sicut gratum eſt fœminis ſibi coronas & faſciculos concinnare, quos vel ad nares admoueant, vel in ſinu ſuo recondant; ſic ipſa, te & præ oculis fero, & intra meum pectus veriſſimo amore recondo. Myrrhæ autem faſciculum intelligunt ex myrrhæ floribus & foliis concinnatum, vt ſuprà dixi. Alij comparatiuè accipiunt, ad hunc modum; ſicut aliæ fœminæ pyxides myrrha plenas collo appendunt, & vberibus admouent; ſic ego dilectum meum, aut in tabella deſcriptum, aut effigiatum ex aliqua nobili materia, inter vbera mea geſtabo. Ita enim ſolebant Hebræi eas, vel eos, quos ardentiùs amabant, in tabella aliqua deſcriptos, vel eorum quædam ſimulachra parua collo appenſa geſtare; de quibus dicam fusè *cap.*8. ad illa verba, *pone me vt ſignaculam ſuper cor tuum*, &c. Ex his quatuor, vt mea fert ſententia, præferenda cæteris eſt, Origenis interpretatio; nam & cum ſuperioribus meliùs concinit, & facilem atque procliuem ad poſteriora præſtat viam.

Tamen aliam expoſitionem ſubiiciam, cum ſuperioribus magis cohærentem. Et quidem prænotare oportet, vnum & alterum morem in conuiuiis nuptialibus à veteribus obſeruatum. De priori ſuprà dixi *verſ.* 4. & plura pollicitus ſum *cap.*2. ad illa verba, *læua eius ſub capite meo*, &c. nimirum coniuges decumbere ita ſolitos ad menſas, vt ſponſæ caput mariti pectus exciperet. Carmen Naſonis ſuprà exhibui; nunc autem habeto pauca verba Apuleij *lib.*6. vbi nuptialem cœnam deſcribens, ſic ait:

Nec

Nec mora, cùm cœna nuptialis affluens exhibetur, accumbebat summum torum, maritus Psichem gremio suo complexus, sic & cum sua Iunone Iupiter, & deinde per ordinem toti Dij. Ad hunc etiam modum Ioannes deposuit caput suum super pectus Iesus in cœna. Repeto Nasonis alterum distichum.

Nec premat indignis sinito tua colla lacertis,
Mitte, nec in rigido pectore pone caput.

Hunc autem fuisse sponsæ locum in conuiuiis, infrà dicam *cap.* 2. ad illa verba, *Læua eius sub capite meo,* &c.

Posterior mos, atque peruetus, est pro puluinaribus, atque sericis culcitris, quibus luxu indies incrementa capiente in lectis epularibus vsi deinde sunt conuiuæ; olim ex herba torta fasciculos quosdam sterni solitos, quibus conuiuæ cubitis & capite inniterentur. Varro *lib. 2. de vita populi Rom.* sic ait. *Quòd frontem lecticæ sternebant ex herba torta, appellatum torum, hoc quod injicitur, nunc etiam toral dicitur.* Huc spectat illud Virgil. *Æneid.* 5.

——*Et viridante toro consederat herbæ.*

Plinius lib. 8. cap. 48. *Antiquis enim torus è stramento erat.* Aptiùs ad nostrum institutum Plato lib. 2. de repub. circa medium: *In lectis ex herbis ex smilace atque myrrha factis discumbentes commensabuntur ipsi & eorum filij, bibentes vinum coronati, & Deos laudantes,* &c. His verbis constat inter alias herbas myrrhæ fasciculos intortos in lectis epularibus pro puluinaribus sterni solitos. Nec dubitandum est quod spectat ad hunc accumbendi modum, eandem fuisse rationem Hebræorum & aliarum gentium; sicut enim lecti tricliniares communes erant, ita etiam lectorum forma & stramenta.

Ad rem: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,* hoc est, dum vterque in lecto accumbemus in nuptiali cœna, ego quidem illum vnguentis imbuam meis, ille verò sinu excipiet me, id est, perinde ego in illius sinum & pectus deponam caput, & cubitis innitar, ac supra *fasciculum myrrhæ*, quo aliàs inniti solent conuiuæ. Ille mihi pro culcitra, & pro puluinari. *Inter vbera mea commorabitur.* Hebraicè *pernoctabit*, quasi dicat: Rependam ipsi ego istam gratiam; si enim mihi ipse inter epulas sinus præbuerit, cùm à triclinio in thalamum discessum erit, ego illi parem gratiam referens vbera & sinus exhibebo meos. Roboratur ista coniectura testimoniis Scripturæ, in qua, modò vxor in mariti sinu cubare dicitur, modò vir in vxoris gremio. Deuter. 13. *Vxor quæ est in sinu tuo,* & cap. 28. *vxori quæ cubat in sinu tuo.* & infrà, vir dicetur cubare in sinu vxoris: *Mulier inuidebit viro suo, qui cubat in sinu eius.* & Prouerb. 5. *Quare seduceris fili mi, & foueris in sinu alienæ?* Ergo sponsa vtrumque complectitur, & se in mariti sinu cubaturam dicit in conuiuio, & suum quoque sinum viro præbituram in thalamo.

Quòd si cum aliis legamus, *sacculus myrrhæ dilectus meus mihi*, ad eandem sententiam referri debet; nam veteres in conuiuiis puluinos rosis farciebant, & aliis herbis odoriferis pro lana, aut pluma. Meminit eius Tullius orat. in Verrem. *Ferebatur* (inquit) *lectica, in qua erat puluinus perlucidus rosa fartus.* quoad hoc enim eadem erat tricliniorum & lecticarum, suadent id verba Esther *cap.* 1. secundùm lectionem Septuaginta, vbi de apparatu conuiuij Regis Assueri sic habes: *Lecti aurei, & argentei, & strata pellucida, variè floribus distincta, & orbe rosæ sparsa.* ita intelligo ista verba: Erant quidem puluini ex pellucida tela consuti; florumque discrimine vario repleti, qui flores per telam pertenuem & pellucidam, se se prodebant. verba enim Tullij, ad instar obtinent commentarij istius loci. Ergo pro sacculo ad eum modum myrrhæis floribus farto sponsum sibi in conuiuio nuptiali futurum dicit, vt in ipsius sinu deponat caput, modo iam dicto.

Vers. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.

SONVS ALLEGORIÆ.

Botrus, Hebraicè אשכול *eschol*, florentem adhuc significat & primulum racemum. Genes. 40. num. 10. *& post florentes vuas matureſcere.* Hebr. *Eschol.* & num. 18. *Abscinderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt duo viri.* Hebr. *Botrum vuarum*; noster autem interpres causam pro effectu reddit, palmitem pro botro, per metonymiam.

Cypri. Hebraicè כפר *chopher.* Rabini, *Botrum caphuræ* conuertunt, quibus adhæret

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ret Tigurina. Vatabl.& alij : Origenes tamen,Nyssenus,Theodoretus, & Philo Carp. *botrum florentem* reddunt. Nam Græcè κυπριάζω *floreo*, & κυπρισμὸς *floritionem* notat. Refellunt hos Patres quidam,quia aliud est κύπρος, & κυπρισμὸς, quæ ipsi permiscent. Tamen aliam fuisse eorum mentem, deinde ostendam. Aliis placet *botrum cypri* significare fructum aliquem, vel florem non vitis veræ,sed opobalsami, quod Hebraicè *copher* dici autumant. Referunt hanc potius, quàm sequuntur,sententiam D.Ambrosius *in Psal.* 118. Apponius *hìc*, Honorius,D.Bernardus,Beda,Hailgrinus & Guillelmus. Sed quæ ad id comprobandum adducuntur, non valde stringunt. Dicunt, in Iudæa maximum olim balsami prouentum : ita D.Hieronymus *in Ezech. cap.* 27.Iosephus,Strabo,Plinius,Solinus,Iustinus,& Dioscorides. Quod si statim additur, *in vineis Engaddi*, neminem certè latet vinearum nomine in Scriptura sacra, non tantùm vineas vitibus consitas notari, sed etiam quoslibet saltus aliis arboribus consitos.

Cæterùm huic coniecturæ non omnino acquiesco. An quia in Engaddi balsami prouentus,ideò nullæ illic vineæ? contrarium docet Thargum,Gregorius Nyssenus, Bernardus,& alij Patres ; Origenes verò sic ait : *Engaddi ager terræ Iudææ est,non tantum vineis,quantum balsamis florens.*

Rursus cyprus, aut cyperus, à balsamo plurimum differt, *lib* 4. *de bello Iudaico, cap.* 27. Iosephus scribit,circa Hierico gigni opobalsamum,cyprum & myrobolanum. & Plin.*lib.* 23.*cap.* 4. cyprinum vnguentum à balsamo distinguit : ergo *copher*,cyprum significat, ex quo cyprinum conficitur, quem Hieronymus testatur odoratissimum esse, atque efflorescentis ad instar botri flores trudere. De cypro fusè Plinius *loco citato,& lib.* 12.*cap.* 21. Plura dicam *cap.*4.*vers.* 14 vbi iterum cypri incidit mentio.

In vineis Engaddi. De veris vineis capiendum est, vt capit Thargum, Nyssenus, Bernardus, Psellius, Theodoretus,Beda,Rupertus & alij Patres. De tractu Engadditano multa Adricomius.Erat autem vrbs quæ à Iosepho Engadda nuncupatur,proxima Hierichunti, & eisdem hortorum & vinearum amœnitatibus gaudens. Nec displicet quorundam coniectura, qui sibi persuadent de his Engadditanis vineis intelligendum esse Oseam cap.2. *Dabo ei vinitores ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem.* Fuit autem vallis ista, in qua primo filij Israël castrametati sunt in terram promissam penetrantes. Dicitur autem datus, ad *spem aperiendam*, vel *ad ostium spei*, quia tunc primum longa spes inuenit ostium, & diu expectatam rem obtinuit ; tum etiam,quia prioris loci feracitas & amœnitas,eos multa alia atque meliora sperare iubebat : & siquidem vallis Achor & ager Engadditanus, non dissidet, vt verius duco; ex hoc Prophetæ testimonio colligitur eum agrum, vinearum etiam copiam alere, cùm dicat : *Dabo ei vinitores ex eodem loco* ; quapropter verisimile est in eo pago multa vineta fuisse,& vinetis intermixtas cypros arbores odoriferas,vt postea dicam.

Venio ad interpretationem huius carminis : *Botrus cypri*,&c. Gregorius Nyssenus, Theodoretus & Philo Carp. botrum florentem & odoratum interpretantur ; nam florentibus botris etiam suus inest odor ; iuxta illud : *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Et ex hoc loco interpretor prædictos Patres, & euadet non inepta fortasse expositio totius loci ; nam pro illis verbis, *vineæ florentes dederunt odorem*, Hebraicè *vinea in flore* חנטה *chantah*,id est,aromatibus se condiuit, id est, vinea odorem similem aromatibus efflauit ; ad eundémque modum cùm Patres Græci legerent, *botrum cypri*, transtulerunt *botrum florentem*, atque adeò suaueolentem, putantes *botrum cypri* appellari, propter odorem : botrum,inquam,similem ei odorem exhalantem, quem cyprus florens efflare solet. Itaque quemadmodum Vulgatus infrà illud,*vinea aromatibus se condiuit*, sic conuertit, *vineæ florentes dederunt odorem suum* ; sic etiam Patres Græci hîc *botrum cypri*, *botrum florentem*, *& suaueolentem* conuerterunt. Similem cypro odorem exhalantem. De modo autem dicendi ne dubita : sunt enim multa id generis in sacris literis,quæ per quandam assimilationem sunt edisserenda, nec aliter bonum sensum obtinent. Isaiæ 39. *Ros lucis ros tuus*, id est,ros ei similis,quem lux prima,vel aurora effundit,& alia passim. De vinearum odore dicemus *cap.*2.*vers.*8. Addo etiam quorundam coniecturam, qui cùm asserant in vineis Engadditicis cypros etiam arbores enasci solitas, inter vitium propagines huic euenisse existimant, vt botri vuarum cypri odorem & saporem referunt ; est enim vitium proprietas asciscere sibi saporem & odorem fruticum iuxta radices crescentium, vt experientia docet, Plinio fidem faciens, qui *lib.* 14.*cap.* 2. sic ait : *Mira vitium natura saporem & odorem aliunde in se trahendi.* ergo si botrum cypri eo modo interpretemur,botrum videli-

cet

cet ad inſtar cypri odorem efflantem, vel odorem accerſentem ex cypro, cùm Sulamites ait: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Perinde erit, ac ſi dicat: Dilectus meus vnguento delibutus meo, ad inſtar obtinet botri floridi; & odore ſuo cypri fragrantiam referentis, quales Engadditicæ vineæ proferre ſolent: floret enim propter iuuentam, olet propter vnguenta, quibus ego ipſum perfudi; vel dilectus meus in conuiuio mihi hærens, quæ tanto tempore in gynæceo fui vnguentis & pigmentis memet excolens, non aliter ex me odorem trahit, quàm racemus aliquis Engadditanus ex cypro arbore ſibi proximè adnaſcente odorem ſibi accreſcens.

Mitto aliorum alias atque alias interpretationes minus eruditas, vnam & alteram ſubiiciam, & ex tribus optionem dabo; vocanda verò ſunt in memoriam duo, quæ ſuprà exhibui: alterum in Grammaticali expoſitione huius carminis, videlicet *Eſchol* botrum propriè ſignificare; ab iſta verò ſignificatione per metonymiam ad palmitem, necnon ad vitem, notandam adſciſci, vt conſtat ex illo Num. 8. *abſciderunt palmitem cum vua ſua.* Alterum ſuperiori verſu, & verſu 5. huius capitis, nimirum in lectis tricliniorum, ita ſponſam coniugi hærere, vt ab eodem complecti & ſtringi poſſet. de quo ritu ſequenti capite pluribus agam, ad illa verba: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* ergo vt hæc verba ſuperioribus aſſuantur, ſic ſunt ediſſerenda.

Botrus cypri dilectus meus mihi. Botrus videlicet pro vite, aut palmite, quaſi dicat: quemadmodum vitis cypro adnaſcens, eam complectitur, & palmite ſuo quaſi brachio innodatam ſtringit, non aliter ſponſus me in accubatione epulari ſibi hærentem, & in pectore decumbentem amplexibus innodabit, & vrgebit. hanc ſimilitudinem vitis arborem aliam complectentis ad coniugum honeſtos amplexus notandos plurimi vſurpant. Tibullus *in Epithalamio Iuliæ, & Manlij*, de illorum amplexibus inter conuiuia ſic cecinit.

Non tuus leuis in mala
Deditus vir adultera
Probra turpia proſequens
A tuis terrenis volet
Se cubare papillis.
Lenta quin velut aſſitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum, &c.

Hîc autem obſerua, ſponſum coniugem ſuum amplexibus ſtringentem in conuiuio, cum vite conferri aliam arborem palmitibus ſuis tanquam brachiis quibuſdam implacante.

Claudianus *in Epithalamio Honorij & Mariæ*, ſic habet:

Iam iunctis manibus nectite vincula,
Quàm frondens hædera ſtringitur æſculus,
Quàm lento premitur palmite populus.

Quòd ſi ad honeſtos coniugum amplexus inter cœnandum referre non libet præfata verba, ſubeſt alia expoſitio, non inepta, de inito tantùm coniugio; nam vitis arbori adnaſcens, atque illi ſeſe inſinuans, expreſſum eſt connubiorum ſimulacrum, imò vitis arboribus ſociare, *maritare vites*, dicimus. Horatius *in Epodis Ode 2.*

Aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,

& Virgilius *lib. 1. Georgicor.*

—— Vites vlmiſque maritat.

Et quidem modò vitis arborem aſtringens marito componitur, & arbor fœminæ. Horatius enim ait:

—— Vitis:
Altas maritat populos.

Tibullus etiam illis verbis,

Lenta quin velut aſſitus, &c.

Vbi vitem marito adſcribit. Modò contrà vitis fœminæ arborque viro aſſimilatur, ſic ſonant verba Virgilij,

—— Vlmiſque maritat.

& quod mox subiiciam, carmen Tibulli. Ergo *Botrus cypri dilectus meus mihi*, ait Sulamites, id est, ipse mihi coniux & maritus; nam sicut vitis & cyprus, simul consitæ, ineunt coniugia in vineis Engaddi, haud aliter, ego & dilectus meus connubia copulabimus, ipse vitis, ego verò cyprus. Quàm verò aptè hæc dicantur in conuiuio, iam intelliges, si memoria repetas id, quod diximus suprà, scilicet in nuptiali epulo sponsam quidem sponso vnguenta suppeditare. At id quod infrà dicemus *cap.* 2. ad illa verba, *introduxit me Rex in cellam vinariam*, &c. nimirum ad sponsum pertinere sponsam suam *in vino prouocare*, id est, illa propinationibus ad bibendum excitare. Dum ergo ait: tu vitis, ego cyprus, hæc mutua officia venustè expressit, perinde ac si diceret, tu vitis in morem, mihi vinum; ego verò tibi ad instar cypri odorem, & vnguenta exhibebo. Eadem similitudine ad coniugia notanda vsus est Tibullus in alio carmine nuptiali, sed parum diuersa, nam vitem fœminæ, vlmum marito adscribit.

Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur arno
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat vuam.
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci;
Sed si fortè eadem est vlmo coniuncta marito.
Multi eum agricolæ multi coluere iuuenci:
Sic virgo dum intacta manet, tunc inculta senescit,
Cùm par connubium maturo tempore adepta est.
Chara virgo magis, &c.

Quòd si alicui recentiorum sententia magis arridet, atque cypri botrum decisum ex cypro arbore ramum florentem accipi malunt, (nam botrum pro palmite sumi, suprà animaduerti) ne discedamus à conuiuio, locus iste ad sententiam superioris allici debet, itavt quemadmodum sponsa suprà dixerat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. id est, dilectus in toro conuiuiali pro fasciculo myrrheo mihi est. Perinde enim in ipsius decumbam sinu (vt alij supra fasciculos myrrhæ inniti solent) vt molliùs iaceam. Ad eundem modum addit: *Botrus*, id est, florens *cypri* ramus, *dilectus meus mihi*, ex his quas fert Engadditicus tractus, quæ reliquas gratia odoris facilè præcellunt. Et quidem eodem sensu, nam stramenta & tori ex odoratis quibuslibet graminibus, aut ramusculis conflabantur, vt suprà diximus. Ad hæc si *cophor* & cypri nomine florens opobalsamum capiendum esse quis contendat, vt suprà ex Patribus obseruaui, Bernardo, Ambrosio, Beda, atque aliis, idem iudicium ferendum est de opobalsami propagine, quod de cypri ramo nuper tulimus, nimirum ex illo stramina & epulares toros compingi.

Vers. 14. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

SONVS ALLEGORIÆ.

PVlchra. Hebr. non tam eam, quæ ex coloris lenocinio & temperamento resultat, pulchritudinem sonat, quàm illam, quæ ex totius corporis apta conformatione, & singulorum membrorum optima compositione constat, elegantiam adsignificat, de qua Pelusiota 1. *epist.* 131. sic scribit: *Vt corpore pulchritudinis, norma membrorum apta proportio es*, &c.

Oculi tui columbarum. Septuaginta, *oculi tui columbæ.* Casus multitudinis ὄμματα. sic Patres Græci, in his Origenes, Theodoretus, Psellius & tres apud ipsum Theodoretum.

Obseruandum est circa repetitionem illorum verborum, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, Hebræos, qui carent superlatiuis, hac verborum geminatione vti, ad innuendum excessum, quod nemo Hebraicæ linguæ peritus ignorat; itaque in eo idiomate, *Pulchra, pulchra*, perinde est, ac pulchrior, vel pulcherrima. Interpretes vulgò in vnam conspirant sententiam, ac volunt planè sponsum in hoc versu sponsæ suæ primam laudem ab oculorum siue magnitudine, siue colore duxisse, quia nimirum præcipua formæ laus in oculis sita est, & illi optima, qui cæsij ac magni, atque adeò columbarum oculos imitantes. Nisi etiam cum plerisque mauis similitudinem istam ab oculis columbarum dictam ad significationem moralem referri, quia scilicet columbæ geminos pariunt, & hi ipsi ad perpetua coniugia nati connubialis

pudicitiæ

pudicitiæ exempla exprimunt, munditiem adamant, suaueolentia oblectantur, & alia simplicitatis documenta produnt; atque adeò mutui, nec lasciui, nec petulantis, sed honesti, & sponsalitij amoris symbolum exhibent. Hæc illi.

Sed certè maius aliquid hæc verba continent ad ritus nuptiales pertinens. Duas ergo interpretationes & optionem pariter do. Prima sententia horum verborum facilis, & nexus non difficilis: id verò exigit, vt memoria recurrat ad ea, quæ suprà diximus de gynæceo & triclinio fœminarum, nimirum ibi excoli diutiùs per annum virgines quoad forma exculta vnguentis & pigmentis ad thalamos ascitæ à gynæceo in Regiam transferebantur, vt ex loco Esther suprà citato *vers.* 2. satis constat. Subiicio iterum verba, ne desideres, & vtor translatione septuaginta Interpretum: *Sic explentur dies curationis menses sex in vnguentis & pigmentis mulierum, & menses sex vnitæ myrtino oleo, & tunc ingrediuntur ad Regem, & cuicumque dixisset, vt traderet eam, vt simul ingrederetur cum eo à domo mulierum vsque ad Regiam, vespere ingreditur; & ad diem, recurrunt in domum mulierum secundam.* Ex his constat, non priùs virginem ad thalamos vocari, quàm forma curata esset diu: tum præterea à gynæceo in Regiam, à Regia in aliam domum transire solitas. Addo etiam, antequam thalamos adirent regios ad Regem adduci, atque illi sisti consueuisse, vt satisne excultæ essent, ipse exploraret, formam probaret, & reliquis aliquam præferret; sic enim ait: *Tunc ingrediuntur ad Regem, & cuicumque dixisset vt traderet eam, vt simul ingrederetur cum eo vsque ad Regiam, vespere ingreditur.* Ecce quomodo priùs omnis, deinde aliqua ex omnibus, cuius forma perplacuisset cæteris anteposita ingredi dicitur. Et quidem huius rei vestigia subodorari mihi videor. *Psal.* 44. in illis verbis, *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*, &c. Quamuis enim illa verba, *de domibus eburneis*, quidam ad thecas vnguentarias significandas transferant, alij ad alia; tamen Genebrardus de regiis ædibus interpretatur, cui hærent Titelmanus, Iansenius, quibus ego plus assentior. Nam licèt domus thecam significet aliquando: tamen domus pro theca Hebraicè est בית *Baiith*: hîc autem reperitur היכל *hachal*, quæ vox palatium sonat, vel ædes regias. Sic ergo Psaltes: *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt*, hîc explicit carmen in Hebræis; tamen Græca perueniunt vsque ad illa verba: *Filiæ Regum in honore tuo*; itaque reddit talem sensum. Filiæ Regum è domibus eburneis, id est, ebore elaboratis, aut marmoreas, quæ candore suo ebur imitantur, productæ, vbi scilicet clausæ excolebantur, te delectatione & voluptate affecerunt; tamen ex omnibus vna præ cæteris adamata: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* De hac veterum Regum consuetudine de gynæceis & fœminarum ædibus, lege plura apud Serarium *in cap.* 2. *lib. Esther.*

Ergo cùm sponsa iam nunc ad thalamos regios proximè euocanda esset, illius formam satis iam excultam esse, nulla pristinæ nigredinis vestigia remanere, atque cæteris fœminis forma & elegantia præire, declarat sponsus, illis verbis: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*; dum enim pulchram appellat, satis innuit, nihil cultus illi deesse. quasi dicat: iam satis exculta & detersa es, atque adeò apta ad copulandas nuptias, dum geminat vocem formæ, præstantiam notat, atque eam incredibili decore, reliquas fœminas facilè superare declarat.

Potest etiam illa congeminatio aptari ad duplicem illam pulchritudinem, quam in gynæceo per annum sibi virgines afflabant, nam per sex menses vnguentis quibusdam nigredinem & maculas detergebant; & sex alios in polienda, leuigandáque cute insumebant. Ad hanc curam (ni fallor) spectauit Paulus ad Ephesios 5. *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, vel aliquid eiusmodi*; maculas enim detergebat prior vnguentatio, rugas verò leuigabat posterior lenitio. Rursus, vt est ferè ingenium hominum, cùm alicuius placet pulchritudo, aliquid ex his, quæ pulchritudinem conflant, quasi perplacet, & magis arridet, propterea subdit sponsus: *Oculi tui columbarum.* quibus verbis ostendit, præ cæteris rebus, quæ ad sponsæ pulchritudinem constituendam accedunt, oculos sibi probari cæsios, vel ceruleos, vulgò *zarcos*: tales enim *columbini* dicuntur; quia similes sunt columbæ oculis: & quidem ab his se primum amoris vulnus accepisse ostendit *cap.* 4. illis verbis: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum.* de hac columbæ & oculorum similitudine plura dicam *cap.* 5. *versu* 13.

Occurrit sponsa, & reprendit laudem, quam in se sponsus iactauerat, vel potiùs cumulat, dicens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; si pulcher, & decorus, vt sy-

nonyma capiantur; habebunt certè vim geminatæ vocis, vt ſuprà dixi. Perinde autem erit, ac ſi dicat: Tu longè pulchrior es dilecte mi. qua ratione leges amœbæi carminis explet, in quo qui poſterior dicit, vincere debet priorem. quòd ſi illa verba non ſunt ſynonyma, vt certe non ſunt, quia pro illa voce *decorus*, Hebraicè eſt נים *naim*, id eſt, *ſuauis*, & *iucundus*; (ſic enim multi conuertunt) iiſdem legibus paret, nam cùm ſponſus ſponſam pulchram appellaret, illa contrà ſponſum pulchrum & ſuauem: nam pulchritudo cum ſuauitate coniuncta cum primis placet; eſt autem ſuauis pulchritudo, quæ ex corpore redundat in mores: vel quæ non ex nimio cultu & cura, ſed ex naturali decentia fluit.

Secunda interpretatio, & facilior & accommodatior id poſtulat, vt memoria recurrat ad ea, quæ diximus ſuprà in Iſagoge *cap. 3. §. 4.* de velamine & reuelatione ſponſæ, vbi illud ſeriò affirmauimus, nouam nuptam in prima nocte, cùm tradebatur ſponſo velo, ſeu peplo obſcuriori, ſic faciem tegere ſolitam, vt alterum tantùm oculum liberum dimitteret, vt videre, ac videri poſſet: quod tum ſacris, tum profanis teſtimoniis inibi comprobatum dedimus, & infrà etiam probabimus, ad illa verba, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Sic igitur apud te ſtatue, ſponſam ad hunc modum amicta facie, ac libero altero oculo ſponſo, tunc oblatam fuiſſe, cùm primùm eam videre licuit in prima nuptiarum nocte, qui ſubitò ex vnius oculi detecti forma & gratia alterius, quem peplum abſcondebat, pulchritudinem coniectans in vtriuſque laudes erupit, & rurſus ex ea, qua ex oculis & in oculis emicabat, gloria & decore totius corporis ſpeciem ac venuſtatem deprehendens, ſic exclamauit: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.* quaſi dicat: duos oculos cæſios, ceruleos & columbinos commendo, quamuis vnum tantùm aſpicio, & licèt oculos tantummodo ſponſæ meæ eo modo, quo dictum eſt, alterum ex altero videre licet: totius formæ elegantiam ſubinde laudo, & admiror; ita enim ſuadet naturalis ipſa venuſtatis ratio, oculi enim valde pulchri & elegantes reliquis membris elegantiam & pulchritudinem afflant.

Oculi tui columbarum. id eſt, non pulchri ſolùm, hoc enim columbinis oculis maximè proprium, & columbarum præcipua laus ab oculis duci ſolet; nec pulchritudo tantùm in columbarum oculis elucet, ſed etiam viuacitas & perſpicacia, quæ ſenio & ætate non elanguet. Adi Aldrouandum *in ornithol. lib. 15. de columba*, vbi de Ariſtotele & aliis naturalis hiſtoriæ ſcriptoribus hoc depromit; id quoque columbis proprium, vt illæ potiſſimum in pretio ſint, & formoſiores habeantur, quæ oculis pulchrioribus præditæ ſunt. Guidacerius *in hunc locum*, ex Hebræis ſic comminiſcetur: *Quotieſcumque ſacrificanda erat columba, attendebant primùm ad oculos eius. qui ſi eſſent pulchri, exiſtimabatur tota pulchra, & abſque vllo defectu in membris eius.* Nec longè abſum vt ſuſpicer, eò adluſum ab Euangeliſta, cùm ait: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, Matth. 6. ſi, inquam, ſimplex, id eſt, columbinus atque adeò pulcher oculus tuus fuerit; & licèt more ſponſalitio, vnum tantùm oculum liberum aſpicere liceat, ex illo integri corporis luculentam venuſtatem colligere & metiri integrum eſt. quæ expoſitio non paruum ſplendorem conciliat verbis Euangelij.

Verſ. 15. Lectulus noſter floridus.
Verſ. 16. Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta carmen integrum ſic conuertunt, πρὸς κλίνην ἡμῶν σύσκιον, *ad lectulum noſtrum vmbroſus.* & verba iſta ſuperioribus aſſuunt hoc modo: *Ecce eſt bonus fraternus meus, & quidem ſpecioſus ad lectulum noſtrum vmbroſus.* ita habet hodie Codex Græcus. quam lectionem ſequitur Gregorius Nyſſenus, Theodoretus verò & Pſellius ex Græcis nouam periodum inchoantes, ſic aiunt: *Lectulus noſter vmbroſus, tigna domorum noſtrarum cedri, laquearia noſtra cupreſſi.* Origenes & Ambroſius, *Acclinatio noſtra vmbroſa.* qui videntur προσκλινὴ pro vnica dictione habuiſſe.

Lectulus, Hebraicè ארש *hares* thalamum ſonat nuptialem, & lectum etiam diſcubitorium, vel torum epularem. Amos 6. num. 5. *Qui laſciuitis in ſtratis veſtris, comeditis agnum de grege*, &c. Vox etiam Græca κλινὴ anceps eſt, & vtrumque, lectum videlicet ac torum ſignificat genialem. *Floridus* Hebraicè nominis radix eſt רען *Raan*, quæ

ſignificat

ſignificat vireſcere, aut florere, ideò multi *viridis*, noſter Vulgatus *floridus* conuertit, Septuaginta *vmbroſus* σύσκιος, Ambroſius *opacus*.

Tigna. קירות *Kiroth*, ligna quæ tectum ſuſtinent. Ita D. Ambroſius: *Cedrus*, ait, *ſuſpendendis tectorum apta culminibus*, eo quòd huiuſmodi maceries & procera ſit ſpatiis, nec oneroſa parietibus, fluit à radice קרה *karah*, quæ ſignificat *contignare*. Pſalm. 103. *Qui tegit aquis ſuperiora eius*. Hieron. *Qui contignat aquis cœnacula eius*. ex quo appareret, *Kiroth* eſſe trabes ad contignationem cœnationum aptas.

Laquearia. Hebr. רחיט *Rachit* à radice *Rachat*. Ideò quidam exiſtimant eo nomine ſignificari quædam è parietibus extantia tabulata, Latini mœniana, vulgò dicimus, *Corredores*, conſoni ad vocem Hebraicam: alij *canales* vertunt, noſter Vulgatus *laquearia*, Septuaginta φατνώματα, interioris cubiculi, aut cœnationis partes parum conuexæ, quæ auro & variis coloribus imbui ſolent. Item *laquearia*, verſatilium quoddam genus cœnationum, aut cœnaculorum, ſignificat apud Senecam *epiſt.* 91. *lib.* 14. & Suetonium *in Nerone*, quorum verba poſtea ſubiiciam.

Pro voce illa *cedrina*, alij *larices*, pro *cupreſſina*, alij *abiegna*. quomodo verò à mendo vendicanda ſit noſtra lectio, conſule Delrium noſtrum *in hunc locum*, vbi plura ſerit de hoc themate, à quibus abſtineo libens, ne actum agere videar.

Locus iſte faciles explicatus habere videtur. Cæterùm ſi penitus inſpiciatur, propter varias lectiones & originalium verborum ancipitem ſenſum, non parum difficilis eſt. Communis interpretatio ita fert, ſiue ſponſum, ſiue ſponſam thalami nuptialis & interioris aulæ, vbi ſtratus erat, pulchritudinem deſcribere; ſic Origenes, Nyſſenus, Bernardus & alij paſſim, tum Patres, tum interpretes; ſed quia alij ſponſo, alij ſponſæ tradunt iſta verba, duobus modis ea contexere integrum eſt: alter eſt, vt ſponſa in domum ſponſi traducta poſt inita connubia geniale cubiculum ingreſſa, eius elegantiam & thalami nuptialis ornatum conſpicata, ſic exclamauerit: *Lectulus noſter floridus*, &c. aut quia floribus aſperſus, aut quia pictis opertus tapetibus, qui flores colore & nitore imitabantur. Vtriuſque mentio Prouerb. 7. vbi ſic meretrix ad iuuenem procum: *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha, & aloë & cinamomo. Et deinde tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.*

Poſterior eſt, vt ſponſus, ſicut mos ferebat, in domum ſuam ſponſam traducens, atque inducens, tam ædium, quàm thalami nuptialis gloriam & ornatum illi proponat, ad ſuarum rerum commune dominium, atque vſum ipſa admittens; ideò ait, *lectulus noſter*, &c. & rurſus, *tigna domorum noſtrarum*, &c. quibus verbis domus deſcribitur, ſeu aula Regia, trabibus cedrinis contignata, & cupreſſinis tabulatis quaſi in teſtudines efformata. quæ appoſitè dicuntur ad ſuperiora.

Cæterùm, ſi de thalami nuptialis ornatu atque ædium Regiarum prædiuite ſtructura accipi oportet verba præmiſſa, vt hæc expoſitio mihi omnino probetur, operæ pretium eſt, vt dicta verba inter ſponſum & ſponſam diſtribuantur; ita vt ſponſo priora illa demus, *lectulus noſter floridus*; ſponſæ verò illa poſteriora, *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina*. Præmittere autem oportet, apud veteres, quemadmodum etiam hodie apud noſtrates, in more fuiſſe, vt ſponſa thalamum ad nuptias afferret. Adi Lipſium *in electis*, vbi id perſpicuè docet *lib.* 1. *cap.* 17. firmat hoc locus Ciceronis pro Aldo Clu. *Lectum* (inquit) *illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari ac ſterni, expulſa, atque exturbata filia iubet.* vbi perſpicuè docet lectum à parente acceptum filiam ad nuptias attuliſſe. Mitto alia peruulgata, atque hunc fortaſſe ſponſa infrà appellat *cubiculum genetricis*, cap. 3. vt *ibidem* dicemus. Tum etiam memoriâ repetere oportet id, quod aliàs ſæpe diximus, ſponſam à domo patria in domum mariti, prima nuptiarum nocte transferri ſolitam. Ex quo conſtat, thalamum iugalem allatum ab ſponſa in ædibus mariti locari ac ſterni ſolitum, in aula videlicet aliqua ſplendidè parata & ornata, prout mariti ferebat fortuna.

His prælibatis inter ſponſum & ſponſam ſic diſtribuenda ſunt iſta verba: vbi aulam, in qua thalamus erat, ſunt ingreſſi, ſponſus quidem quod ſponſæ erat commendauit, nempe thalamum, illis verbis, *lectulus noſter floridus*; ac ſponſa viciſſim quod ſponſi erat proprium, videlicet ædium atque aulæ cubicularis ornatum collaudauit. poſteriori illa oratione, *tigna domorum noſtrarum cedrina, & laquearia noſtra cypreſſina.*

Quòd ſi tranſlationem ſponſæ in ædes mariti, ne dum factam fingamus, ſed inui-

tatio quædam sit de futuro, dicemus quidem sponsam quoad ipsam spectabat polliceri, nempe thalamum splendidè ornatum, floribus & liliis discriminatum ac pictum, atque adeò illi priora verba dabimus : *lectulus noster floridus.* sponsum item quod ad ipsum pertinebat offerre, aulam scilicet magnificè adornatam ad thalamum excipiendum, atque adeò illi posteriora illa verba adscribemus : *tigna domorum nostrarum cedrina*, &c. hæc interpretatio firmari potest ex eo, quòd hi, qui de Epithalamiis scripserunt, inter alias huius poëmatis leges tradunt thalamum pulchrè describendum. & ναὸν, seu velum thori maritalis. quam legem omnes ad vnum explent, qui carmina nuptialia hactenus panxerunt, Theocritus, Claudianus, Tibullus & alij.

Ad hunc sensum allici potest translatio Septuag. *ad lectulum nostrum vmbrosus*, vel *lectulus noster vmbrosus.* Redeat memoria ad ea, quæ diximus in superiori versu, nimirum sponsam in prima nuptiarum nocte, pallio, seu velo tectam sponso tradi, itavt eius faciem aspicere non posset. Hinc factum, vt Iacob in prima nuptiarum Liam pro Rachel sibi dolo suppositam nō agnosceret. Vide plura in Isagoge *cap.* 3. §. 6. de velamine & reuelatione sponsæ : ergo sponsa ad mariti domum translata, & iam inde paulo pòst in cubiculum & thalamum sponsi transferenda, sic ipsum affatur, *Ad lectulum nostrum vmbrosus.* quasi dicat : cùm ad thalamum discedendum tibi erit, sic ingredi oportebit, vt lux absit, & in vmbra & tenebris simus. ita enim pudor suadet, vt id potissimùm curem ne videar; cui sponsus: *Tigna domorum nostrarum cedrina, & laquearia nostra cupressina.* quibus verbis sponsæ à luce abhorrenti & latere cupienti decorè repugnat, ita obiiciens : Imò verò lux erit opportuna, vt Sulamiti meæ liceat aspicere gloriam & splendorem domus nostræ, in qua thalamus stratus est, quæ scilicet cedris & cupressis affabrè elaboratis contignata est. Itaque in hac verborum serie iucundè atque eleganter pugnare videntur, in sponsa quidem studium latendi, & in sponso desiderium eandem aspectandi.

Cæterùm, quamuis hæc probabiliter dicta sint, tamen contextus ipse, & maius rationum pondus me in eam sententiam impellunt, vt existimem non thalamum, sed potiùs lectulum triclinarem, seu torum epularem affabrè elaboratum, vbi torus stratus erat, in hoc versu describi; quod non paucæ rationes suadent. Prima est, quia, vti ex dictis liquet, verba antecedentia de nuptiali conuiuio intelligenda sunt, & sequentia etiam de eodem conuiuio exponi debent, vt ex dicendis constabit. ergo parum aptè inter tot loca ad symposium nuptiale spectantia, hæc de thalamo verba inserta fuisse dicunt, præsertim, cùm constet sponsos expleta cœna geniali, in cubiculum & thalamum discedere solitos. *Tobiæ* 8. vxor Raguelis strauit thalamum Saræ filiæ suæ; ac postmodum ait sacer textus. *Postquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.* Secunda est, quia magnificentia regij conuiuij & primæ cœnæ hîc describitur à Salomone, id postulat, vt cœnatio triclinium, & lectorum tricliniarium elegantia & delitiæ commorarentur. Quemadmodum *Esther* 1. vbi latè describuntur epulæ ab Assuero exhibitæ in nuptiis Vasthi & triclinio rum, seu lectorum epularium lautitia & pulchritudo magnificè expingitur. Tertia est, quia descriptio thalami nuptialis minimè necessaria fuit in hoc libro; imò potiùs data opera, abstinuit ab illa sacer Spiritus, vt in Isagoge spiritualis expositionis latè diximus *cap.* 4. rationem offerentes, ob quam cantus iste epithalamicus nunquam duos sponsos in lecto componit. Quarta est, quia ipsa verborum series id postulat, quæ huic expositioni longè meliùs aptatur. Adstipulatur huic interpretationi Theodoret. qui hæc verba de sacra Scriptura mysticè exponens, sic ait : *Vtrumque autem in diuina Scriptura licet inuenire, quæ quidem nobis modò lectus est, etiam domus, & mensa & cibus.*

His ergo prælibatis, dicemus quidem post translationem in domum sponsi Sulamitem ad cœnam nuptialem prima nocte (vt moris erat) ab sponso suo exceptam, triclinij, ac cœnationis apparatum & elegantiam describere his verbis.

Sed quid de lectione Septuaginta, *Ad lectulum nostrum vmbrosus*? Sunt qui hæc verba de corona nuptiali interpretentur, quasi dicat : cùm ad thalamum veneris, ô sponse, corona sponsalitia redimitum caput afferre tibi, atque adeò floribus foliisque opacum, quod longè meliùs & aptiùs de conuiuiali corona, interpretari licet, quam ad nuptialem cœnam afferebat sponsus, atque adeò congruè suadet sponsa, vt sponsus ad thalamum genialem caput corollâ præcinctum & obumbratum, adducat, vt in splendidissimis cœnis solenne erat.

Sed quamuis hæc non displiceat, alia tamen succurrit interpretatio, quæ mihi longè

longè aptior videtur. *Ad lectulum noſtrum vmbroſus.* Græcè σύσκιος, ex præpoſitione συν, ideſt, *cum*, & σκιά, id eſt, *vmbra*, quod perinde eſt, ac ſi dicat, ad lectulum noſtrum cum vmbra, vel cum vmbris. Præmittere autem oportet, olim *vmbras*, Latinè; Græcè autem σκιὰς, in conuiuiis eos dici ſolitos, qui in lectulis conuiuiorum infra alios cubabant. Ita docet Vrſinus de triclinio Romano: quamuis enim Plutarchus aſſerat σκιὰς dici eos, qui alios ſequuntur ad conuiuium, cùm ipſi inuitati non ſint; id quidem prius conſilium non labefactat; nam ideò fortaſſe id nominis tulerunt, quia hi in conuiuiis, poſtremi, & poſt alios cubabant: hinc eſt illud Horatij,

——— *Mecœnas adduxerat vmbras.*

& alibi,

——— *locus eſt & pluribus vmbris.*

Athenæus autem *lib.* 5. vxorem mariti σκιὰν, id eſt, *vmbram*, dixit, quia videlicet, vt aliàs non ſemel dixi, vxor in conuiuio infra maritum diſcumbebat. Vide plura de vxoris loco ſuprà *verſ.* 13. & infrà *cap.* 2. *verſ.* 6. ergo cùm ait ſponſa, *ad lectulum noſtrum vmbroſus*, vel cum vmbra, perinde eſt, ac ſi dicat: Accumbamus tandem, atque in lectulo, qui nobis eleganter paratus eſt ad cœnam, mihi ſit ſecundus locus; talis enim diſcubitus ſponſam decet, vti ſit mariti ſui vmbra; vel in plurali, *ad lectulum noſtrum cum vmbris*, id eſt, cum ſodalibus tuis, qui te ad nuptias ſequuntur, & tanquam vmbræ tuæ poſt te diſcumbent in conuiuio, quibus tanquam ſponſus conuiuij Rex tu præcedes.

Lectulus noſter floridus, viridis, aut vmbroſus. Vel, accubatio noſtra vmbroſa, opaca, hæ ſunt diſſimiles huius loci lectiones, & omnes epulari lecto conueniunt. Floridus dicitur, quia veteres floribus triclinio aſpergebant. *Eſther* 1. iuxta lectionem Septuaginta, *Lecti aurei & argentei in lapideo pauimento, & ſtrata pellucida*, variè *floribus diſtincta, & orbe roſæ ſparſa.* hoc ex ſacris; ex profanis verò literis Iuuenalis,

——— *Putere videntur*
Vnguenta, atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Suetonius de domo aurea Neronis; *cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, & flores fiſtulatim, & vnguenta deſuper ſpargerentur.* Lampridius in Heliogabalo: *Oppreſſit in triclinijs verſatilibus paraſitos ſuos, violis & floribus, ſic vt animam quidam efflauerint, cùm eripi ad ſummum non poſſent*, & alia innumera. *Viridis* etiam dici poteſt lectus, propter ſtramina, quæ ex herba intorta conflari ſuprà diximus, ad illa verba: *Faſciculus myrrhæ*, &c. His autem, quæ alibi attuli, teſtimoniis, accedat nunc illud Apuleij, qui *lib.* 5. ſic ait, *Pſiche teneris & herboſis locis in ipſo toro graminis ſuauiùs recubans*, propterea Græci toros appellant στιβάδια, ſiue, vt maluit D. Iſidorus, *ſtipadia*, id eſt, graminea, ſeu herbacea. Demum *vmbroſus* idem lectus appellari poteſt, iuxta ea, quæ diximus in Iſagoge *cap.* 4. ſcilicet, has nuptias & nuptialia conuiuia in illis exhibita, in villa & domo hortenſi peracta, atque adeò in opaco & vmbroſo loco inter cedros atque cupreſſos, vt factum conſtat ex lib. Eſther. ſic enim habes: *& iuſſit conuiuium præparari in veſtibulo horti ac nemorum, quod regio cultu & manu conſitum erat.* ſcilicet in nuptiis Vaſthi Reginæ.

Ad eundem ſenſum conuiuialis apparatus, adaptari poſſunt illa verba: *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina*; ſi enim de hortenſi conuiuio ſermo ſit, vt ſuprà, exponenda ſunt de cupreſſis, videlicet, atque cedrinis locum opacantibus, & triclinia laqueata præ ſe ferentibus; ſed id certius, verba præmiſſa de ſtructura & opificio cœnaculi accipi debere. nam *domus*, vox Latina, & Græca οἶκος, nec non Hebræa פית *Payth*, pro cœnatione vſurpari conſueuit. de Latina teſtis eſt Vrſinus in ſuo triclinio; de Græca, auctor eſt Pollux in Lexico; de Hebraica ſubeſt locus Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum*, id eſt, cœnaculum; addit enim, *miſcuit vinum, & poſuit menſam.* Præterea laquearia ad cœnaculorum opificium ſpectare comprobat Senecæ teſtimonium *epiſt.* 9. vbi ſic ait: *Vtrum tandem ſapientiorem putas, qui verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentat*, &c. Suetonius etiam, cuius verba ſuprà exhibui, *cœnationes laqueatas* appellauit. De *tignis* ſuprà diximus ex Hieronymo.

Tertia expoſitio, cui minus defero, vult ſponſam ſtylo ludere bucolico, & paſtoribus accommodatum thalamum, cubiculumque deſcribere floridum, videlicet pratum virentibus herbis, cedris atque cupreſſis opacatum; cui expoſitioni omnia ver-

ba,& omnes item lectiones venuſtè accommodantur : *lectulus noſter floridus , viridis, aut vmbroſus,tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina* , vel cedri & cupreſſi , quod idem eſt. quaſi dicat : pro lectulo & thalamo nuptiali nobis erit pratum viride,molli herba,& florum varietate diſtinctum. Pro geniali cubiculo affabrè laquearibus & teſtudinibus elaborato cedri & cupreſſi,denſitate ſua gratam vmbram hoſpitiúmque præbentes.Poſſunt etiam ad conuiuium referri hæc omnia. Sed tamen ſecunda expoſitio præferenda eſt , quia cum reliquo apparatu huius conuiuij meliùs concinit,in quo commemorantur vnguenta myrrhæ,diſcubitus , & alia his ſimilia regiis epulis digna.

CAPVT SECVNDVM.

Verſ. 1. Ego flos campi, & lilium conuallium.
Verſ. 2. Sicut lilium inter ſpinas , ſic amica mea inter filias.

SONVS ALLEGORIÆ.

FLos. Hebr. חבצלת *chebazeleth*,vox quadrata,plures *roſam*,quæ hîc à Vulgato *flos* dicitur , per antonomaſiam. Alij *violam*,aut *vaccinium*.quæ interpretatio tribuit Aben Hazre,qui dixit florem eſſe optimi odoris, nigríque coloris,iuxta illud Maronis :

—— *vaccinia nigra leguntur.*

Sed libentiùs ſentio cum his , qui *roſam* notari autumant , cùm in calyce, ſeu folliculo incluſus eſſet,nondum folia explicuit ſua, qui dictam vocem petunt ex radice צלל *zalal*,id eſt,*tegere*,& *claudere*,defenſionis gratia.

Campi. Hebr. השרון *Haſaron.* Alij retinent vocem Hebraicam , atque adeò ſic legunt : *Flos Saron*,flos,inquam, Saronis, qui ager eſt,aut campus inter Iopem & Cæſaream. de quo extat illud Procopij *in cap.* 33. *Iſaiæ* , ad illa verba : *& factus eſt Saron, ſicut deſertum. Regio ipſa,quæ Saron, ſeu Sarona vocatur , eſt infrugifera , aſperitate ſpinarum refecta.* Propterea Vulgatus aptè conuertit,*flos campi*, quia *campus* propriè locum ſignificat incultum, nec aratro , nec ligone proſciſſum ; imò etiam *campus* , teſte Ambroſio,locus eſt ſterilis,nihil graminis,aut herbæ afferens.

Lilium. Hebr. שושנת *Suſanath*,ex qua voce,ni fallor , fluxit vox Arabica, Hiſpanis *açuçena*,eapropter eos omnino aberrare puto, qui *roſam* conuertunt. nam quamuis in ſequenti verſu *ſuſanath*,in ſpineto,ſeu inter ſpinas locetur , certè vox *inter* non ſignificat locum natiuitatis,qualis roſæ conuenit, vt ab ſpinoſo arbuſto generetur,ſed vim habet comparationis , vt ſtatim dicam. Eodem modo deceptus eſt Kinchi violam inſulsè interpretans,qui Guidazerium alioqui ductum in eundem errorem impulit. Itaque *ſuſanath lilium* ſignificat album,vulgò *açuçena*, quæ non niſi in locis cultis & irriguis germinare ſolet. id verò ſonat vox *conuallium*, quia valles vberiores ac feraciores ſunt,atque adeò aſſidua eos cultura exercet.

Sicut lilium. Subeſt etiam hîc vox *ſuſanath*,*inter ſpinas*,alij *inter carduos*,eodẽ ſenſu.

Communis interpretum ſententia duas interpretationes diſcedit. Alij enim ſponſæ tribuunt iſta verba,alij ſponſo eadem accommodant. Illi plures & antiquiores , iſti pauciores & noui. Ergo qui ſponſo donant, ſic commentantur : *ego flos campi.* Dixerat ſponſa lectulum floridum : occurrit ſponſus affirmans ſe eſſe florem campi,qui videlicet lectum amœniorem reddat. Sed vide an meliùs aptiúſque ad contextum huius Cantici aliquid dici queat.

Cogita ergo ſponſum,vt ſuprà in Iſagoge animaduerti, dormiente ſponſa , ſemper elabi,& ne quid impurum in mentem venire poſſit , nuſquam ad thalamum cum illa venire , vt infrà *verſ.*7. fuſiùs dicemus , ad illa verba ; *ne ſuſcitetis , neque euigilare faciatis dilectam , donec ipſa velit.* Ergo ſponſus , cùm ſponſa lectum commemoraſſet , atque illum ſparſis floribus amœnum dixerat , ſic illi occurrit : Ego flos campi , & lilium conuallium. quaſi dicat : Abſit à me , vt ad lectum veniam , ego lectum ignoro , & paſtoritiam vitam in ſiluis & in conuallibus agens ſub dio in telluri iacens ſomnum raptim capio , omnium paſtorum flos & gloria. Vel aliter : Ego flos campi,

mihi

mihi ſcilicet flos iuuentutis adeſt, atque adeò vigeo & floreo inter ſodales, meúſque flos campos valléſque amœnat, in quibus exerceor.

Sed dices, hunc ſenſum à legibus abhorrere carminis amœbæi, qui vetant laudes proprias vſurpare. hinc fluxit tertia interpretatio, quæ prædicta verba non laudi ducit, ſed demiſſioni, ad hunc modum, cùm ſponſa thalami nuptialis & regiæ domus prædiuitem ornatum & ſplendorem commendaſſet in ſuperiori verſu, illis verbis, *lectulus noſter floridus*, ſponſus occurrit, dicens, *Ego flos campi*. ego ſcilicet, & quidquid floridum & amœnum ad me pertinet, florem imitatur campi, qui breui effloreſcit, & ociùs langueſcit. iuxta illud Auſonij,

Vna dies aperit, conficit vna dies.

Campi, inquam, flos, qui ſcilicet, non in loco vberi, ſed ſterquilinij, non in ſepto, ſed in aperto, & omnibus iniuriis expoſito, &, ſi placet, inter ſpinas & carduos germinans, qui flores, & omnia bona ſemina ſuffocant, talis enim eſt regio Saron, & talis etiam Regum conditio, quorum felicitatem curarum, & angorum aſſiduitas conficit. Addit, *& lilium conuallium*; quod videlicet ſoli ac telluris, in qua naſcitur vbertas, & pinguedo, ab interitu non vendicat; quemadmodum nec Reges copiæ ingentes ac fortunæ morti eripiunt, quorum felicitas, dum floret, defluit. Hæc autem ſeueritas ſponſi inter nuptiarum pompas & gaudia ad formandos mores ſponſæ non ineptè introducta videtur.

Appoſitè verò ad ſupraſcriptas interpretationes ediſſeri poſſunt verba ſequentia, *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. id eſt, quemadmodum ego flos & lilium dici queo, propter ætatem & vernantem & florentem, integraſque vires prioris iuuentæ; ſic etiam ſponſa mea, propter virginitatem & pudicitiam, quam ad coniugium integram affert, lilium eſt; & tanto ipſam amore complector, vt reliquæ filiæ Hieruſalem, cum ipſa collatæ, mihi pro ſpinis ſint, ac carduis. Vel aliter, ſponſus qui ſibi ipſi ſimilitudine floris in aperto campo, liliíque in valle germinatis, inconſtantiam humanæ felicitatis, & vitæ breuitatem indixerat, ſponſæ quoque ſuæ hoc ipſum inſinuat, & addit modicum vitæ quod ſibi reliquum foret, ſic inter alias fœminas tranſigendum, vt partim odio, partim inuidia ſpinarum & carduorum onere illam aſſiduò pungant, lacerent, lancinent; inuidia enim felicitatem perſequitur, ſed maximè inter fœminas.

Sed quamuis hæc aptè dici queant, quia tamen, (vt aliàs ſæpè admonui) in hoc Cantico, & in Epithalamiis, quibus conſtat, deſcribuntur ritus ſingulis nuptiarum diebus ſolennes; alias aptiores & cum reliquo textu magis cohærentes interpretationes dabo. Cogita ergo id quod ſuprà non ſemel animaduerti, ſponſæ tranſlationem, quæ prima nuptiarum die ſub noctem inſtitui ſolebat, non in palatium vrbanum, ſed in ædes ſiluanas extra vrbem ad ſaltus, aut hortos ex more Regum fieri, ac reliquos nuptiarum dies inibi tranſigi. Vide quæ diximus in Iſagoge *cap.* 6. §. 4. Anſa igitur inde accepta ſponſus (ſi eius ſunt iſta verba) ſic cecinit, *Ego flos, ſeu roſa campi, & lilium conuallium*. quaſi dicat: Ego quidem, in campum & ſiluas egreſſus, tanquam florem in campo germinantem me æſtimo, & lilio in vallibus progenito haud diſſimilis ſum, propter nuptialium veſtium colorem candidum & rubicundum, quæ alba lilia & roſas purpureas in ſiluis germinantes imitantur, iuxta illud Chriſti Domini Matthæi 6. *Conſiderate lilia agri, quomodo non laborant, neque nent, & tamen Salomon in omni gloria ſua non eſt veſtitus ſicut vnum ex his*. Quomodo autem nuptiales Regum veſtes, candido ac purpureo colore niterent, dicemus infrà *cap.* 5. *verſ.* 10. Adde etiam, propter odoris fragrantiam, quia veſtes quoque nuptiales & Regias vnguentatas & ſuauiſſimè olentes in nuptiis geſtabant. Pſal. 44. *Myrrha & gutta & caſſia à veſtimentis tuis, in quibus delectauerunt te filiæ Regum*, &c. Hanc verò veſtimentorum fragrantiam florentes agros imitari ſuadet illud Geneſ. 27. verſ. 27. *ſtatimque vt ſenſit veſtimentorum fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Quomodo autem ſponſa in primo congreſſu & diſcubitu ſponſum ſuum vnguentis perfunderet, habes ſuprà *cap.* 1. *verſ.* 12. Adde etiam, hæc verba referri poſſe ad veſtes floridas, quibus Reges vti ſolebant apud Perſas. ſic apud Athæneum; & Strabo *lib.* 15. de Perſarum Regibus ſic ſcribit: *Veſtem æſtate purpuream, hyeme autem floridam geſtare ſolebant*. Nec diſſimiles veſtes afferebant Reges apud Hebræos, imò verò non longè abſum, vt credam, veſtes, ſine quibus non licebat in nuptialibus conuiuiis diſcumbere, iuxta illud, *vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*, albas

fuiſſe

fuisse floribus intertextis euariatas, quæ aliàs dici solebant, vestimenta lætitiæ, *Iudith* 16. & *vestes diuersorum colorum*, Iudicum 5. ergo sponsus ait: Ego quidem veste regia nuptiali, floribus, ac liliis prætexta campos, ac valles, floribus liliisque conspicuos imitari mihi videor: *ego*, inquam, *flos campi*, vel, si fas est dicere, ego florida veste conspicuus, nihil differo à campis ac vallibus, quæ floribus ac liliis amœni sunt.

Sed quamuis hæc non ineptè dici queant, meliùs tamen & aptiùs hæc verba sponsæ accommodari existimo, quæ nimirum, cum pallio amicta, sponso traderetur (vt suprà *cap.* 1. *vers.* 15. animaduerti,) atque ab illo audiret illud, *ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* pulchritudinem ipsius oculorum venustatem (ex quibus alterum solum hactenus videre licuerat) deprehendens, satis appositè respondet, dicens: *Ego flos campi*, &c. id est, ego quidem quandiu velo amicta sum, similis sum flori, aut lilio in calyce, aut vagina sua incluso, quæ nondum folia explicuerunt sua; quasi dicat, pulchritudo ista quam admiraris, nunc quidem occulta & velata est, donec tandem aliquando erumpat, & floris ad instar retecto velo, tanquam è vagina sua prodeat, vt liberè ab sponso meo videri queat. Recolenda est vis vocis Hebraicæ *Chabaẓeleth*, quam suprà notauimus, quæ scilicet florem in folliculo suo inclusam, germanè adsignificat.

Vel aliter, sponsa à gynæceo, seu domo, in qua puellæ excolebantur, ad nuptias regias in siluas & hortos de more educta suam antiquam conditionem cum noua fortuna componens, sic sponsus affatur: *Ego flos campi*, id est, ego olim cum siluas incolebam, & vineis custodiendis à fratribus meis præfecta Solis æstu torrebar, eram vtique similis *flori*, aut *rosæ*; sed vagina inclusæ, aut, si placet, eram viola, seu vacciniũ decolor & nigrum in campo sterili sine cultura natum. At verò nunc postquam in gynæceo faciem excolui, & optimis quibuscumque vnguentis delibuta fui, & nigrum colorem, & maculas ab æstu contractas extersi, iam inde lilium candidum effecta sum, quod in valle pingui satum assidua cultura & irrigatione adolescit fœcundiùs. Huic interpretationi inseruit id, quod suprà in Isagoge *cap.* 6. obseruaui, scilicet vnguentum *susinum*, quod ex liliis conficiebatur ad leuigandam & expoliendam faciem adhiberi solitum à puellis in gynæceis formam curantibus, vt proinde satis accommodate sponsa dixerit, post dictam curam & culturam formæ lilia candenti, tam colore, quàm odore, haud dissimilem se esse.

Occurrit sponsus, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, id est, ita se habet sponsa mea, nam ad eum modum exculta & expolita lilium imitaris, coloris, odoríque præstantia, ac cæteris virginibus pedissequis tuis sic venustate excellis, sicut lilium spinis, aut carduis: & quidem inter alias leges Epithalamij, altera est vt sponsa suis pedissequis nuptialia pangentibus & celebrantibus præferatur; quam Theocritus ad vnguem obseruauit in Epithalamio Helenæ, vbi sic cecinit,

Quater sexaginta puellæ de muliebri iuuentute
Ex his nulla vitio caret si cum Helena comparetur.

Hanc legem expleuit etiam & seruauit Statius, Catullus, & inter alia Epithalamij præcepta enumerauit Iul. Scaliger. Sponsus ergo ea verba, quæ sponsa fortassis si se dimittens dixerat, ad maximam illius laudem intorquet. Non aliter, inquit, decore & elegantia reliquis puellis pedissequis tuis tu præis, quàm carduis spinarum aculeis hirsutis lilium aliquod lene & pulchrum; & quidem paucis verbis sponsam extulit mirum in modum, in primis enim eam sic commendat, vt reliquas puellas cum ipsa compositas syluanis & monticolis similes esse affirmet, quia cum carduis vepribúsque easdem comparat, quæ in locis spretis & incultis præcipuè prouenire consueuerunt; commendatur autem sponsa, non ab elegantia & pulchritudine tantùm reliquis collata montanis fœminis, dum lilij ad instar inter carduos florere dicitur, sed cum primis à pudore & honestate; non enim solum lilium pudoris exhibet simulacrum candore suo, verùm etiam spinæ aculeis hirsutæ fœminas notant parum pudicas. Isaias enim de sæculo aureo Euangelij *cap.* 55. *num.* 13. pro vrticis, ac sentibus mixtos, euenturas esse dicit, nimirum pro scortis virgines. sic D. Hieronymus *in eum locum*, cui hæret Thargum Hierosolymitanum. Rursus D. Agnetem virginem lupanari addictam, lilium inter spinas fuisse dixit Ambrosius, nimirum inter scorta, & meretrices inuiolatam virginem. Guilelmus item, qui ad Deiparam traxit ista verba, spinarum nomine, nuncupari vult omnes alias fœminas & puerperas, quæ concupiunt in libidine,

pariunt

pariunt in dolore, & virginitatis florem abiiciunt. Solam autem Mariam lilij vocabulo cenſendam. Ergo dum ſponſus Sulamitem ſuam, velut inter ſpinas lilium obtinere dicit, eiuſdem extollit pudicitiam, cum qua, ſi aliarum puellarum conferatur pudor, impudentia & turpitudo dici poteſt.

His præterea verbis commendat ſponſus facile atque molle ingenium ſponſæ, & ad redamandum procliue, quaſi dicat: Aliæ quidem ſiluanæ fœminæ difficiles plerumque ſunt, aſperæ, ſenticoſæ, (ſi licet dicere) atque agreſtes; nam ſyluana, & ruralis vita tale ingenium & mores conciliare puellis ſolet; tu verò inter omnes lenis, facilis, & lilij ad inſtar mollis. & quiden ſentibus, atque ſpinis, aſperas, & difficiles fœminas notari ſatis oſtendit ille alius, qui carmine ludens in fœminam, quam aliquando difficilem & horridam expertus fuerat, ſic aiebat,

——*Si tango aſpera lædis*
Spina velut auſas pungit acerba manus.

Fortaſſe etiam cùm lilium inter ſpinas eſſe dixit aliarum puellarum, notauit inuidentiam, vt ſuprà dicebam, quæ ſponſæ pulchritudinem, & ſponſi erga illam amores ægrè ferentes ex liuore & inuidia Sulamitem verborum ſuorum aculeis tanquam ſpinis pungebant, ſequitur enim plerumque formam inuidentia & detractio.

Ad illa verba, *lilium inter ſpinas*, obſeruauit, (neſcio quis,) fortaſſe capienda eſſe de lilio quodam inter ſpinas creſcente, quod ϖεικλύμενον, ſeu *capri folium* vocitant; ſed non tam lilium inter ſpinas ſubortum, quàm cum ſpinis collatum lilium, talem eſſe cum aliis filiabus comparatam ſponſam ſignificat Salomon. Pro ſpinis Hebraicè חוחים *chochim*, quo nomine carduos ſignificari, propriùs obſeruant Rabini; & hæc ſignificatio cadit aptè in præfatum locum.

Verſ. 3. Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

SONVS ALLEGORIÆ.

Sicut malus. Hebr. תפח *taphah*, quæ vox, non malogranatum, vt meditatus eſt Apponius, non malum medicam, vt Ionathæ Chaldæo placuit, ſed aut malum cydonium, quod vulgò dicitur *membrillo*, aut illam vulgarem malum, cunctis ferè regionibus familiarem, malum, inquam, pomiferam, foliorum virore conſpicuam, pomorum odore, colore & ſapore ſuauem, ramis propatulis & denſis, ad opacandum aptiſſimis. Ita fert communis tum Latinorum, tum Græcorum, tum Hebræorum conſpiratio.

Secundum eſt, malum ipſam, & mali arboris poma amorum fuiſſe quondam ſimulacra & ſymbola. Adi Euſtathium *in lib.* 8. *odyſſ.* & Pierium *lib.* 54. & alios plures, in quibus licebit inuenire Virgilij, Theocriti, Catulli, Propertij, & Nicandri, plurimas & loculentas de hac re ſententias, nimirum amores ſub malo editos, ſub eadem ludos miſcere amantes, item pomis ſe petere, ac donare, & alia eiuſmodi ſcommata.

Sed non liquet, qualis ſit malus iſta, quæ amantibus in pretio eſt. Alij citream malum eſſe affirmant; alij malum cydoniam. plures malum pomiferam; ego verò nullam excludo, ſed tres dictas malos, citream ſcilicet, ſeu aurangiam, cydoniam & pomiferam, inter amantes ſine diſcrimine celebratas fuiſſe autumo.

Sub vmbra. Hebraicè צל *zel*, metaphoricè ſumi ſolent pro defenſione, aut protectione. Arborum vmbræ, non eodem modo recreant & proſunt his, quæ ſubtus illas ſedent. Multarum enim arborum vmbræ nociuæ, ac damnoſæ: at præmiſſarum malorum vmbræ ſalutiferæ ſunt, ideo ſponſa non alicuius nimium frondoſæ & opacæ arboris vmbram elegit, nam hæ ferè inſalubres eſſe ſolent, ſicut etiam arborum agreſtium, ſed mali, vt ſponſo ſuo non tam iucundam, quàm ſalubrem vmbram accommodaret.

Communis interpretatio in ſono litteræ perſiſtit, & ſponſam id tantùm contendiſſe, ait, vt leges amœbæi carminis obſeruaret, laudem ab ſponſo in ſponſam iactatam cumulatè referens. Nam cùm audiſſet illud, *ſicut lilium inter ſpinas*, &c. acceptam laudem in ſponſum, non ſine fœnore retorquet, dicens: *ſicut malus inter ligna ſyluarum*, &c. quaſi diceret: comparaſti me lilio, quod tantum candore ſuo oblectat, ſuaueolentia demulcet. Ego contrà, cum malo elegantiſſima arbore te compono, quæ decore ſuo & amœnitate oculos paſcit, florum & pomorum odore mares recreat.

Hacte

Hactenus pares,deinceps vincit. Addo etiam pomorum dulcedinem gustui suauem, atque vmbram ad perferendum diei æstum non ingratam, atque adeò nullum ferè sensum propria delectatione defraudatum relinquit.

Rursus: quemadmodum sponsus alias puellas cum sponsa compositas ad instar obtinere dixit carduornm & spinarum; ita etiam sponsa reliquos sodales cum sponso collatos, robora planè quercus, ornos, aut si quæ in syluis, saltibusque horridiores arbores enascuntur,appellandos esse dixit: *sicut malus inter ligna syluarum,sic dilectus meus inter filios.* quibus verbis quatuor,aut quinque eximias laudes sponsi complexus est, quibus illum reliquis montanis pastoribus præuerti ostendit. Prima est corporis elegantia & pulchritudo, nam malus arbor in primis decora, ramis propatulis, foliis densis,virore grato,pomisque ex albo, aureoque colore ad temperiem infectis, & aliqua ex parte modicè rubenttibus.

Tertia est ingenium facile,& humaniores mores;propterea enim sodales reliquos, syluestres arbores apellauit; quia cùm agrestem vitam egissent & montanam, agrestes & montanos mores hauserant, & ab omni alienos humanitate; sponsum autem ideo mali nomine insigniuit, quia accepta cultura ad mansuetudinem eruditus, nequaquam ingenio & moribus agrestis euaserat: itaque malus inter ligna syluarum, est vir cultus inter agrestes.

Quarta cõtinetur illis extremis verbis, *sub vmbra illius quem desideraueram sedi,*&c. Dubiũ quid *vmbræ*, quid *fructus* nomine significetur;Legionensis per *fructus* amplexus & basia,& ab illo Delrius noster libauit. frigida & iniucunda expositio,non probo.

Reliqui per *vmbram sponsi*,protectionem,opem, & auxilia nunquam sponsæ defutura,accipiunt;per *fructus* autem gustui pergratos, suauissimos eiusdem amores, quibus iam perfruebatur sponsa. Nam,vt suprà dicebam,hæc maximè propria malorum, siue cydoniorum, siue pomorum significatio. Hæc ferè interpretes,qui alij alia comminiscuntur.

Ego verò,qui hæc verba,sicut alia,quæ præcedunt,& subsequũtur,ad ritus nuptiales referri debere existimo, aliter sentio. Cogita ergo, sponsam quæ ab sponso in domum syluanam, & ad hortum amœnum iam inde translata fuerat, & nuptiali cœna iamiam excipienda erat, arrepta inde ansa, hæc verba miscuisse, *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* id est, nihilo secius sponsus meus eminet inter sodales, qui cum ipso ad nuptias veniunt, quàm malus in horto consitus inter robora fagos & ornos, quos sylua producit; ille scilicet cultus, hi inculti & agrestes; ille placet, hi sordent ac displicent;ille nimirum malus mihi est arbor amœna & amores cordi inspirans; cæteri verò præ illo propter agrestes mores ad odium me conuertunt. quasi dicat: Olim cùm rura & campos ego inculta incolebam, placebant fortasse syluani & inculti pastores; iam verò postquam sponsi mei beneficio culturam accepi,vnus sponsus meus,qui solus cultissimus & meritissimus est,arridet.

Attexit Salomon: *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* hæc verba ad nuptialem ritum referri debere omnino sentio cum nostro Sanctio Centumputeolano, qui huius hemistichij sententiam percalluit. Nullus ergo in sacra Scriptura modicè versatus ignorare potest, verbum *obumbrare*, ad nuptias pertinere, sicut etiam verba *tegere*,aut *operire*; ita suadent illa verba Archangeli ad Mariam,Lucæ 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quæ Beatam Virginem ab Spiritu sancto in sponsam assumendam germanè significant, & à nuptiali quodam ritu antiquis Hebræis familiari deriuatus est. Confirmat hoc locus Ezechielis *cap.*16.vbi Deus Hierosolymam sponsæ nomine sic affatur: *Transiui per te, & ecce tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus,& facta est mihi.* Concinit etiam locus Ruth, quæ postulans nuptias Booz,sic ipsum alloquitur: *Expande pallium tuum famulam tuam, quia propinquus mihi es,*&c. De hoc ritu nuptiarum,ita sentio,sponsum extenta chlamydis altera ala sponsam operire solitum; idque symbolum esse protectionis, ac defensionis, quam iure coniugij suscipit maritus; hoc enim sonare videntur verba Ruth, & communi vsu priuatorum hominum ita factitari solitum mihi persuadeo; at in nuptiis splendidioribus, quas vel Reges, vel alij ditiores & opulentiores optimates celebrabant, cum morem seruare facilè credo, quem noster Centumputeolanus commemorat, vt scilicet sponsa tunc cùm in ædes sponsi translata interiorem domum subibat, vnà cum sponso sub pallio, aut conopeo sederet, quod vulgo dicitur *Dosel*, & thalami quoque

nomen

nomen olim fuiſſe, ſuadent hæc verba *Pſal.67.* vbi de tribu Beniamin, quam Deus ſibi ſponſam aſciuerat, ſic fatur: *Quaſi in thalamo tota die morabitur.* & Septuaginta verterunt: *Deus obumbrat ſuper eum*; ibi autem glorioſi conſidentes, tam ſponſus, quàm ſponſa pactum connubiale inibant, inuicem promittentes, & fortaſſe etiam iurãtes, tradenteſque ſe ipſos inuicem, verbis conceptis, quibus coniugium ſtabiliri conſueuit. Hæc omnia complexus eſt Propheta, illis verbis, *& expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, & facta eſt mihi.* Quia ergo prædictum velum, aut conopeum expedire ad ſponſam gloriosè excipiendam partium erat ſponſi, ideò illi obumbrare & ipſam protegere dicebatur. Atque adeò Sulamites noſtra ad eum ritum & morem adludens, aſſumpta mali arboris comparatione, aptiſſimè dicit, *ſub vmbra illius, quem deſiderabam, ſedi.* Quaſi dicat: ſponſus meus mihi *obumbrauit*, quia ſubter illius pallium, aut velum gloriosè ac ſplendidè ſedens pactum connubiale cum ipſo contraxi, atque ipſi eo nomine tradita ſum. Quid plura?

Et fructus eius dulcis gutturi meo. Per malum arborem, cum qua ſponſa componit ſponſum, malum cydoniam intelligi, ſuprà admonui, cuius fructus, quia colorem auri imitatur, chryſomelum, id eſt, aureum malum appellari ſolitum, affirmat Ioannes Aporta *in ſuo Pomærio*, & alij paſſim hiſtoriæ plantarum Autores, & quidem de hoc malo, me iudice, interpretari debent illa verba Maronis,

Aurea mala decem miſi tibi, cras altera mittam.

ídque malum in amoribus & inter amantes maximè celebre olim fuiſſe, ſuadet mihi carmen præmiſſum; quamuis enim mala medica, ſeu citrea, quæ vulgò *Narantia* dici conſueuerunt, aurea quoque appellari ſoleant, tamen longè abſum vt putem, Virgilium tam inconditè loqui, vt paſtorem inducat mala *narantia* acria & auſtera ad amicam iucundioris doni loco mittentem.

Sed quid inde? hinc certè duas interpretationes præmiſi hemiſtichij, depromere integrum eſt. Alteram quidem offerunt Plutarchi verba in tractatu qui inſcribitur, *Præcepta conuiualia*, ad Polianum & Euridicem amantiſſimos coniuges, vbi ſuadens illis blandimentis mutuis vti, inter alia ſic fatur: *Namque iuxta Venerem veteres Mercurium vno in ſacello collocarunt, quòd voluptas genialis ſermonem poſtulet, Suadamque, & Gratias, blandimentis vt impetrent à ſe mutuo, ea, quæ fert, animo, non certamine, neque contentione, ſolúmque præcepit vt ſponſa vorato malo cydonio, cum ſponſo diſcumbat: obſcurè nimirum ſignificans, oris & vocis debere gratiam primùm comem eſſe & ſuauem.* De more iſto deguſtandi malum cydonium ante nuptias, nihil lego in ſacris, niſi illa, quæ ſequuntur verba: *ſtipate me malis.* quæ de cydoniis interpretanda mox dicam. Nullus tamen ignorat, plurimos ritus nuptiales, Hebræis ac gentibus communes fuiſſe, vt ſuprà in Iſagoge *cap.6.§.2.* non perfunctoriè probaui. Si ergo non inſueta Hebræis fuit præguſtatio iſta mali cydonij ante nuptias, ſatis aptè dixit ſponſa, *& fructus eius dulcis gutturi meo*; illud enim compertum eſt, nullum pomum, aut fructum ita ſuauem, aut ſapidum guſtum poſt eſum in ore relinquere, ſicut malum cydonium, vt citatus Aporta obſeruat loco ſuprà laudato. Hinc ergo ſuam anagogiam deſumpſit Plutarchus, affirmans, ideò malum cydonium præguſtari ante nuptias, quia poſtquam ſumptum eſt, os & guſtum bellè ſapidum relinquit, vt proinde ſponſa, ſapida etiam ac ſuauia verba ſponſo emittere & efflare poſſit. Id quoque, ſi voles, ſignificare poſſunt illa verba, *Dulcis gutturi meo.* Quaſi dicat: ſponſus meus malus eſt, non alia niſi cydonia, eius ego fructus, id eſt, amores & blandimenta iam inde guſtaui, quæ meliorem ſaporem, ori ac gutturi meo infundunt, quàm mala cydonia præguſtata, vt in *ſponſum* meum æquales blanditias & delinimenta refundam.

Secunda interpretatio petenda eſt ex alio ritu in nuptialibus conuiuiis ſolenni, quem iam ſubiicio. Lecti, ſeu tori, in quibus diſcumbere ſolebant conuiuæ, non ſolùm floribus ſparſis ornari, ſed etiam malis cydoneis inſtrui ac ſtipari conſueuerunt, apud antiquos, quia nimirum putabant eiuſmodi mala naribus admota odore ſuo caput contra ebrietatem roborare, ac deguſtata, & in ſtomachum dimiſſa, vini vapores prohibere, ne caput inſcendant. ſuadet hoc locus Athenæi *lib.3.* vbi Pterſichorum Poëtam ſic canentem inducit: *Multa mala cydonea iaciebant in torum Regis: multa etiam myrti folia, roſarumque ac violarum elegantes corollas.* Ad hæc Timæus apud eundem, inter alia conuiuij oblectamenta numerat, *vnguenta, roſas & mala.* Sed morem iſtum loculentiùs comprobat locus Prouerb. cap 25. *Mala aurea in lectulis*

argenteis, verbum dictum in tempore ſuo. vbi per mala aurea, non alia intelligo, niſi cydonea, nam, vt ſuprà animadduerti, eiuſmodi mala, *chryſomela* appellantur ab Athenæo, Ariſtotele & aliis: *poma* ſcilicet *aurea*, propter auri colorem, quo infecta videntur, ac de his locutum Maronem, cum pleriſque ſentio, cùm dixit: *Aurea mala decem miſi tibi*, &c. Rurſus lectulos argenteos non legimus, niſi in conuiuiis, quod apud profanos auctores valde obuium eſt, & in ſacris litteris non deſiderabis. nam *Eſther* 1. in deſcriptione conuiuij, quod exhibuit Aſſuerus in nuptiis Vaſthi Reginæ, ſic habes: *lectuli quoque aurei & argentei ſuper pauimentum, ſmaragdino ac pario ſtratum lapide.* Notiſſima etiam antiquorum conſuetudo parabolas, problemata, & grauiores quaſdam ſententias & ænigmata in cœnis iaciendi, ac ediſſerendi, de qua multa diximus *in Proœmio lib. Prouerb. & cap. 8. verſ. 1.* & alibi etiam dicemus in hoc Cantic. & in nuptialibus ſympoſiis non inſueta, ſuadet locus *Iudicum* 14. vbi Samſon cœnam illam datam in nuptiis mulieris Philiſthinæ ab ipſo adamatæ problemate, aut ænigmate illo condiuit, *de comedente exiuit cibus*, &c. Hæc autem problemata, leporem & venuſtatem habebant, cùm opportunè ac tempeſtiuè dicebantur, vnde *Eccleſ. 9. cap. 32.* de ordine ac tempore, quo eiuſmodi ſententiæ in conuiuiis forent iactandæ, non pauca ſcribuntur, ab illis verbis, *loquere maior natu*, &c. Ad hæc Plutarchus *in ſympoſio*, non ſemel affirmat, eum morem, ſiue philoſophandi, ſiue grauiores ſententias iactandi, propterea celebratum in conuiuiis, vt ſobriùs epularentur, & ebrietati mederentur; nam cùm ad ſoluenda ænigmata, & parabolas interpretandas, multo conſilio ac mentis robore opus eſſet, ne mens vel ad proponendum, vel ad reſpondendum vino hebeſceret, parciùs bibere cogebantur.

Iam intelligis quò tendam; Salomon ergo in dicto loco, ſic aptiſſimè pronunciat: *Mala aurea in lectis argenteis, verbum dictum in tempore ſuo*, id eſt: quemadmodum mala aurea, aut cydonea in lectis, ſeu toris epularibus miſſa, ebrietati medentur, ſic etiam, & longè meliùs, quodlibet problema opportunè dictum inter epulas ebrietatem arcet, & caput roborat, ne immoderati vini vaporibus tentetur. Hæc certè adnotari debent pro interpretatione illius carminis, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis*, quæ paulò pòſt occurrit. Interim autem ad explicationem huius loci conuerti poſſunt ad hunc modum.

Pone ob oculos tuos ſponſam ac ſponſum in conuiuio nuptiali ſuper torum genialem floribus ſparſum, & malis cydoneis ſtipatum diſcumbentes, ac deinde ſic concipe, ſponſum quidem arrepta ex floribus anſa, ſic ſponſam ſuam alloquutum: *ſicut lilium inter ſpinas*, &c. de quo ſuprà, ac rurſus ſponſam ex malis cydoneis accepta occaſione, eiuſmodi ſponſo ſuo verba dediſſe: *ſicut malus inter ligna ſyluarum*, &c. quaſi dicat: inter mala aurea diſcumbens, maliſque ſtipatus. Non diſſimilis malo mihi videris natiuis fructibus onerato, ac nihilo ſecius ſodalibus tuis antecellis, quàm malus præſtat roboribus aliiſque ſilueſtribus & infœcundis lignis. Ego verò infrà te diſcumbens in lecto geniali, *vmbra tua ſum*, eo ſenſu, quo paulo antè dicebam *cap. 1. verſ. 16.* Vel vmbram tuam capto, fructibúſque tuis, hoc eſt, deliciis atque blanditiis, quin etiam graui & ſeria oratione inter epulas dicta, longè melius confirmor, quàm malis cydoneis guſtatis, vel grauis & ſeria oratio, quæ ex ore tuo fluit mihi. pro *chryſomelis* eſt ad ſaporem, vt ſcilicet ea ſapiam & intelligam mente integra, quæ mihi delicatè & iucundè proponis, ſeu commendas.

Cæterùm de his fructibus aliis alia meditati ſunt. Multi hiſce fructibus dona ſponſalitia, videlicet inaures, armillas, torques, atque pretioſas veſtes, quibus viri ſponſas donare ſolent, notari volunt. Addo etiam dotem ipſam: priſcis enim de more fuit ſponſas dotare, omnia demum emolumenta, quæ à viro in ſponſam redundare conſueuerunt: alij rurſus filios intelligunt, quos vel habere fingitur, vel ab ſponſo ſe ſuſcepturam ſperat, hi enim fructuum nomine inſigniri ſolent paſſim in diuinis litteris, *Lucæ* 2. Eliſabeth ad Deiparam: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Similiter etiam *Deuteron.* 18. illius qui Dei præcepta cuſtodierit: *Benedictus dicetur fructus ventris.* & Pſalm. 126. *Filij merces fructus ventris.* & 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Threnor. 2. *Vide Domine, & conſidera quem vindemiaueris ita: ergo ne comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ.* quæ expoſitio ad Eccleſiæ & eiuſdem cum Chriſto connubia ab illo ſuſceptos filios facilè acciri poteſt.

Cæterùm, licèt eiuſmodi fructus ad myſteria vocati, alia atque alia ſignificare poſſint,

ſint,tamen ſi in cortice allegoriæ perſiſtamus,ſic coniectare licet, hæc verba ſpectare etiam ad morem libandi munuſcula ante nuptias, quod officium ſponſa ſibi ab ſponſo exhibitum in amoris argumentum, non indecorè declarat his verbis: & quidem præcipua munera, quæ amoris inſinuandi gratia ab ſponſis ad ſponſas deſtinari ſolebant ante nuptias, erant vtique mala, aliquando integra, aliquando etiam admorſa. Apud Lucianum *in Dialog.* qui *Toxotis* inſcribitur,legis corollas & mala quędam morſu tacta in amoris argumentum cuidam à quoquam miſſa;& Catullus narrat, miſſum ab ſponſo clanculum malum, quod aduentu matris ex virginis gremio proſilierat. Mitto Virgilium,Theocritum,Tibullum & alios, & Antiphanis verba. Accipe apud Athenæum,quæ ſic habent: Hæc accipe virgo mala, pulchra quidem. boni, pulchra ſanè,&,vt aptè obſeruauit Homeri Scholiaſtes, quoties vir ad puellam aliquam mala mittebat,eius ſe nuptias ambire teſtabatur.

*Verſ.*4. Introduxit me Rex in cellam vinariam,& ordinauit in me charitatem.

SONVS ALLEGORIÆ.

INtroduxit me. Hebr. *Introducite me*,ſicut etiam infrà, *ordinate in me.* Vtrumque de numero multitudinis,quam lectionem ſequuti ſunt Symmachus,Ambroſius,& alij Patres Græci; interpres noſter non immeritò putauit numerum multitudinis pro ſingulari acceptum,vt hic ſermo ſponſæ cum antecedente congrueret,niſi velis ſponſam ad pediſſequas puellas ſermonem intendiſſe, atque his denunciaſſe, vt ipſam in cellam vinariam inducerent, ſuamque dilectionem erga ipſum, ibi oſtentaret. Sed hæc interpretatio à reliquo textu abhorret plurimum.

In cellam vinariam: in domo vini. Conſonat tranſlatio Septuaginta. Sed quid cella vinaria, aut domus vini? Plures apothecam intelligunt, aut promptuarium vino, atque omni ciborum & bellariorum genere refertam, interpretantur, vulgò *diſpenſa.* Alij eam ædium partem accipiunt, in qua vina conduntur,Hiſpanè *Bodega.* Vtramque expoſitionem repudio. Ego quidem *domum vini* triclinium, ſeu cœnaculum intelligo, in quo nuptiale conuiuium exhiberi oportebat,nam vinum in Scriptura,omnem conuiuij apparatum ſignificare conſueuit. Eccleſ.31. *Gemmula carbunculi in ornamento auri,& comparatio muſicorum in conuiuio vini.* & rurſus,*ſicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi,ſic numerus muſicorum in iucundo & moderato vino.* Habet iſta ſententia patronum Origenem, cuius verba ſic ſe habent, id eſt, *in iucundo ac moderato conuiuio.* Domum etiam in Scriptura pro cœnaculo accipi,nemo doctus ignorat. Prouerb.8. *Sapientia ædificauit ſibi domum*,id eſt,cœnaculum ſplendidum. Lege ibi multa quæ in hanc ſententiam cumulauimus: ergo ſponſa dum ſe in vinariam cellam, aut in vini domum inductam prædicat,in ampla cœnatione & triclinio lauto,opiparóque conuiuio ſe exceptam oſtendit,iuxta ſolennem nuptiarum ritum, *Eſther* 1. *Geneſ.*17. & 24. *Iob* 8. *Ioan.*2.& alibi.

Ordinauit in me,&c. Hebr. *Vexillum eius ſuper me dilectio.* דגלו id eſt,*vexillum eius.* Vox certè ad militiam ſpectans, quod ſic efferendum eſt: dilectio illius prouocauit, vel laceſſiuit me,ſeu militauit, & aciem inſtruxit contra me, atque hunc ſenſum amplexatus eſt vulgatus interpres, cùm dixit, *ordinauit in me charitatem.* Nam illud *in me*, idem ſonat quod *contra me.* Et verbum *ordine*, ſicut etiam verbum τάσσω, quo vſi ſunt Septuaginta, ad militiam quoque pertinet; itaque illud, *ordinauit in me charitatem*,ſic interpretari opus eſt: ſuum contra me inſtruxit,&,ſi licet dicere, obarmauit, & ad pugnam produxit,amorem.

Communis interpretatio huius allegoriæ ſonum ad hunc modum exponit: *Introduxit me in cellam vinariam.* hoc ſcilicet debeo ſponſo meo, quòd me in apothecam, ſeu penum vino & aliis ciborum generibus refertum induxit, horum omnium mihi copiam faciens,vt ex illis delicatè victitem. Addere etiam non ineptè poſſent id quod ſuprà *cap.*1.*verſ.*4. non perfunctoriè diximus,ad illa verba, *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* De annulo nuptiali, ſeu claue, cuius traditione ſponſa, omniúmque ſponſi erant,communionem & domeſticæ rei perfecturam accipiebat,hæc enim & alia,quæ in eum locum coniecimus,ad hunc transferre procliue eſt, *& ordinauit in me charitatem*; amorem, ſcilicet, meum ſic diſpoſuit, ac compoſuit in me, vt nihil inordinatè, nihil præpoſterè adamarem, ſed omnia ordinatè & conſentaneè, vt nimirum ante

alios,& præ aliis ipsum diligerem & expeterem,& voluntati eius nihil præferrem, vel aliter: *suam ipsius in me charitatem ordinauit* sponsus,quia cùm omnium rerum suarum compotem fecit, facilè declarauit me ante alios, & præ aliis dilectam & expetitam, talem quippe ordinem sibi præscripsit, ad redamandum, vt nullam aliam sponsam priori loco poneret, quàm me.

Ad hunc sensum, non sine lepore transferre licet lectionem originalem: *Vexillum eius super me dilectio.* id est, dilectio sponsi erga me debellauit, expugnauit me, atque adeò supra me tanquam supra castrum aliquod expugnatum erexit vexillum suum. Quasi dicat: ego quidem non facilis, aut leuis ad nuptias veni, sed multa obsidione & expugnatione opus fuit, vt sponso acquiescerem meo, traditionem mei sponsalitiam non secus illi faciens, quàm solet castrum aliquod fortè post longam obsidionem victori tradi. quæ similitudo non abhorret à nuptialibus cõmerciis. Nam verba illa Hieremiæ: *Mulier circumdabit virum*,&c. ad hunc sensum pertinere, aliàs me dixisse memini, id est, non vtique mulierem vir (vt aliàs euenire solet) sed contrà: mulier virum ambiet ad nuptias, illum videlicet circundans, & quasi, facta obsidione, cogens,vt sibi consentiat.

Vel aliter: Dilectio mea erga sponsum, ipsa expugnauit me, id est, non ab alio, quàm ab amore debellata & deuicta, ad nuptias veni, sed ab amore superari, perquam glorioſum est. Ideò vexillum sponsi supra me susceпi, vt eius imperio & votis perpetuò subiecta sim.

Sed licèt hæc non ineptè dici queant, ego de cortice huius allegoriæ longè aliter sentio, existimo enim sponsam in descriptione nuptialis cœnæ, quam prima nuptiarum nocte sponsus illi exhibuerat, totum versari; idque meliùs vt teneas, aliqua prælibare opus est, quæ ad sententiam huius carminis plurimum conducunt; illud verò cum primis obseruare oportet. In lautioribus epulis & sympoſiis more comparatum fuit, vt amici amicos lacesserent ad bibendum; fiebat autem ad hunc modum: Bibens alter,precabatur amico suo salutem, & ea ratione adigebatur alius ad bibẽdum, & reciprocas salutes precandas. huius rei præclara mentio habetur Eccles.31. *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.* & Eccles. cap.9. *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum ea in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam.* Ad hæc inter leges alias, quas tulit Assuerus pro conuiuiis, altera erat, ne quis alium lacesseret ad bibendum; sic enim habes in lib.Esther cap.1. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret quisque quod vellet.* qua lege ebrietati in primis consuluisse videtur, cauens scilicet, ne alij præbibentes & salutantes alios ad bibendum & resalutandum ad crapulam vsque adigerent. Simile est illud Platonis *in conuiuio*, vbi sic Aristoxenus: *Decretum est* (ait) *in cuiuscumque arbitrio fore quantum bibat, neminem verò supra quàm velit cogi.* Hanc verò legem indixerunt sibi illius sympoſij conuiuæ, ne libantes inuicem ad crapulam vsque contenderent, mensque ad disceptandum de amoris argumento,haud libera esset. Deinde existimo Assuerum id voluisse, vt quicumque biberent, sibi soli precarentur salutem, siquidem precari inuicem non licebat. Cui etiam adsimile valde est illud Dionys.Cassij *in vita Augusti*,vbi inter alios hunc illi honorem decretum esse ait, vt omnes pro salute eius in conuiuiis biberẽt: id autem fiebat, quia his precationibus inter calices prosperæ fortunæ bonum omne dari existimabant.

Et, ni mea me fallit opinio, ex hac consuetudine lucem accipit locus Genes. 44. *Scyphus, quem furati estis,ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet.* vbi de hoc Ioſephi augurio alius alia superstitioſa. Ego verò de hac salutandi inter bibendum consuetudine capiendum existimo, ex qua bonum omen captari existimabant, quæ Hebræis etiam erat solemnis, & nihil habebat superstitionis. Et quidem Athenæus *lib.1.cap.3.* hoc augurandi verbo vsus est, pro verbo salutandi, hanc consuetudinem recensens,vox etiam Hebræa originalis aptè cadit: est enim à radice נחש *naehas*, quæ non tantùm auguria captare,aut omnia ex quadam superstitione,sed quocumque modo coniectari significat. Genes. 30. *Experimento didici quòd benedixerit mihi Deus propter te.* Hebr. *inauguratus sum*,id est,coniectura quadam diuinaui,&c. Sic ergo ait seruus ille: *Calix, quem furati estis, ipse est, in quo dominus meus bibit*; nec bibit tantùm, sed augurari solet, quia suis inter bibendum amicis salutes precatur, boni cuiusdam ominis gratia coniiciens, inde & quasi diuinans futurum, vt bonam

eius

eius precationem Deus bene vertat. Qua ratione tacitè furantium ſcelus auxit quòd eum calicem furto abſtuliſſent, quo in compotatione præterita Ioſeph præbibens ſæpe, illis precatus fuerat ſalutem haud bonam, pro ea gratia, gratiam referentes.

Bibentes etiam *Deos* appellabant, & ſalutabant antiqui Græci & Romani. Hebræi verò vnum Deum: hinc Dauid Pſalm. 10. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Hebr. *Calicem ſalutum.* Item *amicas.* Martial. *lib.* 1.

Næuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycia, Lyde quatuor, Ila tribus.

id eſt, iuxta numerum litterarum, & eiuſmodi plura apud prophanos ex ſacris. Eccleſ. 9. *Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & ne alterceris cum ea in vino, ne fortè,* &c.

Hæc autem ſignificatio amoris, & beneuolentia, haud dubium quin ſponſæ præſtari ſoleret, imò verò illud certum, atque exploratum eſt inter alios ritus nuptiales, qui ad hoc vſque tempus à Iudæis obſeruantur; illud quidem ſolenni cæremonia teneri, vt ſua coniugia, hauſto vino conſtabiliant; nam poſtquam verba emiſerunt, quibus pactum connubiale firmatur, maritus & vxor duos calices, ſeu phialas vitreas vino plenas manu tenent, & poſtquam alter alteri delibandas dederunt, impactas inuicem ſupra peluim infringunt, vt vinum quod ex coniugum præguſtationibus ſuperfuit, in vnum coëat. & quidem iſta ſolemnitas pacti ſponſalitij, minimè noua, ſed perantiqua eſt, vt ſtatim dicam. Alius etiam ritus inter recentiores Iudæos ſatis celebris eſt, vt ſcilicet maritus & vxor cùm cibos ſumunt, calicem vini certis precationibus dedicatum, acceptis, datíſque inuicem, hauſtibus, veluti ſorbillando exſiccent, quod olim quoque in vſu fuiſſe apud Hebræos, colligitur ex *cap.* 12. *ſecundi lib. Regum.* vbi Nathan Propheta adulterium Regis Dauid, ſeueriùs incuſans, vxorem Vriæ ſub parabola ouis deſcribens, ſic ait: *Pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum, de pane illius comedens, & de calice ipſius bibens.* quæ verba non obſcurè inſinuant morem prædictum vxoris & mariti, bibendi ſcilicet ex eodem calice, per hauſtus & libationes mutuas.

Rurſus aliæ quædam amoris ſignificationes exhiberi ſolebant in conuiuiis, hæc autem erant donaria, aut munuſcula ad amicos deſtinata, locus ſuperior, potior ac maior ciborum, pars quorum varia, in variis ſacræ Scripturæ locis habetur mentio. 1. *Regum cap.* 9. Samuel in honoris & amoris argumentum armum deſtinauit Sauli. *Geneſ.* 43. Ioſeph quoque tribuit munuſcula fratribus conuiuio exceptis, & creſcit admodum portio Beniamin, ſic enim dicit: *& mirabantur nimis ſumptis partibus*, quas ab eo acceperant, & maior pars venit in Beniamin, itavt quinque partibus excederet.

Sed quid ſignificent partes in hoc loco, iam inde ſubiicio, illa profectò apud antiquos non vulgaris ſignificatio amoris, qua amici erga amicos, & ſponſi erga ſponſas exhibere ſolebant, nimirum delicatiores fructus, aut epulas mordere, & præguſtare, admorſaſque & præguſtatas ſuis quemque conficiendas donare, quemadmodum etiam hodie vſu venit. Meminit Apuleius *lib.* 8. Partéſque ſurreptas, clanculum & præguſtatas à ſe portiones offerebat hilaris, &, ni fallor, eiuſmodi ſemeſas portiones Latini *partes*, Græci μερίδας appellare ſoliti ſunt. Suetonius in Caligula: *Qua epulatione Equiti Romano contra ſe hilariùs, auidiúſque veſcenti partes ſuas miſit.* & Lampridius de Alexandri Seueri parſimonia, ſemper de manu ſua miniſtris conuiuij, & panem & partes aut olerum, aut carnis, aut leguminum dabat. & Apuleius lib. 11. *Abi fatue, qui in domo funeſta cœnas, & partes requiris.* Quapropter non ineptè quiſquam diceret, id officij à Ioſeph fratribus præſtitum in beneuolentiæ argumentum *Geneſ.* 44. cùm dicitur, *& mirabantur nimis ſumptis partibus, quas ab eo acceperant.* Taceo innumera alia humaniorum litterarum teſtimonia, quorum cenſum facere, eſſet valde longum, & vbi diuina ſuppetunt, valde inutile. Ex omnibus verò vnius Athenæi verba ſubiiciam, qui plures conuiuas honorandi rationes paucis complexus eſt, Homericum epulum recenſens *lib.* 1. *cap.* 4. his verbis: *Sunt autem in conuiuijs ſui præſtantiſſimis viris honores. Diomedes & carnibus & pluribus poculis honoratur. Aiaci honoris cauſa longa terga boum afferuntur, ſimiliter & Regibus. Pateris quoque multis ſedili & carnibus ſarpedonem honorificè decorant. Licij ſalutabant olim ſe mutuò propinantes: itaque dij viciſſim excipiunt ſe ſe pateris fulgentibus auro, id eſt,* δεξιῶνται, *hoc eſt, correctis dextris inuitant, & ſaluere iubent. Achillem etiam* ἐδεξίωντο, *id eſt, ipſi propinans poculum*

dextra obtulit: de sua portione quisque largiebatur quibus esset libitum. Hactenus Deipnosophista.

Hæc si teneas, quæ nemo doctus ignorat, huius loci germanam sententiam facilè assequi poteris. Nam sponsa in cellam vinariam, vel in domum vini, hoc est, in triclinium introducta, vbi cœna nuptialis exhibebatur, ita pronunciat: *ordinauit in me charitatem.* quæ verba duplicem sensum reddere possunt. Alter est, tunc cùm primùm in cœnaculum ab sponso introducta fui, pactum nuptiale ritu solenni stabiliui, ad coniugalis amoris & vnionis significationem, datis videlicet, acceptisque inuicem vini calicibus, quibus deinde effractis, coëunte in vnum vtriusque pateræ vino, mutui amoris indiuisa conuentio, & rerum omnium indiscreta communio, quæ inter coniuges esse debet, præclarè adumbrabantur. hanc vim habent verba illa, *ordinauit in me charitatem*, id est, coniugalis amoris ordinem, & conditiones omnes eo symbolo mihi demonstrauit, vt scirem inter eos, quos matrimonium copulat, nihil non commune, nihil non vnum atque idem futurum.

Alter sensus est, *ordinauit me in charitatem*, id est, dilectionem suam contra me disposuit in conuiuio nuptiali, cùm scilicet me in vino prouocauit, ac lacessiuit, cyathos prælibãs, ac mihi propinans, & me inter bibendum salutans ad amoris significationem. Et quidem amatores & sponsi suas vel amicas, vel sponsas ea ratione propinationibus lacessere, & cum eisdem munusculis & vino altercari solitas in conuiuiis, euincit planè illud Ecclesiastici testimonium suprà adscriptum, quod magnam lucem affert huic loco: *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam*, &c. Obserua vocem illam, *& non alterceris*, quæ pugnantium est, vt intelligas illum veterem modum certandi in conuiuiis pugnæ nominibus notari. cui simile est illud Eccles. *Diligentes in vino noli prouocare.* concinit etiam locus Pariasidis Poëtæ apud Stobæum, *Age dum hospes, qui bibis, hoc etiam virtutis est, siquis in virorum conuiuio, plurimos calices exiccauerit, sciteque alium prouocauerit, tam inter epulas fortis vir esse potest, quàm qui in bello pugnas sequitur luctuosas, in quibus pauci animosi sunt, ac Martem impetuosum excipiunt.* Rursus verba illa, *cum aliena muliere ne*, &c. dum illam amoris significationem cum aliena fœmina fieri prohibent, cum propria, hoc est, cum vxore exequi persuadent. Quamuis autem id non exprimit, non dubitandum, quin semper Sulamites reciprocam suo sponso retulerit gratiam, vt duellum ex vtraque parte ad finem conuiuij produceretur.

Quòd si adhuc contendas, illud *in me*, esse in auferendi casu, vt plerisque interpretibus videtur, non insulsa euadet sententia in hunc modum: *ordinauit in me charitatem*, ipse videlicet sponsus, me lacessens & prouocans, præmissis modis repugnandum, hoc est, ad parem amoris ostentationem. Quid plura? id quod de propinationibus diximus, integrum est ad alia amoris documenta extendere, quæ in splendidissimis conuiuiis exhibere suprà animaduertimus, scilicet partes destinare, munuscula offerre, ex eodem calice bibere, ex eodem catino edere, &c. vt sensus sit: Inter me ac sponsum meum diu multumque certatum, & altercatum est, in conuiuio omnes prædictas amoris significationes, datis acceptisque vicibus mutuò exequentes, ne quid genio & amori sponsalitio deesset.

Vers.5. Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo.

SONVS ALLEGORIÆ.

Fvlcite me floribus. Septuag. pro *floribus*, *vnguenta* reddiderunt. Rabini *phialas*, aut *cyathos* vitreos mero coronatos. Origenes, *myrrhas*, & alij alia. in originibus est אשישות *asisoth*, quod fulcimenta, aut fundamenta interpretari licet: Origenes autem, qui *myrrhas* conuertit, delusus fuit, quia cum septuaginta Interpretum vestigiis inhæret, pro μύθοις, legit μύρρις, cum duplici ρ. noster Vulgatus pro *fundamentis flores* conuertit; *fundamenta* verò strata lectorum tricliniarium intellexit, quæ floribus aspergebantur, vt suprà *cap.1. vers.vlt.* dicebam. de quibus Esther *cap.1.* iuxta lectionem septuaginta Interpretum: *lecti aurei, & argentei, & strata pellucida variè floribus distincta, & orbe rosæ sparsa.*

Malis. יפוחים *Iapuchim.* Multi mala, seu poma vulgaria interpretantur, alij mala cydonia, his assentior.

Langueo.

Langueo. Septuaginta, *vulnerata ſum.* Symmachus pro *amore* philtrum ſubiicit, eodem ſenſu Pagninus: *ægra amore ego ſum.* In originibus eſt חולת *chulath*, ex radice חלה *chalah*, id eſt, *ægrotare*, aut *infirmari.* Adde etiam *vulnerare*, & *percuti.*

Vulgatus appoſitè reſtituit, *amore langueo*, non quemlibet languorem ſignificans, ſed eum, qui ex vino, non parca potatione accidere ſolet. nec abhorret hoc à ſignificatione verbi *chalah.* Nam *Oſeæ* 7. ſic habes: *Dies Regis noſtri cœperunt Principes furere à vino.* in primitiuis eſt החלו *Hechalu*, id eſt, ægrotare à vino; quaſi dicat, Principes languidi facti ſunt ex nimio potu, & quidem languor, qui ex vino accidit, non eſt crapula, aut ebrietas perfecta, ſed aliqualis paſſio à vino, cùm ſcilicet caput tentare incipit: hinc eſt illud Horatij infrà citandi,

Languidus in cubitum ſe ſe conuiua reponit.

id eſt, cùm conuiuæ ponit caput, vinum tentare incepit, ſuper cubitum innixus, caput manu ſuſtinet, vt eo modo à languore recreetur.

Communis ergo interpretatio, allegoriam iſtam ſic ediſſerit: Sponſa amore ſponſi ſauciata in deliquium animi & cordis defectionem incedit, atque adeò ſic exanimata, floribus ac malis, vel etiam vnguentis ſubitò ſubueniri ſibi poſtulat, quia hæc omnia cordi prodeſſe ſolent. Vel, ſi placet, phialas quoque ac cyathos poſtulat vino plenos, quia vinum etiam cordi amicum eſt. Multa hîc interpretes de amoris æſtu, ſeu languore ſcribunt, prolixiùs declarantes, qua ratione in deliquium inducat, qualiter ſauciet, ac vulneret, quomodo etiam febrem, morbum, imò etiam mortem infligat, ac de his affectionibus amoris plura ex Medicis, nonnulla etiam ex Patribus congerunt teſtimonia; lege non pauca, in noſtro Centumputeolano, qui etiam de voce Hebraica *Aſiſoth*, multa eruditè comminiſcitur.

Ego verò, qui nihil non ſerium & graue in hac allegoria miſceri credo, adduci non poſſum, vt credam hîc per languorem aliquod deliquium animi, vel cordis intelligi, quo ſponſa exanimata ceciderit. Et multò minus mihi probatur id, quod aliqui dixerunt, ſponſam quidem non verè exanimatam, ſed perinde locutam, ac ſi exanimis facta fuiſſet; quia id non inſolitum fœminis, quæ quo amatoribus magis placeant, ſe graciles fingunt, & deliquia quædam mentiuntur. Abſit enim à laudabili fœmina res tam putida. Sed quia tam antecedentia, quàm ſubſequentia ita ſuadent, exiſtimo, ſponſam in deſcriptione nuptialis conuiuij adhuc perſiſtere: & quæ ſuprà dixerat, ſponſum propinationibus, inter virum & vxorem, conſuetis, aliiſque amoris ſignificationibus, ſecum certaſſe inter epulas geniales, nunc aperire, & quid ſibi in eo certamine & altercatione acciderit, perſpicuè declarare.

Succedat ergo memoriæ id, quod ſuprà dicebam *cap. 1. verſ. vlt. & cap. 2. verſ. 3.* roſas & mala, quæ in lectis tricliniorum ſpargebantur, capiti mederi, cùm à vino tentatur. Quibus adde illud Clementis Alexandrini *in Pædagogo*, vbi de vſu florum in conuiuiis verba faciens, ſic ſcribit: *Roſarum autem, & violarum, qui emittunt odores, cùm ſint modicè frigidi, grauedines capitis coërcent.* Vide hac de re plura apud noſtrum Hieronymum de Prado *in Ezechielem cap. 23.* ad illa verba, *& coronas ſpecioſas in capitibus eorum.* vbi etiam docet, in conuiuiis vnguentorum vſum contra ebrietatem inductum fuiſſe. Mala etiam, vel cydonia, vel melina, ſeu vulgaria, odore ſuo caput roborant contra ebrietatem. Athenæus *lib. 3.* non longè à principio, & ob eam cauſam Baccho ab antiquis conſecrata fuiſſe dicit; producítque Theocritum hæc canentem: *In ſinu Bacchi mala cuſtodiens, in capite geſtans albam populam, & ſacrum ramum Herculis.* lege Aportam *in ſuo pomærio*, & Auctorem hiſtoriæ plantarum, in *Malo.* Addo etiam id moris aſpergendi roſas in triclinijs, ſicut etiam vnguenta infundendi ad virgines ſponſæ pediſſequas ſpectaſſe; id probant verba Apuleij *lib. 6.* vbi cœnam deſcribens, quam maritus obtulit in nuptiis Pſichæ Horas & gratias, quas illi comites & ſocias dederat; hoc munus obiiſſe affirmat. *Horæ*, inquit, *roſis & cæteris floribus purpurabant omnia, gratiæ ſpargebant balſama.* Hos, aut flores per quædam interualla ſpargebant dictæ puellæ ſupra conuiuas. Ita docet Stukius *lib. 3. Antiquit. conuiualium cap. 2.* vbi multa de florum ac coronarum vſu in conuiuiis, legere integrum eſt.

Illud etiam compertum eſt, propinationes, & quæ ex his aboriri ſolent concertationes & prouocationes, ſæpe ad ebrietatem conuiuas compellere; nil certius: hinc eſt illud Eccleſ. 34. *Diligentes noli in vino prouocare; multos enim exterminauit vinum,* &c. Nemo etiam ignorat, ebrietatem in myſteriis habere bonum ſenſum, vinum enim amorem Dei adſignificat, & gaudia, ſeu delitias ſpirituales notat: *inebriabuntur*

ab vbertate domus tuæ, ipsam etiam beatitudinem designat, *Iam non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum nouum in regno Patris mei.* Et quia in his rebus excessus non adscribitur vitio, sed quo magis augentur & superant, eo meliora sunt, ideò ebrietas quæ excessum sonare videtur, in his bona & honesta est.

Iam intelligis quò tendam, cogita sponsam cùm ad cœnã nuptialem excepta esset ab sponso suo propinando, salutando, aliasque amoris significationes inter epulas exhibendo, lacessitam & prouocatam fuisse, eidemque sponso vicem semper detulisse iuxta morem solennem illius temporis suprà adscriptum. Sed quid inde? Certè vinum haud parcè potatum, caput illius inuadere cœpit, hoc sibi volunt illa verba, *amore langueo*; languorem enim vocat crapulam, ipsius caput iam iam appetentem, & *amorem* appellat dictas propinationes & salutationes ex amore profectas, quas superiori versu *charitatem* dixerat. Accipe verba Bernardi in hunc locum: *& secundùm spiritum quoque sponsam non negat ebriam, sed amore, non vino; nisi quòd amor vinum est.* Ergo sponsa in duello illo geniali, quod cum sponso inierat in conuiuio, huic honestæ, ac liberali ebrietati manus iam iam datura, floribus, ac malis, à puellis pedissequis postulat sibi succurri, quæ scilicet caput languidum contra ebrietatem & crapulam mirificè roborant. *Fulcite*, inquit, *me floribus, stipate me malis.* Et quia caput ex vino langueſcens nihil ita iuuat, quàm illud manu sustinere, aut super stratum mole deponere, id quoque auxilij sibi ab sponso dari infrà postulat, verbis sequentibus, *læua eius sub capite meo.*

Sed quorsum flores & mala cydonia? Certè ad roborandum caput & cor, quod non ita intelligo, vti sponsa ebrietatem illam honestam & liberalem prohibere velit, & significationes amoris ab sponso in ipsam editas intermitti postulet, sed id velle atque expetere, vt caput ac cor eo auxilio florum atque malorum robur accipiat, vt sui omnino compos duellum susceptum cum sponso suo producere possit. Sed aliquid etiam de languore isto, quem sponsa patiebatur, iuxta communem expositionem dicamus. Certè, languor animi ex amore, duplici modo accidit; aliter enim exanimatur & languet amans cùm fruitur ob voluptatem nimiam, & effusum gaudium, aliter cùm amat, ob contentionem, seu intentionem; in primis enim voluptas quæ ex amore captatur, quatenus est in appetitu corporeo dilatatione cordis fieri solet ex Aristotele & Galeno: cor autem dum se se exporrigit, atque dilatat, tantundem loci occupat, vt pulmo spatij expers hæreat, & spiritus intercipiatur; hinc est, vt subita lætitia correpti quidam voces, aut verba interrupto spiritu efformare non possint. Adde etiam quosdam animam efflasse. Non ita accidit languor propter amoris intensionem, sed quemadmodum in vehementioribus sensibilibus euenire solet, vt potentia magnam obiecti vim ferre non potens, omnino læsa cedat, nimirum oculi ad lucem immoderatam hebescunt, & auditus graui sonitu obtunditur; ita etiam cor sedes appetitus, vbi aliquid amabile nimis obiicitur, tanta id vi & contensione prosequi nititur, vt cassis viribus deficiat, hinc deliquia & languores, &c. Ergo sponsa quæ tot, tantaque erga se amoris signa à sponso exhibita experta fuerat, & fruebatur, & amabat; tamen languorem illum & deliquium, non fruitio, aut voluptas immodica, sed magis amoris intensio effecit; nam sponsi erga se amorem considerans, quem tot argumentis ostentarat, ad redamandum, omnes vires promebat suas quoad cor robore destitutum elanguit, propterea floribus & malis sibi maturè succurri postulat, quæ vim habent roborandi, ac confirmandi cor. Dixi autem languorem ex amoris impetu, non ex lætitia & voluptate euenisse, quia si inde accidisset, floribus & malis sibi mederi non postulasset, quæ cordi exhilarando prosunt maximè; quapropter ea ratione non leniret, sed augeret infirmitatem.

Ad superiorem sensum reuocari debet translatio septuaginta Interpretum. *Firmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulnerata amore ego.* Nam vnguenta in conuiuiis sicut flores & mala antidota ebrietatis erant. Lege multa de hoc argumento in Stukio *antiquitatum conuiualium lib. 5. cap. 3.* Et sanè metaphoram certaminis inibi inter sponsum & sponsam perurgentes addunt Septuag. in concertatione amoris sponsam *vulneratam* fuisse, id est, quasi vulnere quodam accepto in ea compotatione exanimem cecidisse. Mitto alia.

Vers.6.

Verſ. 6. Læua eius ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me.

SONVS ALLEGORIÆ.

COmmunis ſenſus huius allegoriæ verba hæc accipit vt ſonant, quibus nihil aliud ſignificari autumant interpretes, niſi Sulamitem ab ſponſo ſuo ſinu exceptam fuiſſe, ſuadente interim ſomnos ipſa forma diſcumbendi,quandoquidem læua manu caput illius ſuſtinebat ſponſus, & dexteram ſuam collo eiuſdem implicabat, iuxta illud Michææ 7.*Ab ea, quæ dormit in ſinu ſuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Atque eo ſopore & modo ſuauiùs molliúſque diſcumbendi ſponſam à præterito languore recreari oportuiſſe affirmant.

Sed quamuis hæc idonea ſint, tamen de cortice huius allegoriæ, alia mihi mens, alia ſententia.Vera igitur & germana loci expoſitio poſtulat,vt primum de loco vxoris in conuiuio nuptiali aliquid dicamus. In primis conſtat vxorem infra maritum in toro accumbere ſolitam. Suetonius de Caij libidine in eius vita *cap.*4.ſuadit:*Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque conuiuio, ſingulas infra ſe viciſsim collocabat, vxore ſupra cubante.* Hæc ait, probro vertens, quòd legitima vxore loco pulſa,ſorores, quaſi iuſtas vxores, infra ſe collocare ſolitus eſſet. Item Cicero *lib. 9. Epiſt.* in epiſt. quadam hilariore, ſic ait: *infra eutrapelum citharis accubuit*, eius videlicet vxor

Secundò ex lecti, vel tori diſpoſitione eueniebat,vt vxor caput in mariti ſinum deponeret, ſi vellet, & hic etiam, ſi vellet, ipſam complecteretur. Apuleius in nuptiali ſympoſio lib.*6.nec mora,cùm cœna nuptiali affluens exhibetur,accumbebat ſummum ſponſus torum Pſichem gremio ſuo complexus; ſic & cum ſua Iunone Iupiter*, &c. Ouidius item ad puellam, quæ cum viro ſuo cœnatura erat,

Alteriuſque ſinus aptè ſubiecta fouebis,
Iniiciet collo, cùm volet ille,manus.
Nec premat indignis ſinito tua colla lacertis,
Mitte,nec in rigido pectore pone caput.

Præſtat omnibus locus Ambroſij *in cap.*15.*Lucæ*, de Ioanne ſupra pectus Domini in cœna recumbente. *Nónne*, inquit, *tibi videtur Chriſtum cecidiſſe in collum Ioannis quando erat Ioannes in ſinu Ieſu, ceruice recumbens reflexa? & ideo Verbum apud Deum vidit, quia erectus eſt ad ſuperna.* Id verò fieri oportuit, vt Chriſtus Ioannem non ſemel in cœna complecteretur, Chriſtus enim in ſummo toro accumbens, illum infra ſe proximum habebat,qui erat locus ſponſæ,vt ſuprà dixi.

Tertiò notandum conuiuas initio conuiuij pronos in ventrem puluinis pectoribus admotis decumbere ſolitos, quo vtraque manus eſſet liberior; procedente verò conuiuio ſe ſe in cubitum reponebant. Ita Plutarchus *lib.*3.*ſympoſiacon,quæſt.*6. Rationem hanc afferens, cur initio cœnæ anguſtiùs, poſtmodum verò laxiùs diſcumberetur. hinc Horatius *lib.*2. *ſatyr.*4.

Languidus in cubitum ſe ſe conuiua reponit.

Apuleius lib. 9. *Et primum me quidem menſam accumbere ſuffixo cubito perdocuit.* Dictum autem de amica, quæ quo ſe in eius pectus inſinuare poſſet, illum cubito incumbentem cœnare docuit. Sed præſtat omnibus locus ille Eccleſ.1. non ſemel aliàs recitatus,*Cum aliena muliere ne ſedeas,nec accumbas cum ea ſuper cubitum*,&c. Qui ergo alienæ hunc locum interdicit, permittit ſanè propriæ vxori. Illud autem exploratum eſt,conuiuas,non in dextrum, ſed in læuum cubitum reponi, vt dextra manus libera eſſet ad ſumendos cibos. Nil certius.

Ergo Sulamites in nuptiali ſympoſio procedentibus epulis ebria, vel potiùs languens in ſponſi brachia & amplexus ſe ſe de more inſinuans,opportunè dixerit: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* quaſi dicat: hoc debeo ſponſo meo, quòd in conuiuio nuptiali, me tanquam vxorem legitimam infra ſe ipſum in eodem toro accubare facit, atque procedente ſympoſio ſupra cubitum (vt moris eſt) innixus, locum mihi fecit, vt ſuper pectus illius recumberem. Vlteriùs etiam capiti meo ex præterita propinatione langueſcenti manum læuam ſuppoſuit, & collum meum dextera implicauit. Hæc autem mihi præſtitit lubens, quia eius eram vxor amantiſſima. Et hæc eſt germana huius loci expoſitio.

Verſ.7.

Verſ.7. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis,neque euigilare faciatis dilectam,donec ipſa velit.

SONVS ALLEGORIÆ.

VT contexatur huius ſermonis ſeries,quidam aiunt,ex deliquio animi inter ſponſi brachia, Sulamitem ſopore victam obdormiſſe.(ſic enim euenire conſueuit naturæ quadam lege,vt corpora reficiantur, & priori valetudini donentur.) Deinde verò hanc,vt meliùs decumberet,ſomnúmque produceret, brachiis ſubleuatam in thalamo leniter depoſuiſſe, & ne puellæ colloquentes ſomnum abrumperent, ſilentium pariter & quietem indictam,his verbis : *Adiuro vos per capreas ceruóſque camporum.*

Sed mirum quàm iſti diſtant à vera huius loci intelligentia ? & quàm putida & leuia ſponſæ imponunt. Reuocanda ſunt in memoriam quæ in Iſagoge huius interpretationis diximus de duplici genere nuptialis carminis,altero matutino excitatorio, quod manè dicebatur,ad excitandam ſponſam:altero veſpertino,quod ſcilicet veſpere canebatur ad ſomnos ſuadendos. Item *cap.1. verſ.5.* tam diuinis, quàm humanis aſcitis teſtimoniis fuiſſe probauimus Epithalamia & nuptialia carmina pangere, ad puellas pediſſequas ſpectare, & hanc eſſe legem Epithalamij veſpertini, vt cantus in ſomnos deſinat,ſicut etiam matutini,vt ab excitatione incipiat,vt ibidem fusè probauimus,principia & fines ſingulorum Epithalamiorum ad libellam vocantes.

Híſque poſitis, aptiùs ad naturam huius carminis dicemus in hoc primo Epithalamio, quod planè veſpertinum eſt,in primo die nuptiali ad veſperam dictum,pediſſequas puellas decantaſſe ſponſis ſui amoris auſpicia, ſponſalia, dona ſponſalitia, nuptias, & nuptialem cœnam ; hæc enim maximè propria materies primi Epithalamij. Cùm igitur cantus prolixior ſomnum conciliaſſet ſponſæ, inducitur ſponſus puellis pſaltriis & tympaniſtriis ſilentium imperans, adiuránſque eas, vt cantum intermittant,donec ipſa ſponte euigilet. Ex quo apertè colligitur, poſtea etiam euigilanti decantandum. Nam illis verbis, *ne ſuſcitetis dilectam donec ipſa velit*, non aufertur, ſed differtur muſica ; iam ergo,ſi placet,de ſingulis verbis dicamus.

Adiuro vos,&c. Septuaginta Interpretes, *Adiuraui vos filiæ Hieruſalem, in virtutibus,& in viribus agri*, &c. effecit hoc anceps natura dictionum Hebraicarum. Nam pro *capreis* צבאות *tſebaoth*, quæ vox *exercitus* & *virtutes* ſonat, & ſilueſtres etiam *capreas* : pro ceruis אילות *ailoth*, ab אל *el*, quod verbum *fortem* ſignificat,& vires,aut robora licet conuertere. Ergo iuxta vulgatam lectionem aliqui ideò dicunt puellas Sulamitis ſocias adiuratas per capreas ceruóſque camporum, ne dormienti obſtreperent, quia venationi deditæ finguntur, venatricibus autem nil gratius,quàm ceruum, aut capream iaculo configere, vel in retia compellere ; itaque per rem illis gratiſſimam eas adiurat. ſic Origenes,Nyſſenus & alij, qui Palæſtinas virgines venationi addictas probant,quia Tyriis vicinæ, de quibus Poëtarum princeps,

Virginibus Tyrijs mos eſt geſtare pharetram.

Itaque,*adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas*, &c. perinde erit,ac ſi diceret : Ita veſtris iaculis & ſagittis plurimi cadant cerui & capreæ. Alij lectionem illam ex primitiuis hauſtam expendentes,*ſi ſuſcitetis,& ſi euigilare faciatis*, &c. meliùs fortaſſe & aptiùs affirmant hanc adiurationem execratoris, & comminatoriam eſſe, hoc ſenſu : nullæ capreæ ac ceruæ veſtris ſagittis ictæ cadant, ſi hoc committatis, vt ſponſam ſomno indulgentem excitetis ; ſic Rabbi Salomon. Sed Guidazerius hanc execrationem confirmat hoc modo : Imprecor vobis, ô puellæ,vulnera, ac mortem non diſſimilem ei, quam appetunt capreæ atque cerui venatorum ſagittis confixi, ſi ſponſæ meæ ſomnos abrumpere audeatis. Non diſplicet.

Sunt etiam, qui caprearum, atque ceruorum nomine harum virginum amatores adumbrari putant, atque per ipſos factam adiurationem ; & certè caprarum, hinnulorum & ceruorum nomina inter amatoria recenſeri ſolita, probat locus Prouerb. cap.6.verſ.18. *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ,cerua gratiſſima, & gratiſſimus hinnulus vbera eius inebrient in omni tempore.* Non ſemel etiam ſponſa dilectum ſibi ſponſum his nominibus compellat,fortè, quia cerui in compares ſuas amore ferentur ardentiſſimo. de quibus Seneca,

Sic coniugio timuere ſuo,
Poſcunt timidi prælia cerui,

Et

Et mugitu dant concepti
Signa furoris.

Fœminæ item maribus fidem præſtant, donec ab aliis priores victi ſuccumbant. Addo etiam, caprearum nomine ipſaſmet puellas accipi poſſe, alij cenſuerunt; ita enim appellatur fœmina in præmiſſo Prouerb. loco: *Cerua gratiſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te.* pro hinnulo, Hebraicè *ibix*, ſeu *caprea*, & iuxta iſtam acceptionem, adiurationem iſtam per ipſarum puellarum capita factam fuiſſe, non ineptè dicemus, ita vt ceruorum nomine amaſij, caprearum verò ipſæmet adamatæ puellæ capiantur, ſiue quia pulchræ & elegantes, vt Hebræus anonymus obſeruauit; nam capreæ ac cerui inter cæteros animantes pulchritudine præſtant, ſiue propter amoris æſtum, quo ſe mutuò depereunt, ſiue etiam propter metum, quem illis incutere voluit ſponſus, ne ſponſæ ſuæ ſoporem interpellarent; nam cerui & capreæ cum primis timidæ ac formidoloſæ ſunt.

Sed tamen aliquid etiam ex propriis de ſono iſtius allegoriæ libens pronuncio. Præmittere autem oportet, duos eſſe adiurandi modos: alter eſt comminatorius, alius deprecatorius; & quidem Septuaginta, hanc ſponſi adiurationem, per comminationem quandam expreſſiſſe videntur, cùm aiunt: *Adiuraui vos in viribus & virtutibus agri, ſi ſuſcitaueritis dilectam*, &c. Particula enim *ſi*, comminationem ſonat. contrà Vulgatus magis per deprecationem, ſuam adiurationem exformaſſe videtur. Nam pro particula *ſi*, ſubiicit, ne ſuſcitetis; ſed hic modus adiurandi, minas etiam habere ſolet. Deinde obſeruandum eſt, inter ruſticos quaſdam eſſe iurandi formulas peculiares, ipſis familiares, & non aliis, quibus non tam iurare, quàm iuramenta eludere conſueuerunt, quales illæ apud nos: *Viue Diez, viue Dioſle. Voto a San Iunco, voto a dos maraüedis*, &c. quæ omnes à ruſticis vſurpari ſolent, & qui eiuſmodi vtuntur formulis, ſi initia & ſonitum ſpectes verborum, Deum ipſum obteſtari videntur, vel Sanctorum aliquem: ſi verò exitus conſideres, à Deo & Sanctis plurimum abhorrent & diſſonant. Ad eumdem modum veteres, non tam vt breuitati ſtuderent, quàm vt religionem Sacramenti ſeruarent, quaſdam iuriſiurandi formas corrupiſſe arbitror, ne palam Deos obteſtari viderentur, vt illæ, Medius fidius, Ædepol, Ecaſtor, me Hercle, & alia eiuſmodi.

His prælibatis, cogita maximè ſolennem iuriſiurandi formulam apud Hebræos eſſe: per Deum exercituum iurare, Hebraicè אלטבאות *elteabaoth*, vel *Elohimſebaoth*, quid certius? Igitur paſtores & ruſtici, communem corrumpentes formulam, per אילות סבאות *Ailoth tſabaoth* iurabant, quod iuſiurandum vulgarem formam imitatur, & tamen ab ea plurimum diſtat. Initio Deum exercituum dicas obteſtari, tandem capreas & ceruos in teſtes adduci comperies. quæ verborum commutatio, ruſticis, paſtoribúſque accommodatiſſima eſt. Igitur dum ſponſus puellas adiurat per capreas, ceruóſque camporum, ruſticis ſolenne iuſiurandum vſurpat, accommodatiſſimè ad carmen bucolicum.

Ad hæc hanc adiurationem ita eſſe deprecatoriam exiſtimo, vt minarum aliquid etiam cohibeat, nimirum, quaſi dicat: Vos per capreas ceruóſque camporum obteſtor, ne ſomnum dilectæ, canentes abrumpatis, & væ vobis ſi dormientem excitatis à ſomno, ne ſi precibus ſolùm ſecum agi putarent, fortaſſe ſuperbirent, id enim eſt ingenium fœminarum, vt metu concuſſæ pleniùs iuſſa perficerent.

At, inquies, quod iudicium ferendum de lectione Septuaginta? non repugno ſi vltima expoſitio tibi arridet, ex qua conſtat voces illas *Ailoth tſabaoth*, ad imitandam, ſimulatione quadam, communem formulam iurandi inductam eſſe, nihili facies, an capreæ & cerui, an virtutes & robora interpretentur; tota enim vis iuriſiurandi in adumbrata illa ſimulatione conſiſtit, ſicut in communibus etiam formulis, quarum ſuprà cenſum feci. Exempli gratia: *Viue Dioſle, voto a San Iunco*; in his enim non obſeruamus ſignificationem, (eſt enim abſurda & ridicula,) ſed alluſionem; ſi verò ſignificationis etiam rationem habere velis, ſubiiciam quandam non contemnendam interpretationem.

Ergo verba iſta, adminiculo aliorum exponens, quæ *Geneſ. 4. num. 12.* habentur, vbi ſic Deus ad Caim: *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, etiam cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos*; ſi autem verbum ex verbo expreſſum reddas, *non dabit tibi robur ſuum, aut vim ſuam.* quod perinde eſt, ac ſi diceret: Non profert terra fructus tibi ſecundùm robur ac vim ſuam, id eſt, tantum, quantum poteſt, vel abſolutè

non

non edet tibi fructus ſuos; hi enim telluris vires ac robora dici aptè poſſunt, quia ad illos pariendos, terra vim ſuam, vel robur expromit. Iam igitur intelliges,quid ſubſit illis verbis,*adiuro*,vel *adiuraui vos* (hæc enim eôdem recidunt) *in viribus & virtutibus agri*,&c. id eſt, per illa omnia, quæ tellus edit, nimirum ita veſtris gregibus amœna paſcua ſuppeditet ager pro ſuis viribus; ita vineæ vobis pro robore vuas, & arbores pomaque parturiant, ne dilectam à ſomno excitetis. Quod ſi comminatoriè, quod ſatius reor,accipias,ſic dicendum: Nec ager veſtris gregibus paſcua,nec vineæ vuas, nec arbores poma omnino,vel ſecundùm robur & vires ſuas germinent, ſi dormientis ſponſæ ſoporem interpellabitis.

Rogabis tandem,quid ſibi velit illud,*Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam?* Reſpondeo eiuſmodi repetitiones valde familiares eſſe Hebræis. Et ſanè idem eſt vtrobique verbum in fonte, nimirum prius in Siphil, poſterius in coniugatione Poël; quod optimè expreſſerunt Septuaginta: *Ne ſuſcitaueritis,nec reſuſcitaueritis dilectam*; & reddit hunc ſenſum: Non modò non ſuſcitabitis,ſed nec tantiſper euigilare facietis,ſed tandiu ſomno indulgere patiemini,quoad ipſa ſponte euigilet.

EPITHALAMIVM SECVNDVM MATVTINVM, SECVNDA NVPTIARVM die decantatum manè primo.

INCIPIT *hîc nouum drama,nouúmque Epithalamium matutinum,ad ſponſam excitandam, iuxta ea,quæ ſuprà notauimus. Et quidem ipſa verba per ſe ſatis oſtendunt, ad ſponſam à ſopore excitandam compoſita,& matutinam cantilenam eſſe, qua Sulamites ſurgere iubetur è thalamo,& ad vineas ocyùs contendere. Sed cur(inquies)primus egreſſus ſponſæ ad vineas? quia nimirum nuptiæ & nuptiales cœnæ, aliaque magnifica conuiuia in hortis ac vineis exhiberi conſueuerunt. Tullius de Antonio, ſic ſcribit* in 2. Philipp. *Hodie non deſcendit Antonius;cur?* Dat natalia in hortis. *Sed præſtat locus* Eſther 1. *vbi nuptiæ Vaſthi & conuiuium nuptiale in horto peragitur. ſic enim habes:* & iuſſit conuiuium præparari ſeptem diebus in veſtibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu conſtituerat. *id eſt,per ſeptem nuptiarum dies. vide plura in Iſagoge* cap.3.§.6.

Illud etiam obſeruandum, hanc cantilenam ſicut reliquas omnes excitatorias huius Cantici,ad ſolam ſponſam intendi, propterea quòd ſponſus ſemper Sulamite dormiente, longiùs abire dicitur,ne ſi in eodem thalamo decumbere,& vnà ſimúlque dormire ſuſpicari liceret, turpe aliquid & obſcœnum veniret in mentem. Ideò etiam paſtor fingitur ſponſus, vt fugæ nocturnæ cauſa ſubeſſet,cura videlicet pecorum,quibus ad pabulum educendis,totam ferè noctem impendere ſolent paſtores. Eapropter poſtquam puellis,ne ſponſæ obſtreperent, mandatum eſt, ſtatim ſe proripit ſponſus, & aliò declinat, & tota illa ſcena peracta eſt. Exinde non alia ſcena, nouúmque Epithalamium ſumit initium, in quo reditus ſponſi ex ſyluis ad reuiſendam ſponſam, aliaque mox dicenda pro excitatione illius occinuntur à puellis.

Itaque hoc Epithalamium continet matutinam excitationem ſponſæ à voce ſponſi aliunde redeuntis, & prouocationem ad vineam, ſeu hortum reuiſendum,ad quem ſuperiori nocte tranſlata fuerat,vt aliàs non ſemel monuimus. Rurſus,quia,iuxta ea,quæ diximus ſuprà cap.1.verſ.15.*ſponſa ſuperiori nocte nondum faciem aperuerat ſponſo,retecto craſſiori velo, quo hactenus vſa fuerat; neque vocem ſuam eiuſdem auribus inſinuauerat,ipſum alloquens in prima perſona, quippe quæ in præmiſſo Epithalamio nondum ſponſum*

ſum affata eſt in propria perſona; ſed de ſponſo ad virgines pediſſequas ſemper locuta fuit, vt ex ipſo textu patet, & ſuprà cap.1.verſ.14. *vberiùs diximus. Iam nunc ſponſus cupidus vultum & faciem videndi ſuæ Sulamitis, feneſtras domus obire dicitur, id contendens, ſi forte per rimas & obiectos cancellos, ipſam inopinantem non viſus videat. Deinde poſtulat, vt detecto velo faciem ipſi aperiat, detecto, inquam, velo craſſiori, & accepto flammeo ſubtili, & pellucenti, quod ſponſo nouæ nuptæ dare ſolebat. Ad hæc, cupidus, eandem ſponſam audiendi, petit etiam, vt vox eius auribus inſonet ſuis; nam iſta duo, nempe prima faciei detectio, ſubobſcura quatenus per noui flammei ſubtilitatem licebat, & vocis inſinuatio, ſermóque ſponſæ ad ſponſum directus, inter ritus ſecundæ diei nuptialis numerari ſuprà in Iſagoge* cap.3.§.6. *adnotauimus. Denique hoc ſecundum Epithalamium abſoluit diſceſſus matutinus ſponſi ab ſponſa, & admonitio de reditu maturo.*

Verſ. 8. Vox dilecti mei: ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.
Verſ. 9. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

IN *montibus*, &c. Symmachus: *Aſcendens contra montes, proſiliens contra colles*, id eſt, à ſuſcepto curſu, montes & colles eum non retardarunt.

Capreæ. Alij reſtituunt *ibici*, quæ altera eſt ſpecies caprearũ, de cuius proprietatibus infrà dicam. Sunt qui hoc hemiſtichium ſic germanè reſtituendum putant. *Ecce iſte adfuit ſaliens in montibus*, &c. *aſſimilans ſe capreæ*, &c. eodem ſenſu, niſi quòd verbum originale eſt in Hiphil, quæ coniugatio importat actionem ſui in ſeipſam.

Interpretes huius allegoriæ torquet nexus horum verborum cum ſuperioribus. Nam cùm ſponſus in præcedenti verſu præſens adeſſet, & tanquam præſens puellis cantatricibus ſilentium imperaſſet, & iam nunc ſubitò è longinquo exiliens & tranſiliens aduenire dicatur, verſus iſti non ſatis cohærere videntur. Ergo Legionenſis, Martinus del Rio, & alij ex Origene, & Theodoreto id fortaſſe elicientes, affirmant ſponſam, quæ nuper ſomno victa fuit, vel referre ſuum inſomnium, vel inter ſomniandum loqui cum puellis. Suadent hoc verba interceſſa, quale eſt illud, *vox dilecti mei*, & perbreuis illa locorum peragratio, & ſpatiorum decurſus, ſine temporum interuallis, quod euenire ſolet ſomniantibus; ſæpe enim ea, quæ debitis locorum interſtitiis, & longis temporum interuallis ſeparata ſunt, ſpectris vnà coëuntibus à ſomniantibus copulantur: quale eſt illud, *ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Cæterùm hæc inſomniorum confícta inductio parum idonea eſt, quia eo minus pergrata ſponſo, quo minus libera, & quia ſpiritualibus ſenſibus, non ita bene inſeruit.

Alij igitur, (in quibus eſt noſter Sanctius) ne ſubitus iſte tranſgreſſus ſententiam difficilem reddat, ſic commenti ſunt, nihil ſcilicet familiare magis Hebræis, quàm præſens tempus vſurpare pro præterito, aliquando etiam pro futuro, nil certius, & ideò ab exemplis abſtineo. Propterea aiunt ſponſam puellis ſuis, nunc referre quæ olim acciderant, cùm ſponſus illius nuptias petebat; qualiter nimirum ex ſyluis & nemoribus citato curſu ad ipſam aduenerat, vti ad fores illius adſtaret, & parietum ſuorum angulis inhæreret, feneſtras & cancellos vndequaque proſpectans, ſi quo modo dilectam ſuam videre poſſet. Plus defero huic interpretationi, quàm ſuperiori.

Sed tertiò alij dicunt, ſponſam iam inde, poſtquam noctem integram dormiendo tranſegerat, manè excitatam faſtigium domus, vel alium locum editum inſcendiſſe, vt inde venientem ſponſum ſpecularetur, ſicut de Anna Tobiæ ſenioris vxore dicit cap.11. *Anna autem ſedebat ſecus viam quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo, & dum de eodem loco ſpecularetur, vidit de longè, & illico agnouit venientem filium*, &c. Idem ergo ſtatuunt de noſtra Sulamite. Nam cùm ipſa dormiente, ſponſus diſceſſiſſet, tunc cùm à ſomno excitata fuit, eius videndi deſiderio ardens è faſtigio domus, tunc ipſum ſpeculabatur, cùm ſubitò venientem conſpicata, lætitia geſtiens, dixit: *Vox dilecti mei*, &c. id eſt, vocem dilecti mei, iam iam audio, qui ſcilicet è ſiluis ad me rediens poſtquam difficiles valde ac longos telluris tractus, magna

velocitate,vt me reuiseret,emensus est. Tandem parieti nostro hærens stat, &c. Non assentior.

Nexus igitur horum verborum, cum superioribus, ex his, quæ iam diximus, peti debet. Cogita ergo sponsam è somno euigilantem quæ situm in lecto sponsum haud inuenisse, quod ipsa testatur in initio *cap.3.* dum ait: *In lectulo meo quæsiui per noctem quem diligit anima mea: quæsiui illum,& non inueni*; vt ex ibi dicendis constabit. Adde etiam sponsum matutino tempore ex agro redeuntem, domui suæssisse; necdum autem limina triuerat, cùm vocem sponsi cum sodalibus suis fortasse colloquentis hausit Sulamites; tunc autem præ gaudio gestiens, detruncata illa verba exprompsit: *vox dilecti mei*, id est, vocem dilecti mei & obaudio,& agnosco. Deinde ad socias conuersa subdit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cùm enim ab illis didicisset sponsa tempus discessus, & aliàs ipsi locus compertus esset, in quo dilectus greges pascebat, collatione facta, planè comperit tantam locorum intercapedinem, tam breui temporis interuallo peragrare non potuisse, nisi sponsus velocissimo cursu ferretur, ideo dixit: *ecce iste venit.* Hebr. מרדג *Medaleg*, in coniugatione Piel, quod significat *venire ocyùs: venit, inquam, saliens in montibus, transiliens colles.* id est, tanta velocitate domum perlatus est, vt non peragrasse, aut emissum fuisse, sed exiliisse potiùs, aut transiliisse montes & colles putandus sit.

Deinde velocitatem illius vt commendet, & causam, seu causas velocioris aduentus assignet, addit: *similis est dilectus meus capreæ hinnulóque ceruorum.* Loculenta profectò comparatio, quam illi amor suggessit. In primis enim velocitatem cursus venuste expressit, cùm non ceruo, sed ceruorum hinnulo similem esse dixit. Nam cerui postquam adoleuerunt grandibus cornibus degrauati, non ita veloci feruntur cursu, & citiùs fatigantur, secus hinnuli, iuniores, inquam, cerui, quibus nondum cornua excreuere. Rursus: ideo dicit ipsum saliisse & transiliisse montes, vt velocitatis modum, cum ipsa ceruorum similitudine conformaret. Nam de ceruorum saltu, plura legere licet apud interpretes, inter quos est D.Bernardus,& Augustinus; ex humanis verò Plinius, Albertus, Ælianus, & alij; cerui enim salientes currunt, & nisi saltum intermiserint, à canibus venaticis assequi non possunt; quapropter id curæ datum venatoribus, vt qua possint arte, velocem cerui saltum, obiecto aliquo impedimento intercipiant; si enim saltum intermiserit, statim deficit, canibúsque in prædam cedit. Addo etiam, ceruum in eam semper partem cursu, vel saltu ferri, in quam venti flatibus incumbunt; quod ideò facit, vt vento etiam impellente ocyor sit cursus, & vt vestigia secum auferat, quibus illum canes olfacientes insectari solent. Non dissimili velocitate sponsus ad suam sponsam perlatus est, vt illam primo manè salutaret, de quo licet pronunciare illud Genes.cap.49. *Ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis*, cursor scilicet velocitate sua ceruum exæquans, & bonum aliquod nuncium perferens. Nam hoc ipsum sponsus præstitit sponsæ suæ, ocyùs ad ipsam veniens,& illi pro salutatione matutina Euangelium, hoc est, bonum nuncium inclamans.

Eandem velocitatem significauit Sulamites, sponsum cum caprea, seu ibice, componens, in quam appositissimè cadunt illa verba: *Saliens in montibus, transiliens colles.* Nam de ibice sic Ioannes Rusius apud Aldroualdum, *Ibix saliendo rupi-capram longè superat, & tantum valet, vt nisi qui viderit vix credat, nulla montium rupes tam edita, aut præceps est, quam non saltibus aliquot superet*, &c. & infrà: *Miræ agilitatis est hoc animal, uiúntque ex vno in alium scopulum desilire solere, sex etiam stadiorum interuallo distantem, quod qui non viderit, difficile credat.* Qua comparatione, satis accommodatè significauit sponsa tunc, cùm ad ipsam contendit sponsus, non paucos difficultatum montes & negotiorum sibi obiectorum scopulos superasse, vt ipsam ocyùs reuiseret primo manè.

Addo etiam hac similitudine hinnuli cerui, montes & colles cursu velocissimo transilientis significari etiam nuptialem amorem, qui ipsum ad currendum impellebat. De nuptiis enim sermo est Prouerb.5. *Sit vena tua benedicta,& lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua gratissima, & gratissimus hinnulus vbera eius inebrient te*, &c. Rursus etiam nemo ignorat in ceruis toto ferè anno mares à fœminis separatos degere, ac solitarios vagari; at cùm tempus succesit, quo sua coniugia peragunt, vulgò, *labrama*, longissimis tractibus peragratis, & altissimis montium iugis superatis, velocissimo cursu ad ceruas currunt. Aptè igitur sponsa sponsum ad nuptias peragendas

agendas ocyùs redeuntem ex ſyluis cum ceruo contulit ſalienti & tranſilienti montes & colles. Adde etiàm, ſi placet, id quod ceruis maximè proprium eſſe dicunt, vt ſcilicet nullus mortalium, eos permiſceri vnquam viderit, vt proinde hac ſimilitudine illud etiam notatum velim, quod nuper dicebam, in hoc Canticorum Canticо ſic conſultum pudori, vt numquam ſponſus cum ſponſa in thalamum conuenire dicantur.

Quid plura? Ceruos etiam tangit zelotypia, quam ſponſo tribuere fas eſt, vt ſcilicet zelo impellente ad reuiſendam ſponſam accurreret. Nam de ceruis eſt illud Senecæ,

Sic coniugio timuere tuo,
Poſcunt timidi prælia cerui,
Et in mugitu dant ſigna.

Ad hanc ſententiam pertinere videntur ſequentia verba: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, &c. quæ curioſam & accuratam mariti domum ſuam obſeruantis, atque explorantis attentionem ſonant.

Denique huius quoque attentionis & obſeruationis ſimilitudinem aliquam à ceruis cicuribus deſumere licet, de quibus ſic noſter Martinus: *Huiuſmodi feræ cicuratæ domum è paſtu ſe referentes, ſi ianuam fortè repererint occluſam, antè ſubſiſtunt, & muſſantes domum circumeant, rimas & aditus rimentur, & capita feneſtris inſerant, quaſi poſtulantes intromitti.* Et idem iudicium eſt de capreis & ibicibus, in quibus ſicut in ceruis hinnuli, ſic miteſcere ſolent, vt inter greges communium caprarum incedentes ire ac redire ſoleant in domos. Qua ſimilitudine ſignificantur mores ſponſi faciles, & ingenium ad omnem manſuetudinem eruditum, omni feritate & acerbitate depoſita.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Proſpiciens, Hebr. מצניח *metſgich*, quod propriè florum eſt è calicibus erumpentium cum ſemihulca vaginula emergentes faſtigia ſumma rubentia oſtentant, nec ſe in calathos explicuerunt. Pro cancellis Græcè δικτύων *retia*, paxillos decuſſatim conſertos intelligo, reciorum in modum, quos feneſtris addere ſolemus, vt ab intus videre, non tamen videri poſſimus, Hiſpanè *zelogias*, quamuis de aliis etiam ferreis virgis, quibus feneſtræ muniri ſolent, capere liceat, vulgò *rejas*. Illud ſolum notandum, ſponſæ feneſtras non peruias, ſed cancellis retibúſque munitas, ita enim pudicam docebat puellam.

Quidam, inter quos eſt Legionenſis, & hæret illi Delrius, comes ſemper indiuiduus, ad neſcio quos amantium luſus & iocos referunt iſta verba; ſolent enim, inquiunt, amantes velata & obtecta facie ad amicas accedere, quo necopinato ſe poſtea oſtentantes, maiori eas perfundant lætitia, nam cùm aliàs ab illis conſpici velint, nolle ſimulant, vt his luſibus amorem condiant, iuxta illud Poëtæ,

Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri.

Sed, vt dicam quod ſentio, leuia ſunt iſthæc, & in grauiter ſerióque amantes minimè cadunt. Alias aliorum interpretationes pete ex ſuperiori verſu, quas etiam non admodum probo. Subiicio quoque aliam, atque aliam, quæ magis accommodatæ videntur. Prior ſic habet: Sponſus, qui dilectam Sulamitem dulci ſomno indulgentem reliquerat, ocyùs ad eam reuiſendam domeſticos lares repetiit. Cúmque ſomnum eius abrumpi nollet (propterea enim diſcedens puellis ſilentium imperauerat,) ne etiam ipſe dormientem adhuc expergefaceret, non ſtatim pulſat fores, ſed accedit cautè, ac per feneſtras, feneſtrarúmque cancellos explorat, dormiatur ne hactenus, an non, ne ſcilicet ipſe ſomnum ſponſæ interpellaret, ne eam legem ipſe violaret, quam puellis nuper præſcripſerat, ne videlicet, excitarent, *donec ipſa vellet*.

Quòd ſi ſponſo zelotypiam tribuere fas eſt (vt nuper dicebam) ſine qua marcet ac friget amor, poſterior expoſitio ſic conformari poterit. Solenne eſt his, quos zelus vrit, cùm abeſſe contigit aliquo tempore, & tandem domum repetunt, non priùs ingredi, quàm explorauerint, quid in penetralibus agatur. horum proprium eſt domos ambire, per feneſtras introſpicere, cancellis oculos, foraminibus aures admouere, vt de his, quæ intro fiunt, certiores ſint.

Igitur sponsus ex syluis regressus, antequam in tectum penetraret, vel fores quateret, per fenestras & cancellos, interiora domus obseruat. Interim autem sponsa, quæ ipsum iam cognouerat ex voce, & viderat, licèt obscurè inter cancellos, ita puellas affatur: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per cancellos.* Et quidem non propterea indignata est sponsa, vt aliæ solent, quin potiùs gaudio affecta est, quia fidei malæ habitæ conscientiam non habebat; & illam sponsi solicitudinem totam ex ardentissimo profectam amore planè cognouerat.

Sed quamuis hæc non inerudite dicta sint, tamen aliquid aliud magis appositum, & cum suscepta allegoria concinnum, magis subiicere licet. Ergo prænotare oportet, hæc verba duplici sensu donari posse: alter est, vt sponsus, postquam domum ingressus fuerat, per cancellatas fenestras in subiectum campos prospiceret: alius verò, vt idem sponsus extra domum manens, per easdem fenestras ædium penetralia oculis exploraret. nam vtrumque sensum capiunt præmissa verba. Ad hæc præmittendum est, præcipuum huius Epithalamii argumentum esse (vt nuper dicebam) primam reuelationem sponsæ, cùm scilicet abiecto pallio cæco & obscuro, quo virgines faciem velare solebant, quodque prima nuptiarum nocte noua nupta retinebat, (vt infrà *vers.* 14. exemplo Liæ facilè demonstrabimus) accipiebat quidem flammeum, subtile, & pellucidum, per cuius retia vultus, non clarè, sed subobscurè se se prodebat. Interim ergo dum sponsa, pudore suadente, faciem velare tanto studio curabat, credēdum est sponsum, amore impellente eiusdem faciei videndæ desiderio maximo ardere. Hoc igitur desiderio sponsi, & suam etiam curam tegendæ formæ explicat Sulamites duplici scommate, iuxta duplicem horum verborum acceptionem suprà adscriptam. Cogita ergo sponsam sponte sua è somno expergefactam fuisse, ac subinde puellas pedissequas, quæ ipsam stipabant, eidem persuasisse, vti è domo syluana, in quam pridie translata fuerat, ad vineam, seu hortum visendum progredi vellet. tunc illa vox, *dilecti mei*, &c. Quasi dicat: non assentior vestris votis, ô puellæ, quia sponsi vocem auribus meis accepi, qui veloci cursu perlatus, intra domum iam existit. *En ipse stat post parietem nostrum*, &c. Id cautè prouidet, vti me ad nemora & vineas forsitan exeuntem per cancellatas fenestras non visus videat, & faciem meam hactenus apertam & velatam oculis suis obeat. quod meā interest cauere, ac vitare.

Vel aliter, pone tibi ob oculos sponsam iam inde à somno excitatam, atque sponsi sui velociter ex syluis redeuntis voce subitò perculsam. Quid inde? Certè, quia pudor ita suadebat, pallium assumpsit, & faciem suam velauit; puellis verò pedissequis, causam significauit, his verbis: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quasi dicat: non temerè pallium meum assumpsi, quia sponsus adest, ac vultus mei videndi desiderio ardens, per fenestras, per cancellos, perque rimas domus introspicit, explorans omnia, si fortè me inopinantem, & alia curantem, inueniat, & formam meam videre liceat, quod nunc cauere, ac vitare pudor suadet.

Vers. 10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

SONVS ALLEGORIÆ.

SVrge, *propera amica mea.* Verbum *propera*, non est in fonte, nec in Septuaginta, nec etiam in Latinis omnibus. in originibus est, *surge*, *veni*, *veni tibi*, quod perinde est, ac surge tu. Septuaginta præposterè legunt extrema verba; sic ergo extulerunt: *Surge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea.*

Communis huius allegoriæ expositio hæc verba sic æstimat, vt sponsus suam Sulamitem ad vineas & agros inuitet; & quia suprà sponsa zelotypiam sponso tribuere visa est, occurrit sponsus, significans perspectam sibi esse sponsæ fidem, & pectus suum, omni suspicione liberum esse demonstrat. Quid enim suspicioſi coniuges verentur? tria omnino. Primum est, se non redamari ab vxoribus; secundum sibi fidem inuiolatam non seruari ab eisdem. Tertium est formam eorum nimis pulchram esse, cui propterea meritò timent, quia procorum libido sæpiùs pulchras & elegantes fœminas tentat, turpes enim atque indecoras, qui sortiti sunt vxores, ab omni vacant suspicione & zelo

Ergo

Ergo ſponſus, vt ſuſpicionis oblitum, ſe ſuæ Sulamiti ſatis fidere demonſtret; propterea addit: *Surge, propera amica mea*, id eſt, à qua me ardenter amari experimento didici, omniumque ad inſtar teſtium, mihi fuit lætitia ſubita, & gaudium, quo, me veniente, perfuſa es: quæ enim ſuos viros non amant fœminæ, & domo abeſſe gaudent, & ad eorum aduentum mœrent. *Columba mea.* Hæc ad fidei commendationem faciunt: nam columba caſtum valde animal, & marito fidiſſimum eſt, illi enim caſta & innocens tori cuſtodia; zelotypiam tamen comparis peregrè redeuntis non euadit. Audi noſtrum Martinum columbarum zelotypiam elegantiſſimè deſcribentem: *Videas*, inquit, *columbam ſuſpicionibus indulgentem pectus intumeſcere, raucum quid & minax gutture infrendere, cicare coniugem, ac ne dubites iratum, inſuper foditationibus roſtri, & alarum ictibus nihil mali commeritam multare. perſtat illa patiens, nec ſuccenſet indignationi ex amoris vehementia profectæ, non fugam adornat, vt ſe ſubtrahat, non vim contrà parat, ſed manſuetè perfert omnia, donec tolerantiæ diuturnitas & magnitudo ſæuientis ferocitatem emolliat. Sic tandem ille cicuratur, & hoſte exuto induit amatorem.* Sic ille. Ergo ſponſus propterea Sulamitem columbam ſuam appellauit, non vt legem aliquam præſcriberet, nec quo ſe ab illa modò diligi & coli vellet, aperiret, vt vult Legionenſis; ſed magis, vt eo nomine inuiolatam fidei cuſtodiam extolleret, & illam ſibi puellam probari oſtenderet, quæ columbæ ingenium & amores imitabatur.

Subiicit demum, *formoſa mea, & veni.* quibus verbis iam tandem nihil ſibi ſuſpicionis reliquum eſſe oſtendit, eſt enim perinde, ac ſi diceret, *formoſa* es quidem, ſed *mea* es; quamuis enim elegantia & forma vxoris zelotypiæ ignes accendere ſoleat, dum coniux ſibi timet à procis; verumtamen tu quanta es, tota mea es, mihi addicta, & mihi conſecrata, atque adeò non verebor deinceps procorum libidinem, riualium moleſtias, parcamque omnino ſuſpicionibus.

Sunt qui dicant ſponſam adhuc inter ſomniandum loqui, & ſic hæc verba cum ſuperioribus connectunt, ſed non aſſentior. Perit enim tota ſermonis energia, ſi vana inſomnia pro veris amantium vocibus derogemus. Alij etiam putant, hanc eſſe narrationem alicuius præteritæ ſermocinationis habitæ olim cum ſponſo, quorum etiam interpretationem non probo.

Mihi verò alia contexendi ratio cum reliquo textu magis conformis occurrit, quam iam ſubiicio. Certè apud Hebræos virgines ante nuptias dicebantur *Alamoth*, id eſt, *clauſæ*, vel *intercluſæ*, non aliam ob cauſam, niſi quia domi ſic incluſæ manebant, vt vix, ac ne vix quidem, ex illa pedem efferrent. Et ſi quando domum egredi cogebantur, non niſi velatæ & tectæ incedebant, vt oculos intuentium vitarent. Ad hæc Salomon in hoc Cantico numquam non conſulit pudori ac verecundiæ ſponſæ, ac propterea quoties illam aliquid ad nuptias pertinens exequentem inducit, id quidem ægrè, & non ſine vi, aut ſine precibus actum demonſtrat, vt alibi non ſemel notauimus.

Cogita ergo ſponſam in domum illam ſy'uanam, in qua tunc manebat, non tam ſponte adductam, quàm per vim raptam fuiſſe ab ſponſo ſuo, vt *cap. 1. verſ. 2.* non paucis animaduerti. quod ideo factum, vt ipſius pudor ſaluus eſſet, cùm non ſpontaneas, ſed quaſi coactas nuptias iniret. Nunc ergo pari ratione cùm è domo, in quam tranſlata fuerat, ipſam progredi oporteret, contra ſolennem virginum conſuetudinem, id quidem non ſine repetitis precibus & amicis ſponſi ſui compellationibus exequitur; preces enim ſi repetantur, & à ſuperiori effundantur, pro vi & coactione æſtimandæ ſunt. Adde etiam non ſine velo, aut pallio virginibus familiari, vt nuper dicebant.

Iſte igitur, & conſequentes verſus, orationem continent inuitatoriam & deprecatoriam ſponſi, qua Sulamiti ſuæ ſuadet, vti è domo in apertum procedat, ſed quia in ea inuitatione ac deprecatione multa ſatis miſcentur delitioſa, & amatoria, aliqua etiam ſeueriora, quæ conuiuialia præcepta continent, ſingula verba librare operæ pretium eſt.

En dilectus meus loquitur mihi. Hebr. *locutus eſt*, vel reſpondit mihi. verba hæc conuiuialem quoque ritum ſapiunt: mihi enim exploratũ eſt, tam ſponſum, quàm ſponſam in prima nuptiarũ nocte, aut nulla, aut vix aliqua ſibi inuicẽ verba proferre. Suadet hoc textus ſuperioris Epithalamij; vbi ſpõſus quidẽ de ſpõſa ſua ad Paranymphos ſodales, ſponſa etiam de ſponſo ſuo ad puellas pediſſequas eloqui videntur, quidquid pronunciant; ex quo verò ſponſa ad ſponſum adducta fingitur, nulla certè ſibi mutuo verba dederunt, niſi illa: *Ecce tu pulchra es amica mea*, &c. & rurſus illa: *Ecce tu pulcher es*, &c.

ſe nimirum in prima perſona alloquentes. Probat etiam hoc dolus impoſitus Iacob à ſocero ſuo, cum Liam pro Rachele dudum expetita tradidit, *Gen.* 19. Quomodo enim Iacob, qui pridem cum duabus ſuis conſobrinis in domo Laban conuerſatus fuerat, Liam acciperet pro Rachele, niſi quòd prima nuptiarum nocte, vt mos ferebat, nec faciem illius vidit, nec vocem audiuit, quam planè agnoſceret, ſi vel faciem aperiret, vel loqueretur. Idem quoque de ſponſo ſtatuendum eſt, qui ad ſponſam tacentem, nec illi reſpondentem, credibilius eſt verba ſua per illud tempus nequaquam intendere ſolitum. Quid plura? certè primam alloquutionem, ſeu compellationem ſponſi ad ſponſam ſuauiſſimam, ac valde conſolatoriam eſſe oportebat, cum grauitate, & prudentia coniunctam. Ita enim conſueuit, vt primos maritorum ſermones, quibus vxores ſuas compellant, attentiùs obſeruemus: nam vix aliquis eſt tam prudens amator, qui in prima ſermocinatione ineptias non effutiat. Et quidem de his primis ſermonibus, me iudice, accipi debent verba illa Oſeæ cap. 2. *Propter hoc ecce lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores ex eodem loco*, &c. & infrà: *ſponſabo te mihi in ſempiternum*, &c. Nam cùm ſermo ſit de coniugio Synagogæ, vel potiùs Eccleſiæ cum Deo, ſic Propheta vaticinatur futurum aliquando, vt Deus ſponſam ſuam Eccleſiam blanditiis allectam atque promeritam, ſicut mos ferebat nubentium, in ſolitudinem, hoc eſt, in ſyluas & vineas perduceret, ibique primos ſermones conferret; primos, inquam, ſermones amatorios, ſuauiſſimos & dulciſſimos ad conſolandum, recreandumq; cor ſponſæ, in primis idoneos, atque vinitores, hoc eſt, vineæ, in quam adducta fuerat, optimos colonos ipſi ſponſæ tribueret. quæ verba ad inſtar obtinent commentarij huius loci, in quo habes primum ſermonem amatorium ſponſi ad ſponſam, vineæ quoque ac vinitorum præclaram commemorationem.

Sic igitur ſponſa ad ſuas pediſſequas: *En dilectus meus loquitur mihi.* Particula demonſtratiua *en*, rem notatione & obſeruatione dignam deſignat. Quaſi dicat, auribus excipite, ô puellæ, primum ſermonem, primamque ſalutationem ſponſi mei, minimè ineptam, amatoriam, prædulcem, & omni ſuauitate plenam; ne verbum aliquod illius excidere patiamini, non ſtrepitus aliquis, non oblocutio ipſum loquentem interpellet, ſed attentio ac intentio tum mea, tum veſtra, illi dicenti obſequatur. Sed qualis fuit iſte primus ſermo? is ſcilicet, quem ſtatim infert amatorius planè, ac iucundus.

Surge, propera amica mea. Verba *ſurge*, & *propera*, ſynonyma ſunt, ideóque additum eſt *propera*, quod non eſt in primitiuis, vt explicaret vim verbi *ſurge*. quod non ſignificat è lecto, vel thalamo exurgere, id enim priùs factum ſupponitur; ſed ocyùs moueri ad rem aliquam perficiendam: itaque *ſurge & veni*, perinde eſt, ac citò & properè veni.

Amica mea, &c. Hæc prima verba, quæ ſponſæ ſuæ ſponſus dicauit, quibus præcipuas eius laudes complexus eſt, *amica* ſcilicet, quia me amas, & à me redamaris: *columba*, quia amori fidem coniugalem adiungis, quæ in columbis potiſſimum refulget. *formoſa*, quia pulchritudo præcipua eſt amoris illecebra, & quanta es, tota mea es: *amica mea, columba mea, formoſa mea*; mea, inquam, hoc eſt, inſolubili matrimonij vinculo mihi copulata, atque adeò clauſarum atque innubarum virginum mores relinquere tibi licet, & vti nuptis ſolemne eſt, è domo in apertum exire.

Verſ. 11. Iam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit.

Verſ. 12. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra.

Verſ. 13. Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.

SONVS ALLEGORIÆ.

VEris ineuntis deſcriptio, quæ non indiget aliqua illuſtratione; ſat fecerimus, ſi verba ſingula ad amuſſim vocemus. *Iam hiems tranſiit*, Hebr. עבר *ghabar*, conuertere etiam licet, *ſuperata eſt*, cum emphaſi, quia dum hiems, vérque pugnant, nulla tempeſtas diuturna eſt, vt accidere ſolet menſe Februario, nonnumquam etiam Martio, quoad victa omnino cedit hiems, & calor viget.

Imber abiit & receſſit. Hebr. חלף *chalaph*, id eſt, *mutauit ſe*, aptiſſimè; nam ſimiles tempeſtatum viciſſitudines, vulgò dicimus *mudanças del tiempo*. Aben Ezrha *exciſa eſt*, eodem ſenſu. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Argumentum hiemis exactæ, flores

enim

enim non nisi hieme desæuiente pullulant. Septuag. *Flores visi sunt in terra*, vel quia campus floruit vere appetente, iuxta illud: *Vere sinum tellus aperit, floréſque ministrat*, scilicet tempore Aprilis, quem sic dictum putant, quia tellurem aperit, vt flores erumpant, vel loquitur de floribus quos arbores verno tempore germinant futuri fructus, & venustæ primitiæ.

Tempus putationis aduenit. Alij *cantilationis.* Hebr. זמיר *Zamir*, vtrumque sonat, teste Aben Ezrha, sed noster melius, *putationis.* Fauent Septuag. qui habent τ̃ τομῆς, id est, *sectionis.* Symmachus concinit cum nostro Vulgato, habet enim τ̃ κλαδεύσεως. si quis autem nodus inde oritur, postea enodabo.

Vox turturis audita est in terra nostra. Turtur, vt aliæ quoque aues plurimæ, in locis calidis, hiberna ducunt, deinde vere ineunte nos reuisunt. Et quidem, teste Plinio, nec primæ ex omnibus, nec vltimæ, sedes nostras repetunt, quasdam enim maturantes nimium aues frigus recurrens affligere solet; aliàs verò dum cunctantur, æstus ingruens non sinit proli commodè & opportunè vacare. Turtur autem, nec prima ex omnibus ad nos remeat, ne frigore opprimatur, nec vltima, vt commodè prolificet. Quapropter meritò illam ad ver primum notandum induxit Salomon, cùm iam frigus desæuiit, & æstus nondum vrit.

Ficus protulit grossos suos. Hebr. פג *pag* ficum præcoquam significat, quæ ficus arbori pro flore est, & cum vineis pariter germinare solet. Hinc Christus Dominus, vt significaret veris progressum, & æstatem vicinam, ex ficu signum transtulit. Matthæi 24. *Ab arbore fici discite parabolam. Cùm ramus eius iam tener fuerit, & folia nata, scitis quia iam propè est æstas.*

Vineæ florentes dederunt odorem suum. Ad verbum ex fronte, *vineæ proferentes minutulas vuas, odorem dederunt.* qui vitium flos Græcè ἄμπελος nominatur, Hebraicè סמדר *semadar.* Est autem racemulus, qui primulus flore deciduo emergit, qui paulò grandior, sed nondum decoctus, vocatur בסר *bŏser*, maturus iam, & esui commodus ענב *ghenab*, & quidem ἄμπελος, aut vinearum ille flos non omnino maturus aliquid certè efflat boni halitus. Sunt etiam, qui dicant, hanc suaueolentiam venenata & vinolenta animalia longè pellere. Addo etiam nomine vinearum fortassis in hoc loco, non vineas vitibus satas, sed hortos aromaticis herbis consitos notari; nam vineæ significatio apud Hebræos latiùs patet, & hortos quoslibet, seu viridaria signat, in quibus arbores, aut gramina quælibet excoluntur: & ad hunc sensum sine iniuria textus vocare licet lectionem illam *tempus putationis*, vel *lectionis*, *aduenit*, vt scilicet sermo sit de incisione arbustorum, quæ vere primo secantur, vel inciduntur, vt aromata exudent.

At inquies, non cohærere inter se, illa duo; *tempus putationis aduenit, & vineæ florentes dederunt odorem suum*, quia vitium putatio præiit longo tempore, earundem floritionem. Rursus: ficus grossos suos tunc promere solet, cùm vites primas edunt gemulas antequam floreant, & odorem aliquem exhalent. Turtur item cùm vitis floret, non modò iam remeauit ex hibernis, sed etiam pullos excluſit suos: non igitur coëunt hæc signa, nodus iste explicatus habet difficiles. Referam aliorum placita. Quidam sunt, qui Iarrhio & aliis Rabinis plus æquo tribuentes affirmant, aut nihil curant esse vulgatam lectionem, & pro illa restitui debere, tempus cantilationis aduenit, tempus scilicet, quo omnes aues canoræ syluas & nemora suis imploret dulcisonis cantilenis; sed longè absum, vt hoc credam, nam auium istæ cantilenæ vinearum florem etiam præeunt, imò effloreſcentibus iam vitibus auiculæ excludendis, vel alendis pullis distentæ non ita suaues edunt concentus, tunc enim suauiùs canere solent, cùm mares Veneri incumbunt. Alij meliùs putationem non ad vites referunt, sed alias ad arbores, quæ vere ineunte purgari etiam solent, decisis surculis, stolonibus & ramis innutilibus. Nonnulli, & quidem longè meliùs, de messione, seu incisione myrrharum & aliorum aromatum capi posse autumant (vt nuper dicebam.) hæc enim vere intepescente sudores suos emittere solent. Postremò quidam de ouium tonsione interpretantur, quæ similem ad modum vere appetente fieri consueuit.

Cæterùm omnes istæ expositiones, à communi Patrum & Doctorum sensu longè abeunt, difficultatis præmissæ vim non elidunt, quæ non de putatione tantùm, sed etiam de turturis aduentu, & præcocium germinatione ficorum, & de aliis etiam indiciis suprà enumeratis emergit, quæ vix, ac ne vix quidem, in vnum & idem tempus incidunt. Igitur Patribus & interpretibus subscribens, de vera vitium putatione,

illa verba intelligenda esse censeo. nodum autem illum sic expedio. Salomon in ista veris descriptione, aut periphrasi, non signa simul concurrentia adhibere voluit, sed quos per gradus nouum ver decurrens lapsu suo, ad illud tempus deueniat, quo vites flores promere, & odorem efflare solent, aperire contendit; nam id extremum præcipuè ipse expectabat, vt sponsam ad manè primò vineas reuisenda euocaret.

Igitur descriptio scandit per hos gradus: *iam hiems transiit, imber abiit, & recessit*; hieme autem discedente & intermissis imbribus, tellus madida, Solis calore tepefacta, & soluta primos flores edit. *Flores apparuerunt in terra nostra.* ex tunc agricolæ putandis vitibus accommodatum tempus esse iudicant. *Tempus putationis aduenit.* Dum hæc peraguntur, tranquillior vernat iam tempestas, itaque turtur ex hibernis ad nos reducem volatum parat. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Necdum illa ad nos se recepit, cùm ficus grossos parturit suos, *ficus protulit grossos suos*; his tandem gradibus ad vitium flores venitur. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* quod intra mensem Iunium euenire consueuit; & quidem eo tempore, iam vrget vinearum custodia, vt suprà ostendi, ad quam sponsus Sulamitem inuitat, vt ex sequentibus fiet palàm. hæc de cortice litteræ.

Sed tamen, vt integram huius allegoriæ sententiam teneas, verba isthæc cum superioribus connectas, sic habeto. Sponsus quidem oratione ista, siue inuitatoria, siue deprecatoria, Sulamiti suæ suadere contendit, vt è domo illa syluana, in quam fuerat translata, efferret pedem, & ad vineas visendas progredi vellet. id verò consequi volens, in superiori versu illi nouum statum proposuit, quòd scilicet iam non virgo innuba, ac proinde clausa, oculósque hominum euitans, sed vxor & nupta erat; nunc autem in his carminibus, quæ hactenus recensuimus, ea omnia abesse dicit, quæ illam offendere, ac lædere, atque adeò domi continere possent: ac rursus illa omnia adesse significat, quæ ipsam oblectare, & ad hortum vineamque inuisendam prouocare possent. Qua ratione non obscurè commendauit sponsæ suæ pudorem, quæ scilicet, his sponsi sui precibus & exhortationibus necdum adduci potuit, vt è domo, in qua inclusa erat, foras progredi vellet. Expendamus singula.

Iam hiems transiit, imber abiit & recessit. Certè frigus rigens, & pluuia defluens: adde etiam viarum sordes, & colluuies, quæ pluuiam proximam consequi solent; hæc sunt quæ fœminas domi continere solent, ne foras procedant. Ista igitur abiisse & transiisse affirmat sponsus, atque imbrem non transiisse solùm, sed recessisse dicit, hoc est, ex multo tempore pluuiam cessasse, ne scilicet vias, vel calles, per quos gradi oportebat, in vineis vdos adhuc, & lutosos ex præterita pluuia suspicari posset sponsa. Addit,

Flores apparuerunt in terra nostra; id est, ager imbribus irrigatus, & vernante cœlo tepefactus se se aperit, & ex claustris suis flores protrudit. Nec dissimili ratione & eodem exemplo tu quæ floris & lilij ad instar obtines, suadente placidissimo veris tempore è domesticis laribus procedere potes, ac debes. Ipsa enim cœli tempestas te inuitat, vt proinde vereri minimè possis, ne flos tuus à superueniente glacie marcescat.

Tempus putationis aduenit. Septuaginta, *tempus sectionis*, hæc verba non interpretor de excisione palmitum, quæ hieme desæuiente fieri solet mense Februario, hoc enim vix cum reliquo textu in concordiam adduci potest. Certè vites postquam pampinos suos fœcundos prægerminarunt, ex quibus vuæ nascuntur, ac pendent quosdam surculos, siue stolones infructuosos, circa radices procreare solent, qui ebibito haustóque humore, quo fœcundos palmites ali oportet, vitium robur & vires extenuant. Quapropter eos tunc amputari, aut defringere solent vinearum cultores, cùm primulæ vuæ nascuntur, procedente iam vere. Ergo de his sponsus, *tempus*, inquit, *putationis*, aut *sectionis* aduenit. quasi dicat: iam inde, mea Sulamites, instat tempus curandæ ac colendæ vineæ nostræ, nam in ea tempestate sumus, in qua vinitores surculos ac stolones spurios, atque infœcundos rescindere solent. Itaque duo sunt, quæ tibi suadent in apertum procedere: & placidum ver, & cura vineæ amputandæ. Adde etiam prædictos surculos per illud tempus cùm adhuc teneri sunt, edules esse, atque non ingratum cibum fœminis præbere solitos, vt proinde sponsam, eiúsque pedissequas, huius etiam cupediæ appetitio prouocare potuerit ad vineam recolendam. Quid plura? in hoc hemistichio ea similitudine vitium resecandarum sponsæ, non obscurè inuoluit nuptiale documentum, hoc insinuans sponsæ suæ, vt vitem exsectis surculis infructuosis purgatam, & fœcundis palmitibus refertam imitetur, iuxta

vaticinium

vaticinium Dauid Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus suæ*, &c. subnectit,

Vox turturis audita est in terra nostra. turturis, inquam, reducis iam ex hibernis, in quibus per hiemem delituit. Sed cur turturem, & non alias aues commemorauit, quæ hieme vrgente in alias plagas auolant, & vere ineunte, in nostras regiones reuolant? Non aliam certè ob causam, nisi quia turtur coniugij, ac nuptiarum castissimarum, symbolum est: nil certius. Et quidem ad persuadendum sponsæ exitum è domo in syluas, satis accommodatum est exemplum turturis, cùm coniugia peragunt sua, si vox maris insonuerit, & amore inuitante ad compotem suum præpeti volatu perfertur simile, aut obsequium postulat sponsus ab sponsa sua, vt scilicet eius voce audita, domum relinquat, atque ipsi se quamprimum sistat. Rursus, quia, vt nuper dicebam, huius secundi Epithalamij propria quædam materia est, persuasio sponsæ, vt coniugem suum alloqui velit. Aptè etiam vtitur exemplo *turturum*, quibus illud maximè proprium, vt eo tempore, quo coniugia exercent sua, simul incedant, sicque voces efforment suas, vt altera alteri per vices sine interruptione respondeant: constat enim turtures per illud tempus quo nuptiis incumbunt, vocalissimas esse. Vnde natum est illud prouerbium quod in loquacissimos homines iactari solet, *turture vocalior*. eius meminit Clemens Alexandrinus *lib. 2. stromatum*. Itaque hoc exemplo sponsus satis accõmodatè Sulamiti suadet, ne amplius taceat, & sibi loquenti verba neget, sed tanquam noua nupta secum colloqui & sermones miscere velit; quod infrà apertiùs significat, illis verbis: *sonet vox tua in auribus meis*.

Ficus protulit grossos suos. Ficulnea germinans veris annunciatio est, de qua Christus Dominus: *Videte ficulneam, cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia propè est æstas.* Aliquid etiam nuptiale subest his verbis; nam cùm duæ sint ficulnearum species; altera quæ appellari solet *ficus vrbana*, altera cui nomen est *caprificus*, hæc quidem inter se nuptias quasdam exercent, similes his, quas in palmis rustici agnoscunt & obseruant. Nam ficulnea vrbana si caprificum propè habeat, fœcundior efficitur, & dulciores atque mitiores fructus affert. Ait ergo, *ficus protulit grossos suos*. Grossi dicunt ficus præcoces, quas ficulnea primo vere non solùm germinat, sed etiam decoquit, & edules facit, & sanè grossos non affert ficus illa, quam *fatuam* vocant, & sicubi illos producit, eos certè ante maturitatem abiicit. De his enim loquuti videntur Nyssenus, Hieronymus, Ambrosius & alij Patres, cùm aiunt, grossos ineptos esse ad vescendum, & ante maturitatem decidere, & in ficulneis pro deciduo flore nasci. Nam præcoces illi ficus, quos iam retulimus, non solùm habiles ad esum, sed prædulces & pergrati sunt delitiosè vescentibus. Hinc est illud Michææ 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Addo etiam ficum satiuam inter prudentes arbores numerari, quæ nimirum non nisi procedente, & iam iam intepescente vere folia & grossos proferunt, atque adeò ab ingruente glacie vix aliquando præoccupantur, quæ prouidentia desideratur in sicomoro, seu fatua ficu, cuius primi fructus sæpiùs à superueniente rigore aduri solent. Igitur vt sponsus viti Sulamitem suam ad domum differendam, & vineam visendam inuitet, sic proponit: Tempus quidem exclusa glacie, iam vernat, quia ficulnea satiua, quæ prudens admodum arbor est, primulos fructus protulit. Quasi dicat: In hac tam placida veris tempestate nihil fatuum, vel à prudentia alienum facies, si quemadmodum prudens ficulnea per hoc tempus folia & grossos suos profert in lucem, sic etiam tu hoc placidissimum tempus nocte tuam pulchritudinem in opertum das: id autem maturius præstans, coniugij iura perficies, quæ etiam in ficulneis resplendent, quatenus sponso tuo vicinior facta, pulchrior ac fœcundior eris; nisi fortè velis sponsam in hac exhortatione eo incitamento ad vineas inuitari, quia ficulneæ grossos mites & maturos haberent, quibus ipsam delicatè vesci licebat: nam hi fructus sub finem veris decoqui solent. quod non repudio, si dicamus in hac descriptione orationem per suos gradus scandere, & à primis incuntis veris primordiis ad finem vsque peruenire.

Vineæ florentes dederunt odorem suum. In vitibus quoque ac vineis reperitur nuptiarum exemplum; nam vites aliis arboribus maritari solent, vt suprà *cap. 1. vers. 14.* non perfunctoriè probatum est. Vbi etiam illud animaduertimus, vites arbori cypro adiungi, & maritari solitas, atque inde odorem suauem attrahere, vt proinde hic accommodatè dictum sit: *vineæ florentes.* LXX. restituerunt vineæ κυπρίζουσαι, id est, *cyprizantes*. Adde etiam vites communes cùm primulos racemos progerminant, & flores pariunt,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

pariunt, aliqualem etiam odorem emittere, atque adeò de his non ineptè dici posse: *florentes dederunt odorem suum.* Cæterùm de hac diuersitate non curo, illud ponderatione dignum exemplum vineæ effloreſcentis ſponſæ proponi, vt domum relinquat, & foras progrediatur, non ſolùm, quia placida veris tempeſtas ita poſcebat, ſed etiam quia in vitibus nuptiarum documentum eſt, & ius connubiale hoc poſtulat, vt noua nupta clauſtra & lares deſerans, in quibus ante nuptias more virginum deliteſcebat, in apertum procedat.

Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.

*Verſ.*14. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

SONVS ALLEGORIÆ.

SVrge, aliqui codices addunt *propera*, ſed planè mendoſi ſunt. Septuaginta, *ſurge, veni.*

Amica mea. Septuaginta, *proxima mea.*

Specioſa mea. D.Gregorius, *ſoror mea.*

In foraminibus petræ. Rabini, alij, *in rimis petræ*, alij, *in fiſſuris rupis*, alij, *in circuitibus*, vel *circinnationibus petræ*, eodem ſenſu.

In cauerna maceriæ; ſunt qui reſtituant, *in latibulo graduum*, Hebr. מדרגה *madregah*, gradum ſignificat, loca, videlicet in parietibus aperta, aut perforata, per quæ artifices ſcandere ſolent in ſumma ædificia, *columbæ nidos perſtruunt.* Pro *muris domorum*, Septuaginta *iuxta promurale.* D.Ambroſius *in præmunitione.* Noſter verò *maceriam* conuertit, ſeu illam, quæ ex ſicco lapide conſtruitur, (vt quidam volũt,) ſiue (vt aliis placet) eam quæ ex terra compingitur, in qua foſſæ etiam, vel foramina aperta relinqui ſolent, ad nidificationem columbarum idonea.

Sonet vox tua in auribus meis. Septuaginta, *& auditam fac mihi vocem tuam.* Ambroſius, *inſinua mihi vocem tuam.* Non ſine emphaſi, vt ſtatim dicam.

Interpretes vix aliquid de allegoriæ cortice circa iſthæc verba, nam ea ſic accipiunt vt ſonant, aiúntque ſponſum præteritam inuitationem ſponſæ ſuæ ad vineas nouo ſchemate iterare: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni*, &c. illud verò, *columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, ſic ediſſerunt. Caſtiſſima quidem eſt columba, ſed nihilominus non ſemper in cauernis, ac foraminibus, in quibus nidulatur, hæret, ſed inde in apertum & liberum aërem ſæpiùs euolat. Ergo non erit alienum à pudore ſponſæ meæ penetralia domus aliquando deſerere, & in lucem prodire, vt liberum ſpiritum ex libero ac ſereno cælo attrahat.

Et ſibi ſimiles prædicti interpretes ſequentia verba ſic æſtimant vt ſonant: *oſtende mihi faciem tuam*, &c. id eſt, faciem mihi aperi, &, ſiue facetè loquens, ſiue modulatè canens, vocem tuam auribus meis inſinua. hæc enim præcipua ſunt amoris incitamenta. quaſi dicat: Hoc age, ſi me amas, & ſiquidem à me redamari cupis: *oſtende faciem tuam*, &c. vox dulcis, & facies decora in te ſimul conſpirantes vehementer allicere ſolent amantes dum facies vocem, & vox ſimiliter faciem commendat.

Sed quia hæc leuiora mihi videntur, antequam ſenſum germanum horum verborum ſubſcribam, communi expoſitione aliquid leporis addere libet. Cogita igitur ſponſum, qui non ignorabat ſponſam ſuam, in vinearum cuſtodia diu verſatam fuiſſe, iuxta illud, *poſuerunt me cuſtodem in vineis*, &c. vt ipſi perſuaderet egreſſum ex domo in vineas, hoc illi nunc ob oculos ponere, quod olim non ſine voluptate peregerat, itaque illam ad vineæ cuſtodiam & curam euocat, his verbis: Vt quod ſola voluptas eiuſdem vineæ inuiſendæ non perſuaſerat, hoc ipſum ab illa eiuſdem vineæ cuſtodiendæ, ac procurandæ vtilitas & neceſſitas impetraret. Itaque ait, *ſurge amica mea, ſpecioſa mea, & veni. columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Veni, inquam, vt quemadmodum columbæ in ſcopulorum hiatibus, & in vinearum maceriis nidos conſtruere ſolent; ita etiam tu iuxta vineæ tuæ ſepes, in tugurio degas, vel in foraminibus petræ, id eſt, ſcopuli alicuius, aut excelſæ rupis ſpecu, vt doceat eum eſſe aptum locum, vt totam inde deſpectet vineam, meliúſque illi proſpiciat. Ita enim ſolent vinearum cuſtodes in editiſſimis rupibus tuguria figere, vt quoquò versùs omnia

ſpeculen

ſpeculentur, ne quis in vineas irrumpens, illorum oculos effugiat. Propterea dicit, *in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, optionem dans, vt vel in rupe excelſa figat tugurium, vnde in vineam ſit deſpectus accommodatus, vel iuxta ſepem & maceriam, ne quis, vel ſepem exiliat, vel illa depulſa ingrediatur vineam, atque illam deripiat. Subnectit: *oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis*; nam, vt verba iſta cum cæteris concinant, ita commentari fas eſt, ſi quid ex re tua eſt, ô Sulamites, ſi quid volupe, ſi quid vtile, aperi mihi faciem tuam, & pete quidquid volueris; hunc ſenſum capiunt illa, *ſonet vox tua in auribus meis*. Nam *vocis* nomine, preces, aut petitiones notari in ſacris litteris compertum, cuius rei exempla innumera ex Pſalmis ſuppetunt: *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*, atque alia ſexcenta, & quidem hæc expoſitio lucem accipit ex illo loco *Regum 1.cap.25.* vbi ſic Dauid ad Abigail vxorem Nabal, cuius precibus euictus fuerat, vt iuſtæ parceret vindictæ. *Vade in pace in domum tuam, ecce audiui vocem tuam*, & *honoraui faciem tuam*. Quid illuſtrius? Vbi etiam obſeruare te iubeo, *vocis* nomine petitionem ſignificari.

Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Vox, inquam, id eſt, petitio tua, quæcumque illa ſit, gratiſſima accidet. Pro *dulci*, Hebraicè ערב *arab*, id eſt, *congrua*; particula autem *&*, nonnunquam vim ſubit cauſalis, *quia*, quod his verbis accommodatum reddit loculentam admodum ſententiam, in hunc modum, *vox enim tua dulcis & congrua; quia facies tua decora*. quaſi dicat, propterea qualiſcumque tua obſecratio pergrata accidet, quia faciei decor & venuſtas illam commendat.

Quòd ſi hęc interpretatio minus arridet, habeto aliam, recole memoriâ ea, quę ſuprà diximus, nimirum ſponſum ex agro reducem, non ſtatim in domum penetraſſe, ſed priùs per feneſtras & cancellos ambiens, quid intus ageretur obſeruaſſe. Rurſus cogita illum per cancellos introſpicientem, vbi ſe cognitum de facie & de voce, animaduertit, non ſtatim fuiſſe ingreſſum, ſed ad feneſtram & cancellos conſtitiſſe, & inde alloquuntur Sulamitem: eſt autem ea natura cancellorum, aut retiorum, vt quæ extrà ſunt, facilè, quæ verò intrà, ægrè videantur. Cùm igitur ſponſo, ſuæ Sulamitis faciem, obiectis cancellis liberè aſpicere nequaquam liceret, ſic illam affatur: *oſtende mihi faciem tuam.* quaſi dicat: id volo ac cupio, vt ſublatis cratibus, aut retibus mihi faciem aperias. Vel aliter, id opto, ac contendo, vt è domo, in qua incluſa manes, in apertum progredi velis, vt liberè & ſine interſtitio cancellorum faciem tuam intueri liceat: ſi autem hoc egeres, pete à me quidquid volueris, atque illud impetrabis: *ſonet vox iua*, &c.

Sed quamuis hæc inepta non ſint, aliam tamen huius allegoriæ ſententiam eſſe reor, & ſanè primò ponendum eſt, Salomonem in hoc Cantico, vt pudori ac modeſtiæ ſponſæ conſulat, eam ad omnes delitias & coniugales operas ita difficilem & repugnantem expingere, vt nihil ſine vi, aut ſine iteratis, aut repetitis precibus ab ipſa impetrari liceat. Quapropter cùm in ſuperioribus ſponſum induxerit, id ſumma contentione poſtulantem, vt Sulamites domeſticos lares relinquens, ritu coniugatarum mulierum, foras exiret. Nunc quidem declarat ipſam precibus, & perſuaſionibus minimè euictam fuiſſe, ſed contrà, pudore ſuadente, eidem plurimum obſtitiſſe, ea propter obſecrationes & poſtulationes repetit, illis verbis: *ſurge amica mea*, &c.

Rurſus reuocanda ſunt in memoriam ea, quæ diximus ſuprà in Iſagoge huius commentarij *cap.3. §.4. & 6.* ſcilicet apud Hebræos nouam nuptam prima nuptiarum nocte ſponſo ſuo tradi, pallio tectam, non alio, niſi illo, quo virgines vtebantur; pallio, inquam, craſſiori ac cæco, quod faciem puellæ omnino celabat. Quod quidem ſuadetur ex illo *Geneſ.24.* vbi Rebecca viſo Iſaac, cui ea nocte tradenda erat, vultum velaſſe dicitur, *tollens citò pallium operuiſſe*, &c. Deinde etiam colligitur ex nuptiis Liæ & Iacob *Geneſ.29.* ex quibus conſtat Iacob prima nuptiarum nocte, in qua ipſi fuerat tradita, non ſatis Liam agnouiſſe vſque ad externam diem; ſic enim habes: *Ad quem cùm de more fuiſſet ingreſſus, facto manè vidit Liam.* ex quibus verbis duo concludere licet. Prius eſt, Liam in prima nuptiarum nocte, ſic velatam fuiſſe, vt faciem marito ſuo non aperuerit. Poſterius eſt eandem Liam ſequenti die, matutino tempore faciem oſtendiſſe viro ſuo. ex his autem liquet, id quod nuper dicebam, ſcilicet, in ſecundo nuptiarum die, ſolenni Hebræorum ritu nouam nuptam faciem aperire ſolitam ſponſo ſuo, non ſine precibus, ne pudor proſtitui videretur. Adde etiam, non ſine donis & muneribus. Huc ſpectat illud Pſalm.44. *in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, de quo aliàs non ſemel diximus.

Ad

Ad hæc, noua nupta in secunda nuptiarum die remoto pallio, non statim faciem apertam oculis sponsi offerebat, sed pro pallio & velo crassiori, quod faciem omnino celabat, aliud accipiebat subtilius, per cuius retia ipsa quidem videbat, & videri quoque non libere, sed subobscurè poterat, velum istud flammeum appellabant antiqui, de quo subest illud Ezech. c. 16. *Indui te subtilibus*, cuius interpretationem habes suprà in Isagoge *loco citato*. & infrà *cap. 4. vers. 1.* Quid plura? In prima nuptiarum nocte solenni ritu sponsa tacebat, verba opprimens, ac vix, ac ne vix quidem sponsum alloquebatur, vt in superiori versu, exemplo Liæ probatum manet, vnde fiebat, vt sponsus sequenti die, non sine precibus & muneribus hoc quoque promereri curaret, vt sponsa ipsum affari vellet. Stuckius *antiquitatum conuiuialium lib. 1. cap. 14.* vtrumque ritum complexus est, his verbis: *Sponsa*, inquit, *olim ab sponso detectionis causa dona accipiebat, sicut hodie pro ablata virginitate, quæ quidem dona à detectione, seu reuelatione dicebantur ἀποκαλυπτήρια, & quia tunc ab eodem sponso primum videretur ὀπτήρια, & quia tunc cùm primùm alloquebatur, προσφθεγκτήρια dicebantur, & infrà ἀναναλυπτήρια plurali numero dona erant, quæ dabantur sponsæ à marito, quando primùm retecta in virorum conspectum prodibat. ἐπαύλια verò dicebant diem ipsum post nuptias, quando fiebat detectio sponsæ.* Hæc ille, quæ ad huius loci germanam interpretationem accommodatissima sunt, quem sic expono.

Surge amica mea, speciosa mea, & veni, &c. Cùm sponsæ de pudore & modestia, solicitæ prima oratione temporis & agri delitiis propositis, nondum persuasisset sponsus, vt è domo in vineam progredi vellet, preces & obsecrationes iterum repetit, & ius nuptiarum denuo proponit: *amica mea, speciosa mea.* Nam cùm nuptiæ iam copulatæ te in meam traduxerint potestatem, vtique tota mea es, atque adeò mihi acquiescere & obsequi ad nutum debes, *columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* vxor, inquam, mea es iure connubiali; cuius columba exemplum existit, atque adeò id volo ac cupio, vt sicut columba postquam pennas inglorias & degeneres, de quibus initio pubescit, & pro his plumas assumit elegantes, versicolores, & ad volandum idoneas, & comparis sui amores & zelotypias persentisset, statim nidum & latebras deserit, & libero cælo volat; ad eundem modum, quæ antiquam deformitatem degenerem viuendi conditionem iam depulisti, & tanquam Regina & coniux mea omnia accepisti ornamenta, & omnem cultum, qui & Reginam & coniugem meam decebat, ex laribus domesticis in apertum procedas. Cui adsimile est illud *Psal. 67.* quem aliàs nuptiale carmen esse diximus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora eius in pallore auri.* Noster Centumputelanus hæc verba confert cum superioribus: *& speciei domus diuidere spolia*, & ad literam de vxore interpretari debere affirmat. Loquitur enim Propheta de Tribu Beniamin, eamque à Deo tanquam sponsam suam, omnibus ornamentis condecorandam esse prædicit, ad hunc modum: Etiam si Tribus ista eò adducta sit paupertatis & miseriæ, vt rusticam vitam agere, & inter cleros, seu terminos, id est, in syluis sub dio cubare & dormire illi opus sit, inde tamen illam assumet Deus Rex gloriæ, eamque sponsam sibi copulabit, excolet, ornabit, ac similem efficiet columbæ, cuius pennæ argenteæ, cuius alæ aureo colore imbutæ sunt. Ergo sponsus eadem similitudine columbæ, quæ postquam plumas sordidas & indecoras excussit, & pennas elegantes habilesque ad volandum induit, nidum in foraminibus, seu cauernis instructum deserit, & libero cælo tranat, sponsæ suæ persuadet, vt quæ antiquam deformitatem & sordidam vitæ conditionem iam depelleret, cultu regio & ornamentis conspicua, quibus ab ipso donata fuerat, ritu columbæ pulcherrimæ è domo, tanquam è nido euolaret, & foras progredi velit. Addit verò,

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Supponendum, siue supplendum est, sponsam secunda ista oratione, aut exhortatione, tandem aliquando inductam fuisse, vt è domo, in qua ipsam pudor continebat, pedem efferret, atque ad sponsum ocyus veniret; tunc ille ait: *Ostende mihi*, &c. id est, aliquid aliud peto & contendo iure connubiali, vt scilicet faciem tuam, quam hactenus velasti, deposito velo, mihi aperias, itavt videre & videri possis; id autem si feceris, pete quidquid volueris, atque illud facilè à me impetrabis: sic enim interpretari licet illa verba, *sonet vox tua in auribus meis*, quæ D. Ambrosius sic extulit: *Insinua vocem tuam*, id est, *petitionem tuam auribus meis*; vel aliter, & longè meliùs. Non solùm faciem tuam, quam dudum celasti, videre cupio, sed eodem iure celebrati coniugij, id volo & cupio, vt quæ hacte-

nus

nus silentio vsa es, & nulla meis auribus verba insinuasti, iam nunc alloqui, & sermones mecum conferre velis: his enim quasi gradibus sponsæ suæ pudorem expugnat, quæ mores virginis innuptæ adhuc retinebat, & ab illis ad coniugatorum viuendi normam ægrè admodum flecti se demonstrabat.

Sed tamen in hac interpretatione, quam reliquis anteponendam censeo, desiderabis fortasse dona & munera, quibus puellæ pectus ad sponsi consensum deflectatur. iuxta ea, quæ nuper dicebamus. Id tamen ne desideres, sic accipe, scilicet ista verba, *Sonet vox tua in auribus meis*, sic esse edisserenda: Me sponsum tuum alloquere, vt nuptam decet, quæ hactenus tanquam si innupta esses, nulla mihi verba dedisti, qualis verò futurus sit primus illius sermo, insinuat eisdem verbis, vt videlicet sit petitio aliqua maioris momenti, significans sic futurum, vt nihil oret, quod non statim exoret, quod satis appositè ad ingenium fœminarum dictum videtur; sunt enim plerumque, suapte natura, ad petendum maximè procliues.

Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Hæc verba non sunt accipienda causaliter, quasi ideò sponsus petat faciem sponsæ sibi aperiri, & vocem illius suis auribus insonare, quia iam dudum nouerat faciem pulchram, & vocem dulcem admodum esse, cùm alioqui ex dictis constet, nec faciem visam, neque vocem priùs auditam ab sponso. & sanè vox כי *chi*, quæ in hoc loco subest pro *enim*, & quam noster Vulgatus sæpe aliàs vertit, *quia*, & *propterea*, non semper in Scriptura causam reddit, sed aliquando confirmat & comprobat, tanquam si dicamus, *verè*, *sanè*. Adde nostrum Salmeronem Prolepom. 16. §. 4. *ideò idiotismi & aduerbia.* Hanc autem vim habere in hoc hemistichio non dubito, quod suadet ipse textus Hebraicus, vbi præfigitur punctum post illa verba, *in auribus meis*, & tanquam noua periodus subsequitur, *Quia vox tua*, &c. Adde etiam, dictam vocem כי *chi*, sicut etiam apud Græcos aduerbium γὰρ, sæpe peragogicum esse, id est, superuacaneum omnino; itavt in sententia nulla sit eius vis. Nil certius, quod in hunc etiam locum quadrare potest, cuius interpretationem iam subiicio.

Cogita, si placet, sponsam precibus ac muneribus indutam sponsi sui velum deposuisse; velum, inquam, illud spissum & obscurum, quo virgines vtebantur, & loco illius nuptialem flammeum, subtilem admodum, ac tenuem à viro accepisse, cuius scilicet pellucens tenuitas faciei videndæ copiam faciebat sponso, iuxta ritum ac morem solennem Hebræorum, de quo nuper plura dicebam. Adde etiam prædictam sponsam precibus quoque ac donis euictam silentium abrupisse, ac cum viro suo dulcia miscuisse colloquia. Quid inde? sponsus certè gratiam sponsæ suæ reddens, id quod viderat & audierat gratulabundus commendat, dicens: *Vox tua dulcis, & facies tua decora*, id est, tua profectò vox, seu loquela dulcis admodum, ac inclyta, mihi iucunda fuit. quod non de sono vocis accipi debet, vt alij commenti sunt, sed de sermocinationis & colloquiorum suauitate, quasi dicat: tuus sermo, & petitiones tuæ, quas audiui, pergratæ mihi fuerunt, & facies etiam tua, persubtilissima flammei retia, intuitus sum, valde speciosa mihi visa est.

Vers. 15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. nam vinea nostra floruit.

SONVS ALLEGORIÆ.

VVlpes. Hebr. *vulpes vulpes paruulas*, iterato vocabulo; est autem proprius idiotismus, & gemina vox multitudinem significat. vt in Psalm. *Homo, & homo natus est in ea*, id est, multi homines; sic etiam *vulpes vulpes*, vim vulpecularum maximam notat. *Paruulas* de catellis accipi solet, quos vulpes verno tempore magno numero pariunt. Isti enim facilius capiuntur; nam quæ iam adoleuerunt, cautiores sunt. Hinc natum est prouerbium illud: *Veterana vulpes laqueo non capitur.* Adde etiam vulpes paruulas dici posse, quia animal hoc, corporea mole paruum est, sed astutia & calliditate magnum: ideò illæ etiam, quæ seniores sunt, vulpeculæ appellantur.

Demoliuntur. Septuaginta exterminant eodem sensu. Iudæam autem vulpibus infestari comprobat Samsonis historia: alioquin non potuisset tantam vulpecularum vim tam citò conquirere, & caudas caudis illigare facibus appensis, vt Philistinorum messibus perniciem afferret. Symmachus *corrumpunt.*

Vinea nostra floruit. Septuaginta, *vineæ nostræ florentes.* Hebr. *nam vineæ nostræ vuæ minutæ*, quod significat vernum tempus iam processisse, cùm recentes vuæ iam formatæ sunt, quod circa æstatem euenire solet. Alij etiam restituunt, *nam vinea nostra, est tenera & nouella*, quasi vulpes paruulæ non possent, nisi nouellis vitibus damnum dare. Venio ad sententiam.

Aliqui interpretes verba ista sponso dedunt, quasi ipse de sua vinea solicitus illius coloris hoc mandet, vt damnum illi, à vulpeculis imminens, omni arte prohibeant; quasi dicat: Ars arte fallenda est, & animal hoc, quod valde astutum est, ad decipiendum in decipulum compellendū est; aiunt enim illud, *capite*, perinde esse, ac *decipite*, eam quippe vim habet verbum *capio* in Scripturis, Matth.c.22. *vt caperent eum in sermone.* id est, *vt deciperent.* Ezech.23. *& dimittam animas, quas vos capitis*; & sæpe aliàs.

Est qui dicat sponsam ab sponso suo vineæ nomine compellatam in hoc loco, vt nimirum significet eam sibi pro vinea esse, in qua oblectatur, atque adeò ab illa omne id, quod contristare possit, sic arcendum, aut fallendum, sicut vulpeculæ à colonis decipi solent, ne vitibus noxiæ sint; sed non probo.

Plures sunt qui dicta verba sponsæ tribuunt; his assentior, & de eorum nexu cum superioribus sic statuo. Hæc vinea, ad quam inuisendam sponsa inuitata fuit, in superiori non est alia, nisi illa, de qua infrà cap.8. vers.11. *vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos; tradidit eam custodibus*, &c. quam dotalem vineam esse, & ab sponso pro nuptiis sponsæ donatam, inibi dicemus. Cui adsimile est illud Oseæ, *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores ex eodem loco, & vallem Achor, ad aperiendam spem.* Nam, vt suprà *vers.15.* notabam, sermo est de nuptiis Dei, & Ecclesiæ, cui nimirum pollicetur dotis Noë sortem aliquam in valle Achor, quæ tota vineis consita erat, vineam scilicet optimam, non quidem vacuam, aut sterilem, sed cùm spe copiosissimi prouentus. sic enim accipio illa verba, *ad aperiendam spem*, quibus significat Propheta in vinea illa aperuisse fructus primulos, qui vberem, tempore suo, messem sperare iubebant. Data etiam est hæc vinea simul cum colonis, seu vinitoribus, vt illi ad fructificandum non deesset cultura. Iam igitur intelliges huius carminis cohærentiam cum superioribus. Sponsa igitur accepta vinea, quæ dotis nomine pro nuptiis ipsi tradita erat, considera, ique eam, videt florentes vites & botrorum innumeram vim futuræ messis argumenta certissima; præuidens etiam, quantum sibi periculi & negotij impenderet à vulpibus, cùm vuæ ad maturitatem peruenissent. nam vulpes vuarum esu delectari, nemo ignorat, quarum apud Palæstinos copiam incredibilem esse, ex dictis compertum est. Conuersa ad colonos, seu vinitores, quos simul cum ipsa vinea ab sponso suo acceperat, sic eos affata est: *Capite nobis*, &c. Rabbi Salomō geminationem illam, *vulpes vulpes paruulas*, sic extulit: *Apprehendite vulpes, tam maiores, quàm minores*, & quidem verno tempore; quo vulpes procreationni dant operam, tam parentes, quàm filij, seu catelli, in foueis & cauernis conuenire solent, atque adeò tempus idoneum nacti rustici, eas simul opprimere solent, freno, aut laqueis suffocantes.

Ad hæc verba illa, *demoliuntur vineas*, aliqui de damno interpretantur, quod noxio & venenato dente vitibus inferunt, ipsas arrodentes, & decorticantes: nihil interest. Ait ergo,

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. Quàm aptè id petant à rusticis, manifestum erit, si morem apud ipsos inolitum contemplemur; ij enim eo tempore, quo vulpes alendis fœtibus vacant, obseruare solent specus & scrobes, vbi catellos reposuerunt. Et inde suffugationibus vel aliter eductos perimunt: igitur sponsa id curæ mandat colonis suis, vt vulpium fœtus teneros adhuc in viuariis, aut scrobibus degentes neci dent, ne isti cùm adoleuerint, vineas demolirent, & vastarent, non aliter nisi vuas incredibili appetentia obligurientes, *quia vinea*, inquit, *nostra floruit*; quasi dicat: impulit me ad id præcipiendum vineæ meæ flos iste luxurians, non quia vulpes flori damna dent, sed quia flos iste fructuum ingentem vim sperare iubet, de cuius periculo iam angor, & cui maturè succurrendum esse censeo.

Hinc elicies, quantum perdant operæ illi interpretes, qui in hoc loco, sicut etiam in aliis, leuiora quædam amoris accidentia perscrutantur; & illi etiam, qui affirmant sponsam propterea suæ vineæ à paruis vulpeculis timere potius, quàm à magnis, quia paruæ dum maiores prædas agere non possunt, vineis pestem afferunt. Constat enim ipsam nō à paruis vulpibus cauere vitibus suis, sed à magnis, quas tamē adhuc tenellas

perimi

perimi vult verno tempore, ne postquam excreuerint in autumno, perniciem vinctis suis parent. Ego verò libenter interpretarer de vastatione sepium, aut maceriarum, quibus vineæ circumdari solent, has enim sæpiùs vulpes cuneos, aut fossas agentes rumpere, & in ruinam impellere solent. cui expositioni inseruiunt omnes translationes præmissæ, scilicet, *demoliuntur, exterminant, corrumpunt*, &c.

Vers. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

Vers. 17. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRiùs ad trutinæ examen vocanda sunt singula verba, deinde series & connexio subsequentium cum antecedentibus contexenda; videtur enim intercisa. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Consonat cum alio versu infrà *cap.* 6. *vers.* 2. nisi quòd Salomon inuertit ordinem, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, non sine emphasi, vt infrà dicam. Perspicua verba, *qui pascitur*. Hebr. *pascens*. Septuaginta ποιμαινων, id est, *qui pascit*, ambiguè. Et eodem sensu capienda vulgata lectio, non sine lepore, nam rectè ipse pasci dicitur, quando oues pascuntur *in lilys*. Addo suspicionem nostri Delrij, qui sponsum tacitè dedalæ volucri comparari his verbis autumat, api, inquam, carpenti ac delibanti pulcherrimos quosque flores. Legionensis, *pasci*, inquit, *inter lilia*, dicitur sponsus, non quia lilia sint pascua, sed quia amantes fœminæ semper in ore habent rosam, lilia, gemmas, aurum, atque alia similia. Ego verò sinceriùs dico, *pasci in lilys*, perinde esse, atque in locis vberrimis greges pascere, non enim sacris litteris insuetum est ad camporum vbertatem, & luxuriem innuendam lilia vsurpare. Isaiæ 35. *Lætabitur deserta, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit*, &c. Oseæ 14. *Ego ero ros Israël, germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius vt Libani; donec aspiret*, &c. Dubium est, an ad antecedentia, an verò ad consequentia pertineant ista verba. Certè correctior distinctio, quæ in Christianis Bibliis exhibetur, antecedentibus adscribitur; in Hebraicis verò codicibus ad subsequentia referunt: sed hæc lis non est magni momenti. Sed correctæ Romanæ fidendum magis; hæc autem cum antecedentibus nectit, & punctum moratur, vsque ad illud, *Reuertere*, &c.

Maior lis est de significatione horum verborum, quam dirimere arduum & difficile iudico. Aliis enim vespertinum tempus notari magis placet, inter quos est Luysius Legionensis, qui acutè probat, sed non euincit. Alij matutinum describi contendunt, in his est Delrius. Non desunt etiam, qui meridianas ad horas trahant, & quidem si pendantur illa verba, *donec aspiret dies*. Hebr. יפוח *iapuhah*, à radice נפח *naphach*, *donec flabit dies*, quæ de ventis, aut mollioribus auris capienda videntur: profectò non facile decernas vtris magis conueniat, an matutinis horis, quibus Sol oriens commouere solet auras, an meridianis, quo tempore auræ placidiores incumbunt. Vide Aristotelem *in problematis cap.* 25. *sect.* 4. meridiano tempori, quo Sol etiam vigens, molles etiam ventos impellit, quadam naturæ lege, vt inquit Plinius *lib.* 1. *cap.* 30. vt æstus meridianus temperetur. cui fauet etiam Seneca *lib.* 5. *quæstionum naturalium, cap.* 7. & in maritimis regionibus regulare admodum est. Sic enim prouida natura Solis ardores meridianos temperat, quam in his plagis nimis exæstuant. An demum vespertino tempore, quo Sol occumbens leues quoque auras ciere consueuit, de quibus ille alius Poëta,

Aspirant auræ in noctem, nec candida cursum
Luna negat.

Adstipulatur illud Genes. 2. *Ad auram post meridiem.* Vtrumque verò complexus est Arist. loco citato, *flatus* inquit, *incipit, aut Solis ortu, aut Solis occasu.*

Rursus, si posteriora etiam verba ad trutinam veniant, *& inclinentur vmbræ* נסו *yasu*, id est, *fugiant*. Septuaginta, *amoueantur*, non erit arduum singulis horis accommodare. Nam manè primo Sol exoriens amouet, arcetque noctis vmbras. Meridie Sol suprà imminens, non facit locum vmbris; vesperi inclinantur etiam vmbræ, imò etiam fugiunt, vt luculenter admodum expositit Legionensis, nam perinde est vmbras fugere, occidente Sole, sicut maturare, vel ocyus moueri, ex proprietate sermonis Hebraici, quale est illud: *Fuge dilecte mi*, &c. De quo infrà consonat illud Maronis,

Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

cadunt scilicet, id est, velociſſimè pergunt.

Addo etiam tertiam acceptionem horum verborum,quæ duas clauſulas diſtribuit, prioremque matutino tempori donat. *Donec aſpiret dies.* Poſteriorem verò veſpertinis horis adiudicat: *& inclinentur vmbræ.* cui interpretationi non parum tribuo.

Venio ad ſententiã,*dilectus meus mihi,& ego illi.* recurrat memoria ad ea,quæ nuper diximus, *verſ.* 14. ad illa verba, *ſonet vox tua in auribus meis*, vbi hoc ſeriò poſtulat ſponſus, vt ſponſa, quæ tandiu ſilentio vſa fuerat, ipſam iam alloqui velit; & non inepte dicemus,ſponſam precibus ſponſi acquieſcentem hæc ad ipſum,& de ipſo prima verba enunciaſſe. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* quæ verba mutuam traditionem ſignificant; animi videlicet per amorem, corporis verò & bonorum omnium per nuptialem pactionem; quaſi dicat, ſponſus certa, & quæ ſponſi ſunt,omnia mea vtique eſſe affirmo. Ego item,& quæ pertinent ad me,omnia ſponſi mei eſſe aſſeuero; nihil ille vſurpat ſibi, & nulla etiam, vel minima re, ego illum defraudo. Digna certè vox vt prima eſſet, qua ſponſa ſponſum compellaret, nec alia vel prudentior, vel dulcior & gratior facilè excogitari poſſet. Quæ ſimilis eſt illi, quam Romani in ſuis nuptiis vſurpabant tanquam formulam communem ad ſignificandam tranſlationem ſponſæ in domum & familiam ſponſi, *Vbi tu Caius, ego Caia.* De qua ſic Plutarchus *in problematis Romanis.* Sed cur, inquiens,infrà *cap.6.verſ.*2. verba commutat ſponſa, poſtponens hîc quod ibi antepoſuit, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Hæc certè verba continent amoris auſpicium,& haud dubium,quin ſponſus amori initium dederit;ipſe enim nuptias petere & ambire incepit; id autem ſponſa nunc fatetur, cùm amorem & traditionem ſponſi præponit ſuæ, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; infrà verò *cap.6.* amoris progreſſum deſcribit, atque adeò amori ac traditioni ſponſi ita ſe reſpondiſſe ſignificat, vt illum ſæpiùs ad amandum ſic prouocet, vt non ipſa ſolùm, ſed ille redamare dicatur. aliam etiam interpretationem & optionem poſtea dabo, nunc enim conſequentia me vocant.

Qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Communis interpretatio ita fert, ſponſam cum ſponſo ſtilo bucolico ludere, & paſtoritiam artem, qua pollebat, ab illa commendari ac celebrari, quippe qui oues ſuas in ſaltibus vberrimis & amœniſſimis paſcat, à manè ſcilicet,vſque ad veſperam,cùm illas ſaturas plenaſque ad caulas referre opus erat. Addunt aliqui neſcio quid amatorium, vt ſcilicet propterea ſponſus inter lilia paſcere, aut paſci dicatur, quia id amatoribus familiare eſt, vt ſuos, aut ſuas non floridas ſolùm dicere auſint, ſed quidquid aut calcant, aut vident plurimos flores effundere, & liliis quamplurimis pubeſcere affirment. Virgil.

Ipſa tibi blandos fundum cunabula flores.

& rurſus,

Philidis aduentu noſtræ nemus omne florebit.

& Perſius *in ſatyras*,

Quidquid calcauerit roſa fiat.

Ergo ad eundem modum de paſtore ſuo Sulamitis pronunciat ipſum inter lilia flores ac violas paſcere, quaſi ipſo paſcente paſcua amœniora fiant, ac liliis floribuſque pubeſcant. Nec plurimi facio eos, qui dicunt ſponſam ideò paſtorem ſuum inter lilia greges paſcentem inducere,quia ſperaret illum in amœniſſimis locis, in quos oues pabulatum ducebat, roſas, & flores lecturum,& corollas conflaturum, quibus ſe ab illo ornari & coronari cupiebat. Denique haud reticendi ſunt qui hæc ab ſponſa in laudem ſponſi ſui iactatæ dicant, vt illum inter paſcua ſic ſplendeſcere, ac radiare dicat, vt ſua luce candidiſſimam diem efficiat, noctemque ac tenebras è mundo depellat.

Sed longiſſimè abſum, vt his aſſentiar; quapropter, vt huius allegoriæ corticem frangamus, aliqua ſupponere operæ pretium eſt. Primò, id quod aliàs non ſemel dixi,ſcilicet in hoc Cantico ſic pudori & honeſtati à Salomone conſultum, vt nunquam ſponſus & ſponſa, quæ in vnum thalamum conuenire dicantur, imò potiùs id prouidentiſſimè cautum à Propheta, vt ſponſa in thalamum recepta ac ſomno victa, ſponſus aliò diſcedat,& eadem euigilante aliunde ad ipſam accedat. Nil certius. Secundò ſupponendum eſt in eodem Cantico aliqua eſſe omnino bucolica & paſtoritia; ſed illa in primis, quæ Epithalamia, & tempora eiſdem adſcripta tam matutina, quàm veſpertina diuidunt ac diſtribuunt. Nam *cap.1.verſ.*7. illa verba, *Indica mihi, vbi paſcas,*

ſcas, vbi cubes in meridie, & quæ ſequuntur, *ſi ignoras te*, &c. Addita ſunt ad ſignificandum tempus veſpertinum ad Solis occubitum, quo nuptiæ incohari ſolebant, vt ibidem non perfunctoriè oſtendi; in hoc verò loco, & aliis, quæ ipſi ſimiles ſunt, paſtoris munus & cura gregum hanc etiam temporum & Epithalamiorum diſtributionem loculentiſſimè declarant.

Id verò vt meliùs teneas, ſupponendum eſt tertiò, paſtores anni tempora ſic partiri, vt ſcilicet per autumnum, per hiemem, ac ver ſic horas diſtribuant, vt ad veſperum ſub noctem greges ſuos ad caulas compellant. Deinde verò media, ſeu profunda nocte ad pabula carpenda ducant, tunc verò ante auroram, iterum ad caulas conuertant. Deinde verò poſt Solis ortum rurſus ouilia ſua ad paſcua referant, in quibus per integrum diem verſantur. ex quo fit, vt paſtores per autumnum, hiemem & ver, duo tempora diei vacua habeant, ſcilicet à veſpere vſque ad profundam noctem, & ab aurora, & deinceps, vſque ad ſolem dudum exortum, cùm pruina ſoluta, aut ros exſiccatus eſt, hæc enim nociua ſunt pecoribus, vt docet Columella *de re ruſtica lib. 2.* Aliter verò per æſtatem contingit, nam eo tempore paſtores totam noctem inſomnem ducunt, quia greges nulla noctis vigilia pabula intermittunt, niſi fortè tantiſper iuxta auroram, & paulò pòſt ad pabula redeunt, donec ſole vrente, longè ante meridiem ceſſant omnino, & à paſcuis ad opaca loca ſe recipiunt, nec paſcua iterum repetunt, quo ad ſole ad occaſum properante æſtus deferueat.

Hæc omnia experientia duce nouimus, & de pernoctatione hiemali ſermo fit Lucæ 1. *& paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* De cubatione verò, ſeu quiete æſtiuali per meridiem loquitur ſuprà ſponſa, cùm ait: *Vbi cubes in meridie.* De alternatione paſtus, & diſcubitus gregum per horas ſermonem facit Ezechiel cap. 34. *Ego paſcam oues meas, & ego accubare eas faciam.* Hieronymus: *Hoc eſt quod facit ſolicitam & ærumnoſam vitam paſtorum, qui per horas, die & noctis vigilias gregibus incumbunt, nunc paſcentes, nunc cubare facientes pecudes ſecundùm temporum differentias.* quibus verbis eam diuerſitatem paſcui & cubationis complectitur, quæ per quatuor anni tempeſtates ſuis gregibus, non ſine magno labore & moleſtia paſtores accommodant, qui nimirum, vt oues commodè & tempeſtiuè paſcua ſumant, & à paſcuis ad quietem redeant, valdè inquietam & ſolicitam vitam agunt.

Iam intelligis quò tendam, ſi quidem velis ſermonem eſſe de vere ad æſtatem vergente, cùm oues meridiano tempore prolixiùs cubant, donec ſole ad occubitum vergente ad paſcua mouentur; id enim congruit cum illa interrogatione ſponſæ, *vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Locum iſtum ſic interpretari fas eſt; nimirum ſponſam, quæ primo manè excitata è domo egreſſa, & ad vineas obeundas adducta fuerat, & cum ſponſo conuerſari cœperat, eidem ſponſo perſuaſum voluiſſe, ne diſcederet, ſed apud ſe maneret tandiu quoad ſole ad occaſum vergente, & vmbris deciduis inſtaret neceſſitas regendarum ouium. Ad hunc modum: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* (nam huc vſque morandum eſt punctum.) Dilectus, inquam, meus mihi apud me maneat, id eſt, & ego illi quoque adero: ille, inquam, dilectus meus, qui greges paſcit in locis vberrimis, cui licebit certè ſic apud me manere, ad vſque Solis occaſum, cùm auræ molles incumbunt flatu ſuo, & vmbræ properantes ſuadent gregibus adire denuò paſcua; nam ad illud vſque tempus, quando cura & cuſtodia gregis iam inſtat, nihil eſt quod illum à me ſeparari cogat. Vide autem verborum emphaſim, ne ſponſum morderet cura gregum, & vt diutiùs ſecum moraretur. Propterea addit, *qui paſcitur inter lilia*, id eſt, qui paſcuis vtitur vberrimis, atque adeò non verendum, etiamſi greges ſeriùs educantur è ſtabulis; breuius enim temporis interuallum ſat erit, vt ſaturæ ac plenæ prorſus oues ad ſtabulare pedent. Annuit ſponſus: interim delitiantibus abit tempus, ſol parat obitum, & ſponſus iter. tunc illa: *Reuertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.* quibus verbis admonet, vt maturè ad ſe reuiſendam veniat; de quibus poſtea.

Vel ſi mauis, ſponſa præſcribit ſponſo tempus quo ſingulis diebus conuenire debeant, ſine iniuria pecorum, quibus regendis ſponſus vacare fingitur, id autem eſſe dicit, à manè vſque ad veſperam, hoc eſt, ab eo tempore, quo ſol ortus auras molleſceret, ad id vſque quò vmbræ inclinantur & properant (quod fit accommodando priora verba matutinis; poſteriora verò promeridianis horis.) Id autem vt ſuadeat

Sulamites, inserit illa verba, *qui pascitur inter lilia*, id est, in pascuis vberrimis, quasi dicat, facilius id præstare poteris, & à manè primo vsque ad vesperum apud me manere; siquidem pascuis veteris abundantibus, in quibus citius exsatiatæ pecudes pabula intermittunt, & diutius in stabulis hærebunt. Annuit sponsus, & iam iam iter parantem admonet de regressu, dicens: *Reuertere*, &c.

Sed quamuis hæc sine iniuria contextus dici queant, meum tamen iudicium de sono huius allegoriæ, sic habet, & quidem existimo in his verbis & aliis similibus, quæ leguntur in hoc Cantico, sermonem esse de pastu pecorum, iuxta consuetudinem, quam pastores obseruare solent toto anni tempore, excluſa æstate, cùm pecora per diem pascua carpunt, & profunda nocte eadem repetunt, quæ Hispanè dicuntur, *pastar y repastar*. & reliquis diei horis in caulis morantur, atque adeò pastoribus duo diei tempora vacua relinquunt, scilicet ante auroram, vsque ad Solem dudum exortum, & à vespere vsque ad dimidiam circiter noctem. Nec pugnat cum hac interpretatione illud, *vbi cubes in meridie*, quia, vt ibidem per ocium ostendi, super illa verba: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi, & pasce hædos tuos*, &c. Sponsus certè Sulamiti suæ tempus indicit, quo nuptias inchoari oportebat, scilicet pro meridiano tempore ad vesperam diei, cùm greges è pabulis ad stabula redeunt, iuxta morem pascendi, & cubandi, nuper dictum.

Itaque germana horum verborum interpretatio sic habet: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Primus sermo sponsæ ad sponsum, vt nuper dicebam. Addit: *Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Nam cùm sponsus ab sponsa discedere pararet, à cura, seu custodia pecorum euocatus, sic sponsa ad illum quandoquidem, ô princeps pastorum, qui in locis vberrimis pascis greges tuos, expletis horis, quibus pecora in stabulis hærere solent, vrget necessitas abeundi, ne illis ad pascua educendis, vel exiguo tempore desis, id rogo ac contendo, vt ad vesperum, cùm auræ aspirare solent, & Sol decedens, vmbras maiores efficit, ad me non cunctabundus, sed velox & pernix venias: *reuertere, similis esto capreæ*, &c.

In qua interpretatione satis loculenter continetur apta distributio temporum ad nuptialia exercenda, quæ matutino & vespertino tempore agebantur, vt ex contextu constat. Ad Epithalamia etiam pangenda; hæc enim & primo manè ad auroram, & vesperi sub noctem occinebantur, iubente & adstante sponso. Et, quod præcipuum est, optima quoque ratio assignatur, ob quam sponsa per noctem, somno victa discedit, sponsus scilicet ab ouilis sui custodia euocatus, vt nimirum vigilias noctis ageret super gregem suum, illud de more, profundissima nocte è caulis ad pabula perducens. Causa etiam adscribitur, ob quam post matutinas horas iterum discedit, vt scilicet oues eodem modo è stabulis ad pascua per diem carpenda perferat. Tempus denique vacuum illi tribuitur, vt gregibus de more cubantibus, tum vespertino, tum matutino tempore ad sponsam omnes nuptiales ritus opportunè peracturus redeat, & tamen nullo tempore suorum pecorum custodiam & curam aut intermisisse, aut deseruisse constet. Quod aptè satis in Regem quadrare videtur, qui nullis voluptatibus à cura subditorum auerti potuit, & quidem sponsum tanquam Regem induci in hoc Cantico sæpe aliàs diximus, atque eundem pastorem hîc appellari compertum est. Nihil enim ad regiam dignitatem & curas regias notandas magis appositum, quàm cura munúsque pastoris.

Hunc sensum reddunt illa verba, *Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnulóque ceruorum super montes Bether*, non *Bethel*, ex correctione noua Septuaginta, *cauitatum*, non *ciuitatum*, (nam mendum est, in quibusdam codicibus Latinis) qui pro *Bether* habent *cauitates*, vel *conualles*, hinc inde distantibus rupibus apertos, qui non parum retardant viatores. Quapropter monet sponsa, vt per hos conualles capreæ velocis, aut volucris cerui feratur in modum, vt ocyùs ad se inuisendam remigret, nec vlla de causa ad præscriptum tempus desit: de his autem montibus alibi plura dicam. De caprea & hinnulo ceruorum satis multa diximus suprà *vers.9.* quæ in hunc locum transferri possunt. Hîc verò explicit secundum Epithalamium matutinum, quod summam continet earum rerum, aut rituum nuptialium, quæ secunda die nuptiarum primo manè agitari solebant.

EPITHA

EPITHALAMIVM TERTIVM VESPERTINVM, AD VESPERAM ſecundæ diei nuptialis cantatum.

NOVVM drama, nouúmque Epithalamium incipit ab hoc carmine, quod certè veſpertinum eſſe conſtat, quia in ſomnos deſinit. Abſoluitur enim illis verbis: Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis, *&c. quæ ipſiſſima ſunt, quibus clauſum fuit prius Epithalamium, quod primo die ad veſperum dictum conſtat. Et quidem hæc cantatio nuptialis veſpertina continet elegantem ſponſæ probationem, qua ſponſus reditum ad ſponſam retardans, eius fidem experiri voluit. Hoc verò experimento excitatus amor ſponſæ, & quod externa nocte acciderat memoriâ repetens, cùm ſponſum in thalamo veſtigans, eum abeſſe intellexit, zelotypia tangi cœpit, ac proinde robore pluſquam fœmineo obarmata, ſuſpicans illum alienis amoribus indulgentem è ſyluis ad vrbem fortaſſe veniſſe è domo ſyluana, in qua erat, ad eandem vrbem procedit, & veſtigatum, inuentúmque, ſponſum* in domum matris, *id eſt, in cœnaculum, vbi cœna ſecunda nuptialis inſtructa erat,* & in cubiculum, *hoc eſt, in aulam, vbi thalamus genialis adornatus erat, ipſum adducit. Deinde verò cùm ſomnus illi poſt cœnam, vt ſuprà, irrepſiſſet, adiuratis puellis pediſſequis, ne illius ſomnum interturbarent, de more ſuo quaſi ad cuſtodiam gregum, nocturnam nuper dictam, iterum diſcedit ſponſus,* &c.

CAPVT TERTIVM.

Verſ. 1. In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni.

SONVS ALLEGORIÆ.

CIRCA ſenſum Grammaticum nihil occurrit, præterquam in quibuſdam codicibus ex vulgatis legi *per noctem*, non *per noctes*; & quidem ita exiſtimo, ſponſam quid ſibi euenisſet nocte præterita, quæ fuerat prima nuptiarum, hiſce atque ſequentibus verbis puellis narraſſe, vt docent Nyſſenus & Theodoretus, atque adeò illud *per noctes*, pro ſingulari *nocte* capiendum, id eſt, *per noctem*, vt in pleriſque codicibus legi diximus. Septuaginta interpretes, poſt illa verba, *& non inueni*, ſubiiciunt, *vocaui eum, & non reſpondit mihi*, vel, vt eſt in correctiori textu, *& non obaudiuit me*, eodem ſenſu.

Communis interpretatio huius allegoriæ verba iſta ſic accipit, vt ſponſa tanquam noua nupta, verba hæc de thalamo geniali enunciet, in quo honeſtam matrimonij conſummationem fieri oportebat; id certè per quandam reticentiam, & per lecti nomen ſubindicans: itaque illud, *quæſiui, & non inueni*, perinde eſt, ac, deſideraui, & voti compos nequaquam euaſi; quia ſponſus & à me longiùs abſceſſerat, atque adeò vocatus à me, & inuitatus ad lectum, non audiuit, quia vox mea ad ipſum abſentem peruenire non poterat.

Noſter Sanctius diſceſſum iſtum ſponſi ab ſponſa, iuſta ex cauſa factum dixit, quia nimirum dicta matrimonij conſummatio, ritu ſolenni Hebræorum non continuò in prima nuptiarum nocte, ſed ſuccedentibus diebus fieri ſolebat, idque probat exemplo Liæ & Rachel, de qua ſic Laban ad Iacob, *Imple hebdomadam huius copulæ*, &c. quibus

non obscurè significauit consummationem prædictam, expleta iam nuptiarum hebdomada, iuxta morem patrium perficiendam esse.

Sed hæc omnia, me iudice, valde aliena sunt ab hoc Cantico, in quo puritas sic elucet, vt omnem ab eo suspicionem dictæ consummationis, consultò Salomon relegauerit, vt ne in mentem quidem tale quidpiam venire posset, quia, vt suprà *cap.6.* superioris Isagoge, fusè probaui, carnis illa coniunctio, quæ inter Christum, & Ecclesiam intercedit, ei similis, quam præstat consummatio matrimonij ad sobolis procreationem, quæ iuxta propheticum sensum in hoc Cantico describitur; non in tori, aut lecti coniugalis consortio, sed in conuiuio nuptiali; quod cœleste Eucharistiæ mysterium adumbrat, perficitur & absoluitur, vt proinde dictæ consummationis mentio, & superuacanea & indecens foret. lege ibi plura.

Melius fortasse Græci Patres apud Theodoretum, qui nomine *thalami*, aut *lecti nuptialis*, non quidem maritale commercium, sed requiem & feriationem à laboribus accipi debere affirmant; ac proinde sponsum in eo numquam inueniri, quia numquam quieti indulgebat, nec labori vnquam parcebat, quod satis aptè repræsentatur in hoc Cantico, quoties dormiente sponsa, de custodia gregum solicitus abit sponsus, vt illi sine feriatione aliqua incumbat.

Ad hæc Centumputelanus noster aliter comminiscitur, qui thalamum iam inde ab his verbis genialem currum intelligi vult, quo maritus è paternis eductam laribus in suos asportabat, quasi dicat, Sulamites se vt erat nuptias impensè appetens, sponsum suum vnà in geniali curru incedentem, mirum in modum exoptasse, nec tamen aliquot noctibus horti compotem euasisse. quoad nocte quadam intempesta quæsitum illum egressa est, inciditque in sponsi amicos, quos vrbis custodes, aut excubitores appellat, à quibus & à vulneribus petita & sauciata fingitur, existimat hic Auctor, nam ea, quæ hîc narrauit Salomon, vsus compendio, ipsissima referri putat, fusiùs *cap.5.* vbi illis verbis: *Aperi mihi soror mea*, &c. Addunt, & nescio quos ludos, aut iocos in nuptiis vsurpatos. Sed tamen hæc mihi à reliquo contextu aliena, & dissentanea semper visa sunt.

Quapropter his prætermissis, mea de sensu historico sententia sic habet: In primis lectuli nomine, nuptialem thalamum notari existimo. Hebr. משלב *miselub*, à radice *sachab*, id est, *cubauit*, quæ vox stratum & thalamum significat, estque longè diuersa ab illa, quæ subest illis verbis: *Lectulum fecit sibi Rex Salomon*, &c. de qua pluribus eo loco dicemus. Rursus iterandum est id, quod sæpiùs alibi dixi, nimirum dormiente sponsa, sponsum semper abire, & elabi, quod à Salomone diuino afflante Spiritu, aptissimè confictum est, ne quid turpe & obscœnum veniret in mentem, si quis duos sponsos simul cubantes, & in eodem thalamo compositos suspicaretur. cauet enim sacer scriptor etiam à suspicione turpitudinis.

His præmissis cogita sponsam vespertino tempore nocte iam ingruente, sponsi aduentum præstolantem, & interim cum puellis loquentem induci à choro, & quod sibi, anteacta nocte, euenisset, edisserentem; & quidem in initio præteriti Epithalamij addidi sponsum, dormiente sponsa discessisse ex mente Patrum & interpretum. Ergo sponsa sic ait: *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea*, &c. quasi diceret. Sponso adhuc mecum agente, sopore correpta fui, in thalamo decumbens, euigilans verò è somno, sponsum vestigaui, lectum pertentans manibus, *& non inueni*, id est, abesse illum comperi. Rursus vt explorarem, an qui in thalamo non aderat, in eadem saltem esset domo, *vocaui, & non respondit mihi.* Addit statim,

Vers.2. Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta, *Exurgam nunc, & circuibo in ciuitate, in foris, & in plateis, & quæram quem dilexit anima mea.* In foris videlicet, ac competes, vbi iudicia exercentur, ac res venales expositæ sunt, *quæsiui illum*, &c. etiam Ambrosius subiicit illa verba, *vocaui, & non exaudiuit me.*

Difficilem reddit locum istum, vox illa, *surgam*; videtur enim innuere sponsam, de absentia sponsi solicitam è lecto, in quo iacebat, surrexisse ad illum vestigandum.

Ita

Ita recentiorum turba, & ex Patribus Nyssenus. Quòd si ita se res habuit, euertitur id quod initio præmisimus, hoc nimirum esse Epithalamium vespertinum, somnos adducens cum sponsa se surrecturam è lecto aperte profiteatur, quod magis ad excitationem matutinam pertinere videtur. Quapropter præferenda mihi videtur mens Theodoreti, & Bernardi, & aliorum, qui sponsam non è lecto surrexisse, sed absolutè ad sponsum perue stigandum se accinxisse affirmant; nam sic vsurpari solet verbum *surgo* in sacris literis, cuius rei occurrunt penè innumera exempla. *Luca* 15. filius qui paternas decoxerat fortunas, ad se rediens, dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Isaiæ 60. *Surge, & illuminare Hierusalem.* Genes. 13. *Surge, & perambula terram.* & sæpe alibi. Ergo supponendum est sponsum quem Sulamites, vespertino tempore, gregibus ad stabulandum iam compulsis, ocyùs ad se venturum sperabat. hoc enim ille indixerat præmissis verbis, *donec aspiret dies*, &c. & subinde, *reuertere, similis esto*, &c. fidem illius aliqua probatione explorare, & amorem subiectis zelotypiæ fascibus accendere voluisse. Eapropter, moras nectit in syluis, & tempore statuto venire ad sponsam defert; nihil enim ad probandam & explorandam vxoris fidem & amorem magis idoneum, quàm sponsi absentia.

Secundò supponendum est, ex absentia sponsi zelotypiam in sponsa excitatam; sic passim interpretes. At, inquies, indecorum videri, vt sponsa tanti & tam fidelis sponsi zelo exarserit, quasi ille spreta propria vxore ad alienas diuertere potuerit; hæc enim sola ratio zelotypiam mouere poterat, quod ab vtroque tam sponso, quàm sponsa abhorret maximè. Cæterùm hæc sponsæ zelotypia ad sensum propheticum & spiritualem translata optimam reddit sententiam; & in sponsam, sine iniuria sponsi, cadere potuit. Quid enim magis proprium, siue Ecclesiæ, siue animæ iustæ cum laboribus, ærumnis ac tribulationibus atteritur, cùm scilicet sponsus eius Christus Dominus, illam ad tempus deseruisse, & longiùs discessisse videtur, quàm zelo eiusdem sponsi tangi ob temporalem felicitatem, qua gaudere solet impiissimè infidelium cœtus, ac turba. Vnde Dauid in Psalm. 72. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum*; in labore hominum non sunt, verba de vniuersali Ecclesia, comparat cum aliis infidelium scitis, interpretatur Hieroynmus. quæ nimirum zelo isto accensa cum sponso suo, sine aliqua iniuria illius, iusta de causa expostulat, (vt fert natura & conditio zelotypiæ, & eorum, qui zelo tanguntur.) non propterea Ecclesia Christi sponsa amorem deponit, imò potiùs ad redamandum, magis ac magis incitatur vrente zelo. Ideò Dauid, postquam temporariam infidelium fortunam multis persecutus est, tandem concludit. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram; defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant se à te, peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est*, &c. quibus verbis facilè declarat Propheta, Ecclesiam & animam iustam ex zelo, quo tacta fuerat, ad amorem sponsi sui, vehementiùs inflamari, & dictam impiorum turbam cum meretricibus computari, ac numerari. iuxta illud, *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*, &c.

Tertiò notandum, scortantium fœminarum turbam sub noctis initio ad fora & plateas conuenire solitam, procis & adulteris eôdem commeantibus. Perspicuè id colligitur ex *cap.* 7. *Prouerb.* vbi sic habetur: *Considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro aduesperascente die, in noctis tenebris, & caligine.* hæc de proco. Reliqua de meretrice: *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, vaga & quietis impatiens, nec valens domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Ecclesiastici 9. non platearum tantùm, sed vicorum etiam occurrit mentio. *Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te, & animam tuam. noli circunspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius: auerte faciem tuam à muliere compta*, &c. Item Philo Iudæus meretricem describens in libello de scorti mercede non recipienda in sacrarium inter alia, sic ait: *Non tam domum suam, quàm fora compitaque diligens petulans suæ formæ prodigia*, &c.

His præiactis, finge sponsam iam post vesperum de nocte spectantem, & sponsi moras ægrè ferentem zelotypiæ suspicionibus indulsisse. Ergo, quia in eo temporis articulo sub noctis initio procorum & scortorum fiebant conuentus in plateis & vicis, *Surgam*, inquit, *& circuibo ciuitatem, per vias & plateas quæram quem diligit anima mea.* Nata verò est suspicio ex eo, quòd externa nocte ipsa consopita discesserat sponsus.

sponsus. Et vt suspicionem deponat,explorare vult, an sponsus alienis amoribus tangeretur, eapropter vicos & plateas ciuitatis obire parat de noctis exordio, quia his locis,& eo tempore amatorum commercia fieri constabat, suspicans nimirum ibi inueniendum, si aliam fœminam adamasset; & quidem iners amoris flamma est, quæ amantes non vrit suspicionibus, non angit solicitudinibus. De sponsa verò dilecti sui absentiam & moras incusante, sic D. Bernardus in hunc locum: *Quid sibi vult pertinax ista,& diuturna fraudatio,tædiorum nutrix, suspicionum fomes, impatientiæ fax, nouerca amoris, mater desperationis.* Hæc ille; ex quibus liquet sponsam zelo & suspicionibus arsisse.

De Grammatica horum verborum, & syntaxi aliquid dicendum supereſt. Itaque verba præmissa, aut possunt omnia ad præteritum tempus reuocari, aut in præteritum, futurúmque distribui; si præteritis adscribantur,ita nectendum filum. Chorus qui sponsæ agebat personam, rem anteactam sic enarrat: *In lectulo meo externa nocte, quæsiui quem diligit anima mea, & quæsitum non inueni.* Deinde verò hac ipsa nocte, cùm ad præscriptum tempus domui non succederet, dixi,apud me: *Surgam, & circuibo ciuitatem,*&c. Certè hæ futuri temporis voces pro præteritis capiendæ sunt,*surgam,*videlicet,pro *surrexi;circuibo,* pro *circuiui;*hæc enim tempora vicissim permutantur,vt sæpe alibi dixi.

Quòd si aliter velis in præteritum futurúmque partiri, quod aptius ad naturam dramatis fingitur,sic texenda series. Sulamites sub noctis initio cum puellis verba serens. Primò,quid sibi nocte præterita accidisset, narrat, dum ait, *in lectulo meo,*&c. Deinde dum vrit zelotypia, *surgam*, inquit, *& circuibo ciuitatem*, &c. Surgit ergo, & vbi fora xysta & angulos percurrit, vestigatúmque sponsum nacta est domui succedens, quid acciderit puellis rursus aperit. Quomodo videlicet diu quæsitum in compitis & plateis non inuenerit, in quo fidem illius commendat, qui nequaquam adulterorum in morem eo tempore fora & angulos obiret, quomodo item ad excubias vrbis deuenerit,& de sponso didicerit,&c. subnectit statim: *Quæsiui illum,& non inueni.* Hæc verba cum sequentibus consui debent.

Vers. 3. Inuenerunt me vigiles, qui custodiebant ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?

Vers. 4. Paululum cùm pertransissem eos,inueni quem diligit anima mea.

SONVS ALLEGORIÆ.

VIgiles. Septuaginta,*custodes,qui circumeunt.* Hebr.*circitores,*hi scilicet,qui omnes vrbis calles, angiportus, compita & angulos perscrutantur. Hispanè, *los que andan de ronda*, id suadent illa verba, *inuenerunt me*; si enim de vigiliis & excubiis ad muros destinatis sermo esset, ipsa potius inuenisse, quàm ab illis inuenta diceretur. Verùm enim verò locum de militibus excubias agentibus interpretari etiam licet, & quidem aptiùs ad institutam narrationem. Nam vox Hebraica השמרים *hasmerim, excubitores* etiam sonat, & סבב *subab*, *circuire*; tamen id non alienum à munere excubiarum, qui non semper vno in loco hærent,sed per muros etiam discurrere & circumire consueuerunt. Vel aliter: *qui circumeunt ciuitatem.* qui videlicet vndequaque vrbem cingunt diuersi diuersis muri regionibus & portis adscripti; non quia omnibus occurrisset vigiliis, sed quia aliquibus ex his,quæ per muri ambitum excubabant, obuiam facta fuisset. Et sanè eiusmodi vigiliæ, ad portas vrbis asseruandas destinari præcipuè solebant, is enim erat militum excubantium locus, 2. Regum 18. *Speculator qui erat in fastigio portæ super murum*, & sæpe alibi. Illud verò, *inuenerunt me*, dupliciter eludi potest. Vel enim ita dicitur, quia excubiæ,ad quas pertinebat oculis omnia lustrare, priùs viderint Sulamitem, vt quidam volunt; vel certè, quia illud, *inuenerunt me*, perinde est, ac occurri illis, id est, ad illos deueni. tandem Isaiæ 65. *inuentus sum à non quærentibus me*, id est, occurri ego ipse illis. Machab. 6. *inuenerunt nos multa mala*, id est, *ad multas deuenimus calamitates.* Psalm. 114. *pericula inferni inuenerunt me*,& sæpe alibi. In hanc sententiam abit Vatablus, Thargum, & ex Patribus D. Bernardus, Philo, Apponius & Rupertus.

Communis interpretatio id solum in his verbis æstimatione dignum ducit, quòd fœmina ista,aut potiùs virago vrente zelo & sponsi moras nectentis videndi desiderio

inflam

inflãmata, in tantam audaciam proruperit, vt præcepti impetu in vrbem ingreſſa, non ſolùm omnia loca publica, iterum, atque iterum circumire, (id enim ſignificat tranſlatio Septuaginta, *circuibo in ciuitate*) ſed etiam in milites excubitores, auſu quodam temerario, quaſi irrumpere, non dubitauerit. Nam quonam modo ſponſæ mores & ingenium tam citò conuerti potuerunt, vt quæ primo manè pudori conſulens, è domo, in qua erat, pedem efferre tanto ſtudio detractabat; iam nunc veſpere ingruente eluta fronte, & pudore exuto, militarique accincta robore, vires fœmineas ſuperans in vrbem irruere, & excubias aggredi non timet. Hos auſus temerarios zelotypia certè ſponſæ ſuaſit, quæ reliquos animi affectus facilè vincit, ac ſibi ſubſternit, moreſque & ingenium efferat, fœminaſque, alioquin mitiſſimas, ad ſęuitiam conuertit. Huc ſpectat illud Salomonis *Prouerb. 6.* de zelo viri ſic pronunciantis. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Eadem enim de fœminarum zelo affirmare integum eſt. Itaque huius Cantici auctor non temere ſubitam iſtam ſponſæ mutationem induxit, ſed ex natura zelotypiæ, quæ ipſa etiam fœminas imbelles ad audendum proiectiſſimas efficit.

Noſter Sanctius affirmat, hæc verba, & quæ infrà *cap. 5.* leguntur, eadem prorſus eſſe, ſuppreſſis his, quæ ibi de plagis acceptis, & adempto pallio dici conſtat; ſed longè abſum, vt hoc credam, vt ex dicendis vtrobique perſpicuum fiet.

Ergo vt ſenſus hiſtoricus huius loci cum antecedentibus contexatur, ſic commentari oportet. Sponſa, quæ in domo ſyluana, aut hortenſi manebat, ibique ſponſi ſui aduentum ad veſperam præſtolabatur, cùm illum morari ad multam noctem vidiſſet, & externæ noctis iniuria in memoriam rediret, quando ipſa dormiente in ſyluas aufugerat (vt nuper dicebam) ſuſpicionibus torqueri cœpit; atque adeò zelo vires & animum miniſtrante, relicta domo in vrbem irruit, vicos & fora ſemel & iterum luſtrauit, vbi amatores conuenire ſolebant, & tamen quæſitum ibi non reperit. *Quæſiui* (inquit) *eum, & non inueni.* Sed quò tunc illius audacia prorupit? Certè ad portas vrbis ocyùs occurrit, & de ſponſo certior fieri cupiens, ad milites excubitores, qui illis aſſeruandis inuigilabant, acceſſit. *Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem*; non ſolùm, quia illorum oculos effugere non potuit, ſed quia ipſamet illis audacter ſe obiicit, vt ab eiſdem, ſi fieri poſſet, de ſponſi in vrbem aduentu, edoceretur; ſic enim eos compellauit. *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Non exponit viri nomen, ſed de affectu ſuo illum appellat, credens ſcilicet, ipſum eo indicio omnibus innoteſcere poſſe. Quid plura? Audiuit certè ab excubitoribus portarum, ſponſum minimè ad vrbem ingreſſum. Idcirco ad ſyluas redire parat, nec dum verò ab vrbe exceſſerat, excubias prætergreſſa. *Paululum cùm pertranſiſſem eos*, cùm dilectum & concupitum ſponſum foras inuenit. *Inueni quem diligit anima mea.* Ex tunc verò ſuſpiciones omnes depoſuit, quas ſuſcitauerat prior perſuaſio, ex quo ſuſpicari cœpit, ideò ſponſum ſuum ad illam redditum diſtuliſſe, quia fortaſſe in vrbem venerat, alienos amores procuraturus.

Itaque ait, *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Et ſanè cùm Sulamites cuſtodias in vrbis foribus excubantes ſe pertranſiiſſe dicit, ab vrbe egreſſa ſignificatur. Ita ſenſit Nyſſenus, & prodidit ſententiam, hiſce verbis: *Poſtquam nimis curioſo ſtudio cogitatis, egreſſa eſt illa ſupra mundana ciuitatis, tunc relicto vniuerſo quod inueniebatur, ita cognouit id quod quærebat.* Hæc ille. egreſſum ſponſæ accommodans myſteriis; cùm enim ſponſus paſtores ruricola fingatur, aptè dicitur inuentus extra vrbem, vel operi ſuo vacans, vel certè ab opere iam domum rediens, quo ad ſuſpiciones ex animo Sulamitis euellendas, nihil appoſitius excogitari poterat; ſi quæ illius mentem angebant, ſubdit,

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Series verborum & ordo dramatis ita pangendus eſt: Sulamites, quæ ſponſum exquiſierat in vrbe, & qua tandem ratione comperiſſet, extra vrbem edixerat: addit modò illum à ſe comprehenſum ne elaberetur. *tenui eum*; quid verò deinde facturа ſit, aperit, dicens; *nec dimittam, donec introducam*, &c.

Primò ex verbis aliqua expendenda ſunt. Pro *matre*, Hebraicè אם *Am*, pro genitrice, הרה *Horah*. Prior vox latiùs patet, & non pro matre tantùm, ſed pro auia etiam

ſumi

sumi consueuit; imò etiam pro quauis nupta fœmina, sicut etiam Latini *matres* appellare solent quaslibet coniugatas fœminas, cuius rei innumera suppetunt exempla. Posterior verò non ita latè patet, *Horah*, id est, *quæ concepit*, aut *quæ genuit*, quod solum genuinè & naturali matri videtur accommodari. Rursus sicut familiare erat Hebræis, vt ponam maritus *sororem*, hæc verò maritum *fratrem* appellaret, vt in hoc Cantico, & alias sæpe videre licet, ita etiam sponsa coniugis sui, patrem similiter, atque matrem, suum patrem, ac matrem dicere consueuit. Adducor autem ad id existimandum, quia sponsa in domum coniugis translata suorum parentum obliuisci iubebat. Iuxta illud Psalmi 44. *Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, quia concupiuit Rex speciem tuam*, vt *cap.* 8. *vers.* 7. latiùs ostendam, quia nimirum proprios deinceps supprimens, mariti parentes suos nuncupabat, socrum videlicet, matris, & socerum patris nomine compellans. Cùm enim sponsa in sponsi familiam & iura transiret, iam deinceps sponsi parentes suos ducebat. Hinc factum, vt *Matth. cap.* 1. in genealogia Saluatoris, non Mariæ, sed Ioseph parentes aui & ataui numerentur, quia nimirum Maria, vbi nupsit Ioseph, de illius familia censeri cœpit.

Pro cubili Hebraicè est חדר *heder*, quam vocem suprà interpretes *cellarium* conuertunt *cap.* 1 *vers.* 3. Septuaginta vtrobique ταμιεῖον, quæ *penum* significat, vbi vtensilia conduntur, & aulam quæ nuptialem capit thalamum. Nam *Tobiæ* 7. sic Tobias ad Annam vxorem suam, secundùm lectionem Septuaginta: *Soror, præpara alterum cubiculum, & introduc eam*, &c. vbi vox ταμιεῖον similiter reperitur.

Sensus historicus huius loci difficultate non caret. Communis expositio, verba accipit vt sonant, sine emphasi aliqua; vt sensus sit: *tenui eum, nec dimittam*, non quia repugnaret, aut è manibus elabi contenderet sponsus, sed quia præterita sponsi anxietas, & experientia repetiti discessus illi suadebant, ne satis fideret nec sponso, nec sibi, *tenui eum*; quia nimirum in amplexus ruens collum ipsius brachiis innodauit: sic Bernardus, sed illud sinceriùs. Ipsi adhæsi, & ab ipso auelli, ac separari non patiar: *donec introducam eum in domum matris meæ*; id est, in penetralia, & intimos lares domus, vbi mulieres degere solent. Ita enim consuetudo fert, vt fœminæ intimam ædium partem inhabitent, viri autem in exteriori domo incolant, ne videlicet ipsi rursus occurrere & sine arbitris abire liceat: *& in cubiculum matris suæ*, id est, in thalamum geniale, vnde præterita nocte ipsa dormiente clam aufugerat.

Meum verò, de sententia horum verborum, iudicium, aliter se habet: existimo enim in hoc loco, sicut in plerisque aliis, ritum quendam in nuptiis solennem describi. Ergo supponendum est, præparationem & ornatum cubiculi & thalami nuptialis, in quo ponti excipiendi erant, ad sponsæ matrem olim pertinuisse. Comprobat hoc Tobiæ locus suprà audatus, iuxta vulgatam lectionem. *Et postquam epulati sunt, benedicentes Deum, vocauitque Raguel ad se Annam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum, & introduxit illuc Saram filiam suam.* Et quidem hodie inter alia, quæ dotis nomine sponsa affert ad coniugium, numerari solet thalamus genialis, & alia ornamenta cubiculi. De priscis extat illud Ciceronis pro Aldo Cluentio; *Lectulum illum genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari & sterni exturbata filia iubet.* Athenæus autem inter aliam pompam, nuptialem thalamum etiam à domo sponsæ in ædes mariti traduci affirmat, vt alibi diximus. Lege Lipsium *lib.* 1 *selectorum cap.* 17. Itaque domum, & reliquam domus supellectilem, cæteramque nuptialem pompam expedire, & adornare partium erat mariti & parentum eius: at verò genialis thalami, & cubiculi compositio ad sponsam spectasse, & eiusdem matrem. Cubile autem & aula, in qua thalamus sternebatur, si iam obiisset sponsi mater, idem filio dabatur, in quo mater viuens degerat, & dormierat. *Genes.* 24. de Isaac Saram ducente, sic legis: *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.*

Itaque vtrumque olim in vsu fuit apud Hebræos, vt scilicet mater sponsæ thalamum ornaret genero suo, & vt mater sponsi cubiculum & reliquam domus supellectilem præpararet sponsæ, quæ ad sponsi familiam translata socrum suam, matris loco habebat, quarum etiam partes erant sponsos in cubiculum introducere, & in thalamo componere, vt nuper dicebam.

Ergo iuxta præmissum nuptiarum ritum ac morem, sic locus iste edisserendus est, vel *matris*, & *genitricis* nomina sunt synonyma, vel non sunt; si adscribantur synonymis

nymis, vtrumque non de matre naturali sponsæ, sed de socru, quam matris etiam nomine censeri suprà diximus, exponendum videtur: ita vt Sulamitis sponsum à se in domum & cubiculum sibi à socru præparatum inferendum esse affirmet. *Domus* autem nomine cœnationem, aut cœnaculum intelligo, vbi cibus sumebatur; *cubiculi* autem aulam, vbi thalamus erat genialis. & quidem *domus* nomine cœnaculum notari, non semel dixi suprà, sed maximè *cap.* 1. *vers.vlt.* Itaque Sulamitis primò in cœnaculum, vt escas ibi præparatas sumeret, deinde à cœna in cubiculum sponsum à se inducendum iactat. Verùm hæc interpretatio, quam reliquis præfero, fiet luculentior ex his, quæ dicam *cap.* 8. *vers.* 4. ex qua etiam liquet id quod in Isagoge obseruaui in omnibus vespertinis Epithalamiis, semper ante somnos cœnam præmitti.

Quòd si *mater* & *genitrix* in hoc loco synonyma non sunt, sed diuersam habent significationem, *mater* pro socru, *genitrix* pro vera & naturali matre accipienda est, itavt Sulamitis in domum sibi à socru adornatam, & in cubiculum sibi à matre naturali præparatum adducendum chariſſimum sibi coniugem dicat, cubiculum autem suæ genitrici adscribat, non quia in ædibus esset maternis, sed quia illud genitrix nuptiali thalamo & reliquis ornamentis decorasset; id enim ad sponsæ matrem spectasse suprà diximus. Et quidem hoc secundo modo explicatus locus omnibus spiritalibus sensis, quos Patres in ipsum hactenus excogitarunt, facit locum, & omnem difficultatem diluit.

Itaque sponsa vt susceptæ de sponsi absentia solicitudini & anxietati satisfaceret, nactum illum, nec tenet tantùm, sed addit in penetralibus domus à se includendum iri, ne elabatur: nimirum in domum matris, & in cubiculum genitricis, quasi earum ope & auxilio ad continendum sponsum esset vsura, quandoquidem ad ipsas pertinebat sponsos in cubiculum introducere, & in thalamo componere. Quid illustrius?

Sed difficultas quædam hîc occurrit, quam dissoluere necessum est, quid nimirum in causa fuerit quòd cætera Epithalamia vespertina, præmissa cœna nuptiali, in somnos desinant, in hoc solùm, nullâ cœnæ mentione facta, de somno sponsæ sermonem intulit Salomon: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis*, &c. Hic nodus duplicem solutionem habet; prior est diem istum, qui inter nuptiales, secundus est, hoc à cæteris differre, quòd ex cæteris nullus sine pompa & publica ostentatione abibat. nam in primum incidebat translatio pompica sponsæ in domum sponsi: in tertium diem eiusdem sponsæ adductio publica è domo syluana in templum: in quartum detectio, ac reuelatio sponsæ, & pompicus in vrbem ingressus; in quintum translatio vltima è domo syluana in vrbanum palatium. In his autem diebus aderant sponso, amici & sodales, ipsum satellitio suo exornantes, atque adeò necessum erat, vti sponsus gratiam pro gratia referens, in hisce diebus opiparis cœnis, aut conuiuiis illos excipere-ret. Secunda verò dies, ita nuptiis dabatur, vt nullus in ea processus publicus, nulla pompa locum haberet, sed tota in hortis traducebatur sine arbitris, vbi de egressu ex domo, de ostensione faciei, de allocutione mutua, de zelotypia, de introductione in cubiculum, & de adductione in thalamum, & aliis huiusmodi rebus priuatis, inter sponsum, sponsamque pertractatum est, cumque his amici & sodales sponsi non interessent, cœna nuptialis generosa & publica, superuacanea esset, ideò Salomon eius non meminit.

Dices adhuc desiderari cœnam in hac die, quia prophetici ac mystici sensus ita postulant, iuxta ea, quæ diximus in Isagoge *cap.* 10. De perpetua & nunquam interrupta cælestis conuiuij celebratione in Ecclesia, quam eiusmodi cœnæ nuptiales adumbrant. Sed tamen ex secunda præmissi nodi solutione responsum accipe: aio enim Salomonem in hoc Epithalamio vespertino, non quidem meminisse alicuius cœnæ publicæ, amicis & sodalibus exhibitæ, ob suprà datam, adscriptamque rationem; non tamen siluit cœnam priuatam inter sponsum & sponsam eadem nocte post serum ab agro reditum peractũ; sic enim intelligi debent verba illa, *donec introducam eam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*; vbi per *domum* cœnaculum accipio, vt aliàs non semel diximus *cap.* 1. *vers.* 3. *& cap.* 2. *vers.* 4. ad illa verba, *introduxit me Rex in cellam vinariam.* Hebr. *in domum vini.* lege ibi plura. Nomine autem *cubiculi*, vel ipsum thalamum genialem, vel aulam interiorem, vbi thalamus stratus erat, accipiendum esse, atque adeò præmissa verba hunc sensum reddere existimo. Non patiar abire dilectum meum quoad illum à me comprehensum in domum matris meæ, hoc est, in cœnationem ab socru adornatam & præparatam, inferam, vt inibi se-

cundam cœnam nuptialem non publicam, euocatis conuiuis, sed priuatam mecum de more sumat. Rursus à cœnatione ad cubiculum & thalamum, à genetrice mea instructum eundem transferam, vt à suscepto labore feriari, & noctem apud me transigere possit, & sanè de hac cœna nuptiali priuata sine arbitris, & sine conuiuis, & de introductione sponsi in cubiculum & thalamum interpretari fas est illa verba Tobiæ cap. 7. *& accepta charta fecerunt descriptionem conuiuij, & post hæc epulati sunt, benedicentes Deum, vocauitque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei, vt præpararet alterum cubiculum, & introduxit illuc Saram filiam suam.* & infrà cap. 8. *postquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam*, quæ omnia inter domesticos & sine conuiuatorum strepitu acta videntur in domo Raguelis. Ex his verò demum conficitur in hoc vespertino Epithalamio secundæ diei nuptialis, cœnæ genialis commemorationem minimè desiderari, quemadmodum etiam somni, de quo statim subiicitur.

Vers. 5. Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

SONVS ALLEGORIÆ.

HÆc verba ipsissima sunt, quæ suprà *cap. 2. vers. 7.* occurrunt, quibus absoluitur primum Epithalamium vespertinum, atque adeò quæ ibi non perfunctoriè de adiurationis forma, de somno minimè à puellis interrumpendo, cantúque in matutinas horas differendo diximus, in hunc locum transferenda sunt. Et sanè cùm sponsus & sponsa simul cœnassent, & à cœna ad cubiculum itum fuisset, (sic contexendus ordo dramatis) vt sponsam priùs somnus inuaserit, sponsus verò vigil perstiterit. Quapropter illi integrum fuit postquam silentium puellis cantatricibus imperauit, seipsum subripere, & syluas de more repetere, vt bonus pastor vigilias nocturnas ageret super gregem suum. Hæc enim causa discessus per noctem repeti adscribitur, tum hîc, tum etiam in aliis huius Cantici locis, quibus vespertina Epithalamia clauduntur.

Adiuro vos. Hebr. *adiuraui vos*; præteritum pro præsenti, vt familiare est linguæ sanctæ. Nisi fortè velis hoc significatum ab sponso, adiurationem prima nocte factam, eiúsque vim non cessasse, sed in secunda & aliis ad finem vsque nuptiarum potestatem habituram, ac proinde illam repetere non sit necessum, vt puellæ sponsa dormiente cantum intermittentes voces opprimant.

EPITHALAMIVM QVARTVM
MATVTINVM, PRIMO TERTIÆ
diei nuptialis manè decantatum.

HOC Epithalamium continet omnes ritus nuptiales tertiæ diei, proprios, scilicet excitationem matutinam sponsæ, desumptam ab acclamatione puellarum: progressum sponsi, ac sponsæ pompicum in templum, ferculi gestatorij, quo victi procedebant, diuitias & elegantiam; coronationem sponsæ, quæ, vt sæpe aliàs dixi, sponsa ad nuptias regias ascita, regijs ornamentis fulgere, & regio diademate redimiri debuit. Quid plura? Pulchritudinem sponsi, qui faciem hilarem publicè ostentabat, & ornamenta regia, quibus fulgebat, prædicant, & clamoribus prosequuntur fœminæ Sionitides; sponsus verò suæ Sulamitis formam & speciem nondum apertam & propalatam, sed sub flammeo nuptiali tenui, ac subtili adhuc latentem, quatenus per veli retia se se prodebat, graphicè expingit. Alia etiam exhibentur in hoc Epithalamio, quæ suis adscribentur locis, quorum compendium habes suprà in Isagoge cap. 6. §. 6. *vbi de ritibus tertiæ diei nuptialis non perfunctoriè diximus,*

diximus,& paulò pòst repræsentationem textus, & eorum,quæ tum manè, tum vesperi eo die peragi solebant,summam dedimus,quæ in hunc locum transferri debet, ne repetitio tædium moueat.

Vers. 6. Quæ est ista,quæ descendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris,& vniuersi pulueris pigmentarij?

SONVS ALLEGORIÆ.

QVÆ *ascendit.* Hebraicè עלה *holah*, vox præteriti, qua res præterita & anteacta narratur,quod maximè notandum est,vt huius Epithalamij expositio ad nostræ dispositionis seriem appositè cadat.

Per desertum. Textus Hebraicus & Septuaginta *à deserto*, imò etiam noster interpres,similia omnino verba *cap.*8.conuertit,*de deserto.*

Sicut virgula. Hebraicè תימרות *thimeroth*,alij *columnam*, alij *palmam fumi* reddiderunt. Septuaginta *furculum*, aut *stipitem*, & noster illis hærens, *virgulam* conuertit. D.Ambrosius epist.62. *Sicut vitis propago fumo incensa odorificata myrrha.* de suo videdelicet multa adiiciens Nyssenus; *sicut virgularum,aut stipitum fumi.* Aquila & Symmachus,*sicut euaporatio fumi.*

Et vniuersi pulueris pigmentarij. Huic voci respondet in originibus רוכל *rochel*,quæ licèt à pingendo dicatur, eum tamen significat, qui vendebat, aut confingebat, illa vnguenta, quibus fœminæ faciem excolere & pingere olim solebant, iuxta illud Esther, *ita vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex, quibus de pigmentis, & aromatibus vterentur.* Itaque vnguenta illa, quibus vtebantur fœminæ ad faciem curandam, pigmenta, & qui illa conficiebant, aut venundabant, pigmentarij dicebantur.

Communis interpretatio historici sensus sic habet: Mulieres Hierosolymitanæ, quæ nouerant sponsam ex syluis ad regias nuptias euocatam,iam nunc admirabundæ clamant: Quænam ista puella est, quæ ex desertis & incultis locis assumpta, detersa nigredine, purgatisque sordibus, quæ olim solis ardoribus adusta, & humi passim iacens contraxerat,iam nunc redolet vnguenta pretiosa, & virgulæ ad instar ex aromatibus compositæ odoratissimos fumos efflantis, omnes nos suaueolentia sua latè perfundit, atque oblectat. Habes etiam aliam interpretationem Nysseni cum superiori congruentem, cuius verba subscribere libet, *Vox,* inquit, *stupentis,& admiratione perculsarum, quod sponsa præter solitum forma florere, nimirum quomodo ea,quæ ascenderat ex deserto, cùm priùs videretur nigra, tenebrosam formam aboleret, & niuea ei refulgeat pulchritudo; sed qualis ista venustas? Addit: Fumus* (inquit)*ex suffitibus assumitur ad imaginem pulchritudinis, nec absolutè, sed ex suffitibus myrrhæ & thuris simul contemperatis, vt ex vtrisque vna sit vaporis gratia, per quam formæ describitur pulchritudo.* Quasi dicat, ea similitudine sponsæ pulchritudinem propterea adumbratam, quia sicut ex variis aromatibus contemperatis & incensis vapor vnus suauis efflatur; sic etiam ex quodam membrorum & colorum temperamento, euadit gratissima formæ venustas.

Noster Sanctius docet ea, quæ hactenus præcesserunt, per anticipationem dicta fuisse à Salomone,quia videlicet sponsus à sponsa,ea quæ priùs euenerant, aut sibi inuicem,aut adolescentulis pedissequis exposuerunt;exemplumque producit ex Marone, qui *lib.*2. *Æneidos* narrat Didonis Troiæ expugnationem, & incendium à Græcis factum, orsus videlicet ab illis verbis:

Infandum Regina iubes renouare dolorem.

quæ dudum acciderant, illis postponens, quæ nuper euenerant. Ad eundem modum Salomonem his verbis: *Quæ est ista,* nuptias,& nuptialem pompam inchoari dicit Sanctius, atque adeò translationem sponsæ ex syluis, in quibus diu vixerat, ad vrbem & Regiam, describi affirmat, quæ nimirum sub vesperum nocte appetente dèmbre fiebat. Quid ergo,inquit, in via, per quam sponsa eleganti cuecta ferculo ducebatur, aromata cremabantur, quæ gratum odorem spirabant,& vnguenta floresque spargebantur, facies quoque ac tædæ, quas præferebant virgines, qui sponsos stipabant, erant ex odorata materia, ideò certè sponsam inter hæc suffimenta incedentem,fumi virgulæ,aut columnæ bonum odorem vndequaque spirantem puellæ Sionitidas com-

parant, quasi ipsamet sponsa in odores illos suauissimos solui videretur. Hæc ille, magis acute, quàm solide: nos enim non quidem in auspicio prioris vesperæ, sed in tertia die nuptiarum lecta putamus verba ista, vt ex superiori Acoluthia satis constat. Quapropter quædam alia missa facientes, quæ minus aptè à recentioribus dicta sunt, vt germanam huius loci sententiam assequamur, aliqua prælibare opus est. ergo ponendum est, id quod sæpe aliàs prænonui, nuptias istas peragi in domo syluana, aut hortensi extra vrbem, in qua prima die vespertino tempore sponsa translata fuit. quæ videlicet ad prædictam domum non immediatè ex syluis & vita syluana assumpta fuit, vt Sanctius existimat, sed ex gynæceo, aut ædibus regiis, in quibus virgines ad nuptias regales ascitæ per annum formam excolebant; iuxta illud *Esther* 2. nuper citatum. De hac consuetudine Hebræorum atque Persarum Regibus solenni, multa diximus in Isagoge *cap.*6.§.2. & plura contulimus *in cap.*2. *huius Cantici, vers.*2.*&* 3. quæ in hunc locum transferri debent. Vbi etiam *vers.*5. fusè probauimus, sponsam ex syluis & rustica conuersatione ad gynæceum, seu triclinium fœminarum adductam, vt ibi adhibitis pigmentis & vnguentis nigredinem, ac sordes eluerat, formámque ad futuras Regis nuptias per otium expoliret, ac curaret.

Igitur in hoc loco, non de adductione Sulamitis ex agris, & vita rurali ad gynæceum pro cultura formæ, nec de translatione eiusdem ex gynæceo in domum hortensem pro nuptiarum celebratione sermo est; hæc enim omnia iam inde præcesserant, sed de asportatione eiusdem pompica ex dicta domo hortensi ad vrbem & templum, quæ tertia die nuptiarum, tempore matutino, peragi solebat, vt locis suprà citatis luculenter ostendi, & in decursu huius quarti Epithalamij, valde perspicuum fiet.

Sponsam ergo, ex dicta domo, quæ horto & vineæ affinis erat, feretro eleganti aduectam, & vrbem iamiam ingredientem, magnis commendationibus prosequentes filiæ Sion sic insonare cœperunt. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum*, vel *ex deserto*, (vt habent Septuaginta, quibus accinunt Hebraici codices,) quæ nimirum ex deserto, id est, ex agro. nam quamcumque telluris siue regionem, siue pagum, extra vrbem desertum ac solitudinem, familiari sermone vocant Hebræi. parco exemplis, quia obuia sunt. & *ascendit*, inquam, secundùm ipsam loci naturam; nam in Hierosolymitanam vrbem, in quam pompa illa mouebatur ex omni circum circa regione, accliuis erat ingressus, & ascensus, nisi velis hoc ad dignitatem sponsæ referre, quæ nimirum ab humili conditione & fortuna ad eam gloriam euecta fuerat, vt Regis potentissimi nuptias iniret.

Sicut virgulæ fumi. Hæc verba non vnus, sed plures sensus capiunt, *virgula*, *furculus*, aut *columna fumi*, dici potest ipsa euaporatio fumosa, quæ cùm ventus quiescit, rectà in sublime ascendens virgam, aut columnam imitatur, & quidem ille fumus, qui ex altari thymiamatis, per caminum supra ipsum altare constructum sursum in cælum ascendebat, quique speciali Dei miraculo ventis etiam validissimè perflantibus non dissipatur, nec flectebatur, columna fumi ab Hebræis appellabatur. de quo miraculo vide Galatinum. Rursus, per *virgulam fumi*, ipsammet virgam ex diuersis pulueribus odoriferis conflatam; atque adeò bonum odorem spirantem, vulgò *Peuete*, intelligere licet: vel quia eiusmodi confectio aromatica, ipsa per se olet suauius, vel quia igni tradita in fumos soluitur odoratos. Sed quid inde?

Hinc sanè gradus fit ad germanum huius loci intellectum; nam puellæ Hierosolymitanæ propius accedentes ad lecticam, in qua sponsus, sponsaque in vrbem procedebant, cùm eam flammeo nuptiali adhuc velatam & tectam videre non possent, (ita enim suppono, sponsam, nec dum velum, aut pallium nuptiale deposuisse, vt infrà *cap.*4.*vers.*1. loculentiùs probabo,) cùm de facie illius à pulchritudine, quam flammeum ipsarum oculis eripiebat, decernere non possent; odorem verò, & suauelentiam ipsius atque vestimentorum eius perciperent, opportunè, & accommodatè, satis ipsam *virgulæ fumi*, adsimilem esse dixerunt. quæ nimirum bonum odorem, longè latéque defunderet ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi generis pigmentarij. Sed vnde tanta sponsæ suaueolentia, quæ dictas puellas ad ipsius prædicationem inuitauit, non vno ex capite flagrans iste odor Sulamitis deriuari potuit. Primò, quia paulo antè in gynæceo & triclinio fœminarum posita, formam & speciem vnguentis, ac pigmentis per annum excoluerat, vt nuper dicebam, his autem aromatibus condita bonum odorem spirabat. Secundò, quia vestes nuptiales, quas gestabat,

vnguentis

vnguentis quoque delibutæ erant, iuxta illud Psalm.44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*, &c. Tertiò, quia non insuetum antiquis, sponsos cum ostentatione & pompa incedentes floribus & vnguentis perfundere. Claudianus *in Epithalamio Honorij & Mariæ*, glorioſum & pompicum eorum in vrbem ingressum decantans, sic ait:

Nec miles pluuiæ flores dispergere ritu
Cessat, purpureóque ducem dispergere nimbo.

De vnguentis verò & aromatibus *in Epithalamio Palladis & Serenæ*, sic cecinit:

Gemmatis alij per totum balsama tectum
Effudêre cadis.

Sed luculentiùs Dauid loco suprà laudato. *A domibus eburneis, in quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* nam cùm suprà seriò affirmauerim, in hoc Psalmo pompam describi, qua sponsi in templum afferebantur, vt sacrificium nuptiale persoluerent, non erit absurdum prædicta verba sic interpretari, vt sermo sit de vnguentis & aromatibus, quæ puellæ super sponsos effundebant in via, ipsos tali honorantes obsequio.

Tertiò, cùm sponsi ea ratione ad ostentationem gloriæ vecti in templum libaturi progrederentur, haud ineptè dicemus, sponsam thura & alia aromata, quibus thymiama conficiendum, Deoque adolendum erat, secum afferre. Ita enim mihi persuadeo in nuptiali sacrificio non mactari victimas, sed thymiamata incendi solita. Vide an isto sensu donari queant verba Ezechielis *cap.*23. vbi proponitur Hierusalem à Deo vero sponso suo deficiens, & idolis se tradens, quæ aliàs vocat *Bahalim*, id est, dominos, vel maritos, de quibus sic ait: *Itaque ecce venerunt quibus te lauisti, & circumlenisti oculos tuos stibio, & ornata es mundo muliebri.* Hic cultus nuptialis nam lauari, expingi & omnem mundum muliebrem adhibere ad ornatum, ad nuptiarum venditationem pertinet. Addit Propheta: *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te, & thymiama meum & vnguentum meum posuisti super eam.* hæc verba de conuiuio nuptiali accipiunt plures. nam lecti pulchris aulæis strati, mensæ diuites & vnguenta pretiosa, nuptialium conuiuiorum apparatus esse solent. Sed non longè absum, vt existimem in hoc loco prædictam sponsæ adductionem in templum ad immolandum & adolendum describi. Nam illud, *Sedisti in lecto pulcherrimo*, melius quadrat in lecticam, aut sellam gestatoriam, quàm in accubationem epularem. nam lecti tricliniares, non ad sedendum, sed ad discumbendum sternuntur. Rursus, verba illa, *& mensa ornata est ante te*, de Altari interpretari fas est, vt docet Pradus *in hunc locum.* nam & ipse Ezechiel infrà *cap.*41. Altare incensi designans, sic fatur: *Altaris ligni trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum, & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei, & locutus est ad me, hæc est mensa coram Domino.* Hanc suspicionem confirmant sequentia Prophetæ verba, *Thymiama meum & vnguentum posuisti super eam.* Et quidem vnguenta in magnis symposiis non proponuntur in mensis, sed conuiuis infunduntur. atque adeò verba ista etiam de immolatione incensorum, me iudice, accipi debent. Denique in hoc loco non desiderabis acclamationes, fatellitium, & adductionem sponsæ ex syluis, vel ex deserto coronas & ornamenta nuptialia. Subdit enim Propheta, *& vox multitudinis exultantis erat in ea, qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deserto; posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.* Quid illustrius? vide plura infrà *cap.*4. *vers.*6.

Sponsa igitur, quæ ex tot causis bonum odorem spirare poterat, rectè à Solymitanis puellis comparata est cum *virgula fumi*, siue aliquam virgam intelligas ex diuersis aromatum puluеribus compactam, siue columnam fumi in sublime ascendentem, quia nimirum odore suo omnes oblectaret. Et sanè, si de ipsa aromatum materia intelligas, licet hîc veterum morem memoriâ repetere, quibus solenne fuit quædam simulacra, aut figmenta ex aromatibus conglobata, & confecta, ad libationes perferre, vt ea in altaribus incenderent. Plutarchus *in Sylla*, affirmat in eiusdem funere duo simulacra, alterum Syllæ, alterum lictoris ex thure, & cinamomo confecta cum eiusdem cadauere piræ tradita. D. Basilius ad illa verba Psalmi, *& comminuet eas tanquam vitulum Libani*, de vituli effigie ex thure efformata, quod Græcè λίβανος appellatur, interpretatur; quia nimirum non secus Cedri de cælo tactæ in cineres & fumos soluerentur, quàm vitulus thureus in altaribus incensus. Mitto alia testimonia satis obuia, atque id contendo, sponsam tot vnguentis conditam, & aromatibus stipatam, satis aptè cum aliquo simulacro ex aromatibus arte pigmentarij conflato compositam

fuisse, non cuicumque, sed ei, quod humanam formam præ se ferret. A qua sententia non abhorret vox originalis *thimaroth* suprà adscripta, & translatio Theodotionis, qui pro virgula fumi, similitudinem, aut simulacrum fumi conuertit.

Sed licèt hæc non inepte dicta sint, plus tamen defero communi sententiæ, quæ de virga, aut columna fumea ex aromatibus euaporata concipit hæc verba, ita nimirum, vt puellæ Hierosolymitanæ sponsam flammeo velatam nuptiali, inter pellucentes subtilissimi veli maculas subobscurè visam, & suaues odores latè exhalantem aspicientes satis accommodatè cum columna fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris incensis efflata comparandam censuerunt; quia nimirum illam non aliter intra flammeum subtile ipsis eam conspicere licebat, quàm si fumo, aut suffitu aliquo suaueolenti obuoluta & circundata esset. A qua similitudine non est aliena vulgi nuncupatio apud nostrates, qui pallia quædam mulierum subtilissima, quæ formam earum, velut intra tenues caligines produnt, sic appellitant, *Mantos de humo*, quæ flammeis antiquis nuptialibus perquam similia sunt. vide infrà *cap.4.vers.1.*

Vers.7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.
Vers.8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRo lectulo Hebraicè מטה *Mittah*, *thalamum* sonat, & *feretrum*. 2. Regum 3. vers.3. *Porrò Rex Dauid sequebatur feretrum*, &, ni me fallit coniectura, hoc in loco gestatorium lectum significari autumo, non thalamum ad cubandum. Nec dissimile est apud Latinos nomen *lectica*, quæ à lecto manauit, & apud Græcos κλίνη, quæ vox pro lectica & ferculo vsurpari consueuit. Ratio nominis est, quia veteres discumbebant in lecticis. hac super re consule Lipsium *lib.1. electorum c.19.* vbi fusè agit de lectica & sella gestatoria.

Salomonis. non accipitur pro persona, quasi hoc Canticum de illius nuptiis dictum sit. absit, sed pro figura Christi Domini, vt aliàs notauit. Aliqui suspicantur Salomonem inter alios currus, quorum vim maximam habuisse dicitur *Regum 3. cap.10.* aliquos etiam geniales currus obtinuisse, in quorum fabrica erant veri perfectique matrimonij multa symbola, quibus filiæ Hierusalem vtebantur in nuptiis, itaque lecti, inquiunt, aut currus Salomonis non ideò appellatur, quia illis ipse insideret, sed quia ipso imperante constructi fuerant pro filiabus Hierusalem, de quibus infrà dicetur, propter filias Hierusalem. Non tamen probo, quia vim aliquam affert ipsis verbis.

Sexaginta fortes. numerus determinatus pro indeterminato, pauci videlicet pro multis, nihil magis familiare Scripturis sacris.

Omnes tenentes gladios. Hebraicè, *tenti*, aut alligati, *gladiis*. Eodem sensu, *& ad bella doctissimi.* in bellis gerendis armisque tractandis valdè periti, id est, non noui, aut tyrones, sed exercitati, ac veterani milites; tales enim ad satellitium Regum acciri solebant, non solùm ad tuitionem illorum, sed etiam ad exercitationem militarem, quæ Regibus chara esse debet.

Vniuscuiusque ensis super femur tuum. Quidam duos gladios vnicuique tradunt, alterum districtum, quem manibus præferret, alium verò in vagina clausum, qui supra femur penderet. Nam veterum consuetudo sic ferebat, vt milites gladiis vterentur, non admodum longis, qui nimirum è baltheis suspensi supra femur penderent, iuxta illud Psalmi 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Sed illud verius, milites istos vno tantùm gladio instructos fuisse, & posteriora illa verba, *vniuscuiusque ensis*, &c. cum his, quæ præcesserunt, sic connecti, vt significent illos non gladios districtos gestare, sed clausos in vagina, & expeditos ad præliandum, si quidem illis vti opus fuisset.

Propter timores nocturnos. id est, ad prohibenda pericula, quæ Regibus maiora & crebriora nocte imminere solent. vnde duplex illi satellitium, alterum quod de die latus illorum cingit; alterum verò, quod noctu excubat ad custodiam; sed hoc fidissimum, & Regibus coniunctissimum esse consueuit.

Peruulgata expositio de thalamo nuptiali accepit ista verba, quem sponsus ad splendidissimas istas nuptias sibi ac sponsæ suæ adornauerat, & quem fortissimorum militum

militum noctu excubantium custodia munierat, vt nullus subitus casus, nullave sollicitudo, quietem ipsius interturbaret. interpretationem istam commendant extrema illa verba, *propter timores nocturnos*, quæ facile suadent sermonem fieri de lecto, in quo Salomon per noctem iacebat. Addit Rab. Anonymus, propter timores nocturnos, dictum ab sponso, quia timeret fortasse, ne procus aliquis se ac sponsam suam afficeret ignominia: noctem videlicet captans, vt thalamum eius inuaderet, ideóque milites excubitores illi assignatos, & adscriptos..

Noster Sanctius, qua solet elegantia, per *lectum*, non quidem thalamum nuptialem, sed currum genialem intelligit, quo sponsa sub noctem à domo parentum in domum sponsi traduci solebat (de qua traductione, & curru, satis multa diximus suprà *cap.* 4. *vers.* 9. atque hunc currum lectulum ideò appellari dicit, quia sponsi in eo molliter decumbentes, vel in cubitos innixi deferebantur; & quia hæc translatio vespertino tempore, nocte ingruente fieri solebat, ideò pro custodia Regij lateris satellitium adhibetur nocturnum, fidissimum videlicet, ac coniunctissimum Regi. Nec mirum videri debet, si in nuptiis, in quibus tutissima pax vigere solet, milites & arma sonent; id enim non insuetum antiquis. *Machab.* 2. *cap.* 9. de nuptiis puellæ Madabatanæ sic habes: *Nunciatum est Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madabah, filiam vnius ex magnis Principibus*; & infrà, *& eleuauerunt oculos, & viderunt, & ecce tumultus & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.* Ex quibus non obscurè constat, milites etiam armatos ad custodiam sponsorum addi solitos in splendidis & magnificis Principum nuptiis, ad latus illorum obsidendum. Auctor iste hanc satellitium & excubitorum manum ex sodalibus & amicis sponsi, aliisque nuptialis pompæ stipatoribus componi affirmat, quasi omnes isti arma simul & instrumenta musica, illa quidem ad prohibenda noctis pericula, hæc verò ad lætitiam & oblectationem, perferrent. Neque repugno, ad eum sensum acciri posse illa verba *Psalmi* 67. quem aliàs nuptialem esse diximus: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Sinai in Sancto.* his enim quos exultantes & ouantes inducit, paulò post arma & militarem fortitudinem tribuit ad conterenda inimicorum capita, &c.

Sed quamuis hæc idonea videantur, alia est de sensu historico huius carminis mea sententia. Nam cùm in hoc quarto Epithalamio sermo sit de publico progressu sponsi, ac sponsæ, ex syluis, & hortis in vrbem, & in templum ad immolationem, seu libationem nuptialem de more peragendam: certè Propheta totus est in descriptione pompæ & apparatus, quo sponsi in vrbem adducebantur, ac primùm de lectica regia, cui insidebant, & de satellitio inclytorum excubitorum, quod ipsam non solùm obsidebat, sed etiam humeris portabat, sermonem facit.

Ergo de vsu lecticæ, vel sellæ gestatoriæ in nuptiis aliquid prælibare opus est. Tertullianus lib. de velandis virgin. *Non vestium tædia, non germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Baiulos germanicos appellat eos, qui lecticam nuptialem portabant. Hinc Clemens Alex. Pædag. lib. 3. cap. 6. *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu baiulent Germani multi.* Adhibiti autem Germani ad portandas lecticas, quia proceri & robusti. Tertullian. ad vxorem lib. 2 1. *Vnde ergo nisi à diabolo maritum petant bonum exhibendæ sellæ & mulabus & cinerariis peregrinæ proceritis.* Seneca Epist. 1 1 1. *Quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus*, non *coloribus*, vt ad eum locum obseruat Lipsius. Sunt autem *calones* milites in castris, à calando dicti, vel à Kalendis, quia primo vniuscuiusque mensis die cibaria caperent pro toto mense. Ego verò ita reor eiusmodi baiulos, aut lecticarios fuisse milites de regio satellitio, cùm Reges videlicet gestandi forent, aut Reginæ. hi enim calones dici consueuerunt, quia vòcati, seu calati è castris, Regibus adstabant. Ex his liquet lecticas à viris gestari solitas, ad eas verò gestandas adhiberi viros robustos & validos & proceros, imò milites etiam strenuos, dari etiam eiusmodi lecticas nubentibus puellis, & ad nuptialem pompam pertinere, cùm dicat Tertullianus baiulos germanicos ad nuptialem gloriam adhibitos. Differebat autem nuptialis lectica à curru geniali, hoc enim ad traducendam in domum sponsam, illâ verò ad ostentationem vtebantur, cùm videlicet sponsa in publicum prodibat, vt quæ noctu nupserat, se interdiu visendam cunctis præberet, vt lux de illius pulchritudine decerneret, currum equi trahebant, lecticam viri gestabant, & quidem lecticam ad venditationem esse

aptam, comprobant illa Apuleij verba 2. Apologia: *Venit igitur noua nupta, vectabatur octophoro*, (id est, feretro ab octo viris gestato) *vidistis quàm improba aliorum circumspectatrix, quàm immodica sui ostentatrix?* ergo de hac lectica, seu ferculo gestatorio locum istum longè aptiùs & accommodatiùs interpretari fas est, de lectica, inquam, qua noui sponsi ad ostentationem vtebantur, ad hunc modum. *En lectulum Salomonis*, &c. Multitudinis verba sunt: Salomonem cum sponsa pompaticè ad venditationem suæ gloriæ vrbem ingredientem, contemplantium (Salomonis autem nomine Christum intellige, cuius vmbra fuit, ne sit opus eadem crebriùs inculcare.) *En, inquiunt, ferculum, quo Salomon Rex vehitur, sexaginta fortes ambiunt.* id est, plurimi robusti viri, qui quadam vicissitudine & regium latus asseruant, & feretrum quoque gestant humeris. Sed quinam hi? *de fortissimis*, inquit, *Israël?* atque adeò fidissimi Regi suo: *omnes tenentes gladios vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Quasi diceret: omnes quidem de regio satellitio, ex his nimirum, qui gladiis instructi pro aulæ Regiæ foribus excubant, ne quis Regi paret insidias. Itaque illa verba, *propter timores nocturnos*, non tam quid in ea pompa facerent, quàm quo munere in Regia fungerentur, insinuant, subdit statim descriptionem lecticæ, quæ singulis verbis expressis enucleanda est.

Vers. 9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.

Vers. 10. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRo *ferculo* Hebraicè אפריון *apherion*, Legionensis *thronum* ipsius Salomonis significari existimat, cui hærent recentiores aliqui. Diuus Ambrosius *lectum*; sed ad nostrum sensum, alliciendus est Cassiodorus *torum conuiuiale*; sed non ad rem. Alimarius *spondam lecti*; sed non audiendus. Plures *feretrum*. sic Theodoretus, Psellius, Nyssenus, & tres Patres, non *currum*, quamuis sciam id aliis placuisse. Quid verò inter currum & ferculum, seu lecticam discriminis intersit, superiori versu ostendi; sed dubium, an duæ hîc numerentur lecticæ; vna pro Salomone, & alia pro illius sponsa, an eandem, quam præmiserat, modò describat. Certè si non vna lectica censetur, sed duplex, ad duplicem coniugem vehendum, prior illa sponso, hæc verò posterior sponsæ adscribenda est, vt ex dicendis fiet perspicuum; licèt enim textus habeat, *fecit sibi*; tamen illud *sibi*, aut paragogicis annumerandum, vt pleraque alia, atque adeò idem sibi velle quod *fecit*, absoluit, aut *sibi* fecisse dicendus est, quia ad ipsum pertinebat eam sponsæ dare, & instruere. Si enim velis, vnam & eandem lecticam significari, qua vterque coniux veheretur, ita dicendum, ferculum nuper præmissum hîc fusiùs describi; quamuis enim diuersis nominibus censeantur, tamen idem significantibus, & posterius additum ad prius coërcendum. Nam *Mittah*, thalamum & lecticam ex æquo sonat, vt suprà ostendi; *Aphirion* verò solam lecticam.

Circa filum & seriem huius dramatis solùm dico, hactenus loqui Solymitanam turbam, admirationis conceptæ causam aperiens. dixerat enim, *En lectulum*, &c. nunc præ stupore, eiusdem lectuli, seu lecticæ formam, opesque describi, itaque cùm sit locus iste quædam descriptio feretri regij, si verba singula expenderimus, illi omnino fiet satis.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon. Libraui iam verba ista, venio ad sequentia. *De lignis Libani*, id est, cedrinis, qui ex Libano Hierosolymam afferebantur.

Columnas eius fecit argenteas. Ad tectum videlicet ferculi suspendendum ex quatuor lecticæ angulis assurgentes. sic placet recentioribus. Ego verò lecticæ pedes accipio cum tribus Patribus apud Theodoretum, ea enim erat eiusmodi lecticæ structura, vt ab inferiori parte pedes haberet, aut columnellas, quibus deposita insisteret: argenteos autem pedes lecticis addere erat summæ gloriæ. Athenæus *lib.* 5. *cap.* 11. Athenionis lecticam describit ad hunc modum: *Confluebant spectatores alij mirantes fortunæ ludum, quòd ascriptitius & nouus scitius Athenion in purpureis stragulis lectica pedibus argenteis subnixa, Athenis vectaretur.* Græci ἀργυρόπους. Clemens Alexander *lib.* 2. *Pædag. cap.* 9. sic habet. *Præterea lectica, quæ pedes habent argenteos, magnam arrogantiam arguunt.*

Reclina

Reclinatorium aureum. Hebraicè רפידה *repidah*, stratum significat. Non admodum assentior his, qui editiora sellæ latera, quibus cubitis inniti licet, significari autumant; non enim sella describitur, sed lectica, vt iam dixi. Septuaginta ἀνάκλιτον, id est, *acclinatorium*, vt legit Ambrosius. Recentiores quidam *pauimentum*, sed non audiendi. Ego ita censeo, eos, qui in lecticis ad ostentationem vehebantur, ita discumbere solitos, vt tamen totum corpus extaret, & ab omnibus conspici posset, itaque non æqualiter in longum iacebant, sed altera ferculi pars erat eminens, altera depressior: quæ autem eminebat, ἀνάκλιτον, id est, acclinatorium dicebatur, in quod caput deponere, aut cubitis inniti licebat, additis nimirum puluinis, vt molliùs decumberetur: ergo illa editior ferculi pars, vel acclinatorium, ex auro fuisse dicitur defæcatissimo.

Ascensum purpureum. Legionensis, qui thronum describi existimauit, eam sellæ partem notari existimat, in qua flexis poplitibus sedetur. Hebraicè מרכב *merchab*, quam vocem Hieronymus σάγμα conuertit *Leuit.* 15. id est, ephippium, vel sella equo imposita, ad insidendum, vel quidquid equo sternitur: ergo quibusdam recentioribus placet eo nomine lecticæ integumentum notari, Hispanè dicimus *el toldo, o el cielo*, & *ascensum* passiuè capiunt, in genere neutro, id est, *lo alto*, id nimirum, quod supra columnellas extentum erat. Nec prætereunda erat, inquiunt, præcipua ferculi pars; tamen, vt dicam etiam quod sentio, non placet. Etsi enim sciam tectas lecticas habuisse veteres, tamen aliis etiam apertis ad venditationem, sine tecto, aut velo vsos fuisse perspicuè intelliget, qui Lipsium *lib. 1. electorum cap.* 18. perlegerit. Quapropter cùm *merchab* fluat à radice *rachab*, quæ est currui, aut equo insidere, quidquid currui, aut equo sternitur, ad insidendum id notat. Et quidem lecticis stragula, aut puluini mollissimi addi consueuerunt, vt vecti molliùs decumberent. Tullius in Verrem: *Lectica*, inquit, *octophoro ferebatur, in qua erat puluinus perlucidus rosa fartus.* Iuuenalis de fœmina ferculo insidenti,

Quæ dedit ergo tribus patruis aconita vehatur,
Pensilibus plumis; atque illinc despiciat nos.

Seneca de consolatione cap. 16. *Cælia*, inquit, *exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus*, &c. id est, lecticam plumis instratam. Itaque *ascensum purpureum*, puluinum intelligo, aut stragulum ex purpura additum Regiæ lecticæ, vt mollem sponsæ discubitum præberet, quod quàm esset glorioſum, & ad venditationem aptum, satis ostentant præmissa verba Athenæi de Athenionis pompa, *in purpureis stragulis lectica pedibus argenteis subnixa*, &c. Vbi non vestes purpureas, sed stratas in lectica culcitras intelligo, de hoc puluinari, aut culcitra purpurea intelligendus est Theocritus *Eidylio* 15. vbi de Arsinoë lectica sic addit: *Et purpurea tapeta in superiori parte somno molliora.* quæ verba non bene alij de tecto lecticæ interpretati sunt, vt satis produnt illa verba, *somno molliora*, quæ in solas culcitras cadere possunt. Meminit etiam, seu potiùs alluſit ad hunc locum Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 9. *& cubilia vel ipso somno molliora.* Adde etiam Virgilianum illud, *stratoque discumbitur ostro.* Nam etsi de epularibus sit sermo; par tamen erat vtriusque ratio. nam vterque ad discumbendum instruebatur de stragulis & culcitris purpureis. lege Athenæum *lib.* 1. Apuleium *lib.* 10. *Asini.* Martialem *lib.* 3. &, qui horum omnium conflauit testimonia, Fuluium Vrsinum *de triclinio Romano.* Progredior.

Media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Verba admodum obscura, quæ interpretes in varias sententias abire coëgerunt. Pro *constrauit*, Hebraicè רצף *ratsuph*, à *ratzaph*, quod est lapidibus splendentibus ad instar carbonum insternere, vt placet communiter Hebræis. Hinc Septuaginta locum integrum sic reddiderunt: *medium eius lapidibus stratum dilectionem à filiabus Hierusalem.* Quinta editio, *medium eius calculis composuit.* Ambrosius *lib.* 7. de virginibus, *dorsum eius.*

Ergo quidam putant interiorem huius lecticæ partem gemmis collucentem, vel carbunculis quasi prunis ardentem, vel lapide sectili, & vario thessellato opere constratam fuisse. *Charitatis* autem nomine, alij emblema aliquod, aut hieroglyphicum amoris, *columbam* videlicet, aut quoddam simile ex gemmis lucentibus, aut aliqua alia splendenti materia efformata accipiunt. Et ex his non nemo acutè satis alluſum ad id voluit *Psalm.* 67. illis verbis: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*; quasi Deus illi Tribui, quam sibi copulaturum asserebat, seriò promittat pro illis sordibus & squalore, in quo tunc incendebant, lecticam se daturum, in qua columba ex auro & argento textili, opere polymito deaumbrata

umbrata esset, & quidem licèt locus iste non esset valde accommodatus, & ex diuinis literis mos iste confirmari non posset; ex humanis suppetunt plura testimonia, quibus in thalamis, in toris conuiuialibus, & in lecticis viatores simulacra, aut symbola quædam effingi solita apertè comprobatur; nam in thalamis, amoris quædam symbola fuisse descripta suadent, in primis Claudiani illa verba *in Epithalamio Honorij & Mariæ*,

Non ego luxuriam Regum moremque sequutus,
Quæsiui vultum thalamis, vt nuncia formæ
Læua per innumeros iret pictura penates,
Nec variis dubium thalamis lecturus amorem,
Ardua commissi falsæ connubia ceræ.

Item Catullus *de nuptiis Pelei & Thetidos*, non thalamum, sed torum conuiuialem adumbrans, sic ait:

Puluinar verò diuæ geniale locatur.
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchilis purpura fuco,
Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte, &c.

Lege *ibidem* plura. ex quibus verbis licet colligere, has formas etiam in stragulis purpureis & culcitris fuisse descriptas. De lectica, qua Adonis gestabatur, simulacrum in eius festis. sic Theocritus:

Quales pictores tam exactas picturas pinxerunt
Quàm euidenter adstant, quàm euidenter mouentur
Animata sunt, non textilia.
Ipse verò quàm admirandus in argenteo iacet
Toro primam lanuginem circa tempora spargens
Multipliciter amabilis Adonis.

Vbi non de toro conuiuiali, sed de gestatorio feretro sermo est. De conuiuiali verò accipe verba loculenta ex Esther cap. 1. *Lectuli quoque aurei & argentei super pauimento smaragdino, & pario stratum lapide, quod mira varietate pictura decorabat.* extrema verba aliter Septuaginta, *& strata pellucida variè floribus picta*, &c. Adscripsi quædam testimonia de conuiuiali toro, quia par erat vtriusque ratio, & pari etiam modo puluinis insternebantur purpureis & picturatis.

Venio ad loci expositionem. Cùm ex adductis testimoniis constet picturas, aut symbola in ipsis stragulis lecticarum opere textili efformari solita. Siquidem *charitatis* nomine aliquid amoris ænigma, aut emblema intelligendum sit, locus ita sic edisserendus est, *media charitate constrauit*, id est, stragula, vel puluinaria purpurea, quibus lecticæ medium instrauit, textilibus decorauit figuris, vel symbolis, vel emblematis ex auro squalenti & ardenti artificum opere adumbratis, charitatem & amorem nuptialem significantibus; id enim significare videtur *rahuph*, nimirum ardere fecit, hoc est, splendescere, aut coruscare, quemadmodum Maro *Æneidos* 12.

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma
Funditur, id est, splendescit.

Sed quamuis præmissas expositiones, quoad fieri potuit, illustraui variis testimoniis, fidem illis concilians, tamen aliam & aliam illis præferendam esse censeo. Prior multos habet patronos, quorum signifer est Luisius Legionensis, qui sua authoritate non paruam illi fidem facit; hic ergo *charitatis* nomine, ipsum Salomonem, non minus auro, quàm amore inflammatum intelligit, ad eum modum, quo suprà de Adonidis ferculo Theocritus:

Ipse verò qui admirandus in argenteo iacet
Toro primam lanuginem circa tempora spargens
Multipliciter amabilis Adonis.

Sic Salomon, qui amor figuratè nominatur, iuxta frequentem vsum abstractorum pro concretis apud Hebræos, id est, amatus, vel amabilis lecticæ medium tenere dicitur, *propter filias Hierusalem.*

Verumtamen huic etiam expositioni posteriorem antepono. Nam cùm nomen charitatis, aut dilectionis sæpiùs in hoc Cantico sponsam notet, vbicumque enim noster interpres dilectam conuertit, in originibus est, *dilectio*, vel *charitas*; cùmque tex-

tus

tus dicat lecticæ medium à Salomone charitate conſtratum, aptius de ſponſa, quàm de Salomone ipſo interpretari poſſe cenſeo, vt euadat is ſenſus : *media charitate conſtrauit*, hoc eſt, in ferculi medio dilectam ſibi ſponſam locauit. *Razuph* verò emphaticè dictum, propter ſponſam auro micantem & ardentem, iuxta illud, *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* quæ expoſitio, mea ſententia, aptiùs accommodatur reliquæ narrationi. & quidem hoc ferculum non ſponſa inſcendit ſola, ſed cum ſponſo ſimul, vt nuper dicebam, atque adeò fas eſt dicere, vtrumque ſponſum, nomine *charitatis* ſignificatum fuiſſe, medium verò totam lecticæ intercapedinem, quæ duos caperet, appellari : vt ſenſus ſit, *media charitate*, ſeu dilectione *conſtrauit*, hoc eſt, duos amatores auro & gemmis ſplendentes in media lectica ſtatuit; & quia in duobus eſt amicitia, eos charitatem, ſeu amicitiam appellauit. quam expoſitionem ſequutus eſt Rabbi Salomon, qui ferculum iſtud à Salomone *ſibi, & charitati*, hoc eſt, *amicæ ſuæ*, adornatum fuiſſe dicit, & eandem ſecuti videntur tres Patres apud Theodoretum; qui cùm nomine columnarum fulcra, aut pedes lecticæ ſubiectos accepiſſent, ſic addunt, *ſuper quibus tanquam columnis quibuſdam ſponſus ſublatam ſponſam ad ſe traxit.* Aut aliter in medio feretri collocatur ſponſa, quia fortaſſe etiam apud Hebræos mos inoleuerat, vt nuptialem currum, vel feretrum cum duobus ſponſi pronubus inſcenderet, vt media inter ſponſum & pronubum ſponſa ferretur. quem morem apud Græcos viguiſſe, refert Alexand. ex Pauſania *lib. 2. Genialium cap. 5.* Pollux *lib. 3. Onomaſticon*, vbi quis παράγων ſit in nuptiis, exponens, pronubum eſſe dicit, inter quem & ſponſum, vel curru, vel pedes ſponſa procedebat.

Propter filias Hieruſalem. Quaſi dicat, totam lecticæ elegantiam eò ſpectaſſe, vt ſponſa fœminis Solymitanis admirationi eſſet. hoc eſt enim ingenium mulierum, vt aliis fœminis placere impensè cupiant. D. Ambroſius extrema verba ſic extulit : *Quia fecit ſibi charitatem à filiabus Hieruſalem.* Quaſi dicat : ideò Salomon tam elegantem & pretioſam lecticam fabricatus eſt, quia vnam ex filiabus Hieruſalem adamauit, & ſibi vxorem effecit; in hoc enim ſe omnibus amabilem & probabilem reddidit.

Verſ. 11. Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

SONVS ALLEGORIÆ.

Egredimini, & videte. Septuaginta, *Intuemini in Regem Salomonem.* Sponſæ verba ſunt, quę videns filias Hieruſalem ferculi venuſtatem & diuitias admirari, & laudibus proſequi, eas ad intuendum & laudandum ſponſum prouocat. quaſi dicat : Oculos veſtros à lectica auertite, & ad eum, qui ipſi inſit, & Salomonem conuertite, intuentes in eum, & admirantes eum *in diademate, quo coronauit illum mater ſua.*

Hic nodus, atque adeò ad aſſequendam huius loci ſententiam aliqua præmittere opus eſt. Primò illud compertum, tam ſponſum, quàm ſponſam in nuptiis coronâ donari ſolitos. De ſponſo quidem ſermo eſt Iſaiæ 63. *& indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum coronâ*, &c. Plutarchus etiam apud Carolum Paſchalium *de coron. lib. 2. cap. 16.* de ſene nuptias copulante. *Senex*, inquit, *vxorem ducere paratus, coronatus, vnguentatus.* vbi etiam ex Ariſtide ſic recitat. *Cui coronæ magis debentur, quàm ſponſo.* & ex Tertulliano hæc profert, *coronant & nuptiæ ſponſos.* Addo etiam nil magis obuium, quàm nouam nuptam coronâ donari. infrà *cap. 4.* ſic ſponſus : *Veni, coronaberis de capite Aman*, &c. Claudianus *in Epithalamio Serenæ*,

Dic mihi Caliope tanto quid tempore differs
Pierio meritam ſerto redimire Serenam.

Martianus *in Hymenæo*,

Noua ſerta date Napeæ.

& alia ſexcenta.

Sed ex qua, inquies, materia corollæ nuptiales ſpectabantur? certè ex floribus aut veris, aut imitatis. Rogabis etiam, quò ſpectabat vſus coronarum in nuptiis? Occurrit Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt. 2. ad Timotheum; *Idcirco*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, ſcilicet nubentium, vt victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea libidini fuerint*

rint impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur coronati, quòd scilicet à voluptate antea superati non sint; quòd si à libidine superatum seipsum quisquam sentit, cuius tam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla subdiderit? Nil elegantius aut dici, aut excogitari potuit. Addit Paschalius, ideo florentes coronas sponsis dari inter nuptias, vt inde discant pulchritudinem, gaudium atque omnia oblectamenta nuptialia, nihil à floribus dissidere, quæ nimirum simul ac floreunt & vernant, statim pereunt. Hinc Ausonius ad nouam nuptam,

Collige virgo rosas, dum flos nouus, & nouæ pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Sed ad rem nostram; Quis, inquies, sponsus coronis donabat? Ego quidem in prophanis hoc solum comperi, coronas & serta sponso ab sponsa dari. Ita suadent verba illa quæ Tullius *lib. 3. de orat.* producit ex vetere comœdia. *Sed mihi cùm retulit coronam ob collocandas nuptias tibi ferebat, cùm simulabat, se alteri dari nuptias tunc ad te ludibunda doctè, & delicatè detulit.* Concinet locus Homeri *Iliade 10.* vbi sic fatur: *Coronam quam ei dedit aurea Venus, quando ipsam cristatus duxit Hector*, &c.

Euripides verò *in Iphigenia*, non obscurè significat sponsam à matre sua nuptialem coronam accipere solitam. Nam de Iphigenia, quam eius mater Clytemnæstra nuptui tradebat, sic ait:

Attamen coronans eam, adduxi tanquam nupturam tibi.

Ad hæc de filia Iephthe ad sacrificia addicta, atque adeò omnibus ornamentis nuptialibus vale dicenti, sic Philo Iudæus: *O mater mea, in vanum peperisti me*; & post pauca: *Confectio omnis olei quod præparasti mihi, effundetur, & vestis alba, quam nouit mater mea, tinea comedet eam, & corona, quam intexuit nutrix mea, in tempore marcescet.*

Quòd autem sponsus à matre sua coronam acciperet, nec in Sacris, neque in profanis lego; tamen ex his, quæ coniectari fas est, hoc obsequium dandi, ac reddendi coronas sponsalitias ad ipsos sponsos pertinuisse credo; itavt sicut sponsa sertum imponebat capiti sponsi sui, sic etiam sponsæ coronam sponsus offerret. Ita enim colligi videtur ex verbis suprà adscriptis: *Veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. vbi sponsus ad nuptialem coronam inuitat sponsam suam, non obscurè significans illam non ab alio, quàm ab sponso coronandam iri.

Denique illud quoque in dubium vertitur, an in hoc loco sermo sit de corona Regia, an de nuptiali? Vtrumque autem suaderi potest ex ipso textu. Nam sponsam loqui de corona nuptiali, probant illa verba: *in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Ipse etiam nuptialis apparatus, de quo hîc agitur, & in quo coronæ sponsalitiæ minimè omittendæ forent. Rursus de corona Regia accipi debere præmissa verba, suadet translatio vulgata: *in diademate, qua coronauit eum*, &c. nam sertum nuptiale ex floribus compactum, parum aptè dicitur diadema, hoc enim propriè Regium insigne, & supremæ potestatis præcipuam notam significat. Adde etiam, quod aliàs non semel dixi, in hoc Cantico nuptias Regias describi etiam apparatu planè Regio, licèt aliquando stilus sit bucolicus, atque adeò diademata & coronas Regias haud supprimi debuisse in hoc Cantico.

His prælibatis, si de corona sponsalitia sermo sit, locum habet interpretatio Rabbi Anonymi, quam iam subiicio: *Egredimini filiæ Hierusalem.* An non egressæ iam fuerant Solymitanæ fœminæ, quæ lecticam Salomonis, imò ipsam sponsam in ea sublatam, paulo antè accuratè descripserant? Quomodo ergo nunc denuò egredi iubentur. Respondeti solet, verbum, *egredimini*, ad attentionem animi referri. Quasi dicat: Adeste nunc ô filiæ Hierusalem, & videte, &c. Addi potest sponsam ea prouocatione omnes ad vnam Hierosolymitanas fœminas inuitare, hoc volens, vt si quæ eatenus in Penatibus latuissent, ad sponsi gloriam & pulchritudinem contemplandam foras erumperent, neque tanto spectaculo fraudaretur.

Et videte Regem Salomonem. Sed quid in ipso contemplatione dignius? Certè ipsemet. *Videte*, inquit, *Regem*, &c. Addit deinde ea, quæ ipsum exornabant, *in diademate*, &, nisi fallor, nomine *diadematis*, omnia ipsius decora & ornamenta complecti voluit, *quo coronauit eum mater sua.* quæ præfatus Rabinus recitans verba Rabbi Eleazari, sic edisserit: *Rex itaque adamatam vxorem sibi adiungens, tanto affectu eam prosequutus est, vt aliquando suam vocet filiam, quemadmodum dictum est: Audi filia, & vide*, &c. *Sæpe etiam inter amplexus sororem appellat infrà: Aperi mihi soror mea; aliquando etiam matris dignatur nomine, vt in Isaia legitur: Attendite ad me populi mi, & mater mea auscultate.*

ſcultate me; ſic enim conuertit illa verba, *& tribus mea me audite.* quam lectionem capit etiam textus Hebraicus, vt notauit Genebrardus. Ergo iuxta mentem dicti Hebræi verba illa, *in diademate, quo coronauit eum mater ſua*, ſic ediſſerenda ſunt: contemplamini Regem Salomonem corona inſignitum nuptiali, qua ego ipſa, quam ille, cùm me amantiſſimè compellat, matris ſuæ nomine honeſtat, illi donaui, atque adeò mihi acceptam refert. *in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* videte, inquam, illum in eo potiſſimum die, quo ſuam gloriam, magnificentiam & lætitiam oſtentare oportuit ad nuptias celebrandas, in eo, inquam, die, id eſt, in tertio nuptiarum, qui pompæ oſtentationi & publicis gaudiis tribui ſolet ab ſponſis, tunc videlicet, cùm vrbem ingredi, & templum adire opus eſt. hanc expoſitionem commendat conſuetudo vetus ſuprà adſcripta, qua conſtat ſponſum ab ſponſa ſolenni ritu corona nuptiali donari ſolitum.

Si verò per *matrem*, ipſam Regis genitricem accipias, ſenſus eodem modo inſtituendus eſt, *in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* quaſi dicat: Contemplamini Regem ſponſum meum corona nuptiali à parente ſua redimitum; ſed à qua parente? ab ea nimirum, quæ ipſum genuit, quia ſicut mater ſponſæ coronam ſponſalitiam ipſi imponebat, vt ex præmiſſis conſtat; ſic etiam ex quadam coniectura affirmare licet ſponſum à parente ſua coronam nuptialem accipere ſolitum, ne ſit diſpar vtriuſque ratio.

Sed, vt dicam quod ſentio, ſecunda interpretatio mihi magis probatur, quæ non de geniali ac ſponſalitia corona hæc verba exponit, ſed de regio diademate, quod eſt inſigne poteſtatis regalis. Nam, vt aliàs non ſemel animaduerti, ſenſus hiſtoricus iſtius Cantici, non priuati alicuius hominis, ſed Regis nuptias repræſentat: atque adeò in ea die, qua maieſtas tanti Regis oſtentabatur, regni inſignia meritò gloriabundus geſtabat. Nec diſſimile eſt id, quod habes *Pſalm.* 44. in quo alius ſimilis huic pompicus proceſſus ſponſi ac ſponſæ, Regis nimirum ac Reginæ in vrbem & in templum deſcribitur, vt nuper dicebam, ac de Rege ſic fatur: *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna.* Quaſi dicat: in hoc proceſſu, & publica lætitia, & nuptiali ouatione, ſpeciem ac pulchritudinem tuam gloriabundus ſic oſtenta, vt Regem magnificum decet: *& procede & regna.* ſic nimirum progredere, vt Regem te eſſe ipſa regalium inſignium, ac ſtemmatum gloria facilè declaret. Hanc verò interpretationem ideo reliquis anteponendam cenſeo, quia gradum ſternit ad germanum ſenſum illorum verborum, *Veni, coronaberis de capite Amam*, &c. de quibus inibi ſermo erit.

Itaque iuxta dictam diadematis acceptionem locus iſte ſic ediſſerendus eſt: *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua*, id eſt, eum ſcilicet, contemplamini corona inſignitum regia, quam illi mater eius Berſabee indepta eſt. nam tunc cum precibus obtinuit, vt filius regnaret, illũ certè vnxit, ac coronauit. Illud verò, *in die deſponſationis*, &c. non eſt copulandũ cum proximis verbis, itavt ſenſus ſit: Videte Regem Salomonẽ à matre corona donatum in ipſa die deſpõſationis illius, &c. Sed cũ antecedentibus ad hunc modum, egredimini filię Hieruſalẽ, & videte Regẽ Salomonẽ, &c. id eſt, Regem Salomonẽ, nunc aſpicite, in die deſpõſationis eius ea redimitum corona, qua ei mater ſua dudũ precibus impetrauerat, & ſic tota ſententia aptè cadit.

CAPVT QVARTVM.

Verſ. 1. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quòd intrinſecus latet.

ABſque eo quod intrinſecus latet. Hebraicus textus ſic habet, מבאר לסמתך *mibbabad leſam mateh.* quæ verba *cap.* 7. Vulgatus tranſtulit, *abſque occultis tuis.* Referam omnes omnium lectiones. Iarrhius & Ionas, *intra vittam tuam*, aut *velum tuum.* Recentiores Hebræi vnanimi conſpiratione, *intra cincinnos tuos*, vel *intra crines tuos.* Septuaginta, *extra ſilentium tuum.* Quinta editio, *ex multitudine pulchritudinis tuæ.* Demum codices aliqui ſic habent, *abſque eo quòd intrinſecus latent*, eodem ſenſu.

Vox præmiſſa צמה *tſamah*, non alibi inuenitur, niſi *Iſaiæ* 47. qui locus non parum

negotij faceſſit interpretibus; nam cùm ibi Hieronymus *turpitudinem* conuertiſſet, ad hunc modum, *Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum*, &c. Idem Hieronymus *in hunc locum*, non valde puram quandam expoſitionem inuexit; nam turpitudinem etiam hîc ſignificari exiſtimans, verba illa, *abſque eo quod intrinſecus latet*, ſic explicat, *præter id quod modeſtè dici non poteſt*, atque adeò ſilentio premi debent, quod nimirum verecundia latere iubet. Tamen credo ſanctiſſimum Patrem, non ſuam, ſed alterius ſententiam referre, Septuaginta, qui meliùs vocis Hebraicæ *leſammathech* naturam calluiſſe credendi ſunt, in præmiſſo loco Iſaiæ κάλυμμα, id eſt, *velum*, conuerterunt, *detege velum tuum*, quibus ego certè plus credo. nam quæ vtrobique de *cincinnis* comminiſcuntur recentiores Hebræi, probare numquam potui. Ergo in hoc loco Iſaiæ alluſum exiſtimo ad velum, quo virgines & aliæ fœminæ ingenuæ caput & faciem obnuere ſolebant apud Hebræos, quam reuelatam prodere turpe erat. Quod eleganter probat Paulus 1. *Corinth. cap.* 11. ab illis verbis: *ideo debet mulier habere velamen ſuper caput ſuum*, &c. Igitur Propheta quid Babyloni euenturum eſſet prædicens, ait, futurum vt in captiuitatem & ſeruitutem abducta ignominiâ multâ afficeretur; non ſecus ac fœmina, cui velum adimitur quo ad faciem pudicè occultandam vtebatur. Nec aliud ſibi vult illud, *reuela turpitudinem tuam*, hoc eſt, detege capitis velamen quod turpe fœminæ & indecors eſt. Et quidem capitis reuelatio in fœminis, ſeruitutis indicium erat, vt ait Tertullianus *de velandis virginibus cap.* 5. Non ignoro longos & defluentes crines captiuis detonderi etiam ſolitos, iuxta illud Deuter. 32. *De captiuitate nudati inimicorum capitis.* tamen non de crinium tonſione, ſed de velaminis ablatione locum iſtum capiendum eſſe, ſuadet mihi tranſlatio Septuaginta, ad verba Iſaiæ, & vulgata lectio in hoc loco.

Quod meliùs vt capias, pendendus locus alter *Ezech.* 26. vbi inter alia ſic ſponſus ad ſponſam: *Cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus.* Hebraicè משי ואכסך *meſi vachaſich*, id eſt, *vela non texui, operui*, pro voce *meſi*, Septuaginta πίλημα. de qua ſic Hieronym. *Cùm diligenter inquirerem, quid ſibi vellet vocabulum trichapti, quod Septuaginta tranſtulerunt, & à nullo Græcorum nec vſum, nec etymologiam poſſem inuenire ſermonis; tandem didici à Septuaginta eſſe compoſitum, rebus enim nouis noua adinuenienda ſunt nomina, quòd tantæ ſubtilitatis fuerit, vt pilorum & capillorum tenuitatem habere videatur. Vnde & ego volens tenuitatem exprimere, pro trichapto*, ſubtilibus *tranſtuli.* Hæc Hieronymus. Theodoretus verò ritè ex capillis contextum eſſe dicit, quod fœminarum capitibus circumponebatur. Aſſentiar Hieronymo & ſubtiliſſimum quoddam veli genus, non capillaceum, ſed potiùs ſericum intelligo, tanta tenuitate, vt ſtamen, quo textum erat, tenuiſſimos crines videretur imitari. Nam de ſignificatione huius nominis *meſi*, non diſſentior ab his, qui dicunt, ex ratione ſuæ etymologiæ ſericum filum notare, ea tenuitate, qua ex bombycino lanificio aqua feruenti immerſo trahitur. Neque enim aliàs redordiri poteſt. Fluit enim *meſi*, à radice *maſah*, quod eſt, ex aqua trahere. Vnde Moyſes etiam, qui Hebraicè משה *Moſeh* nomen accepit. de quo Exod. 2. *Vocauitque nomen eius Moſeh, dicens, quia de aqua traxi eum.* ſignificat ergo meſi, *velum ſericum* ex filis contextum, eadem tenuitate, qua ex aqua trahuntur cùm bombycinum redorditur. Agit autem Propheta in hoc loco de velo, ſeu flammeo, quo noua nupta, caput faciémque obnubere conſueuit. Ita placet noſtro Hieronymo de Prado, qui mihi ad inſtar eſt plurimorum; itaque velamen ſericum ſubtile & pretioſum ad caput, faciémque tegendam ſponſæ à ſuo coniuge datum ſignificatur, illis verbis: *indui, aut velaui te ſubtilibus.* De flammeo plura dicam *cap.* 5. *verſ.* 7. Quanta verò eſſet nuptialis flammei tenuitas, pulchrè expreſſit Seneca *in Octauian.* his verbis: *Vidit attonitus tuam formam Senatus thura cum ſuperis dans velata ſummũ flammeo tenui caput.* Addo etiam aliud teſtimonium Lucani *lib.* 2. *de bello ciuili.*

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem,
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Pende illa verba, *leuiter tectura pudorem.* ſignificatur enim flammei tenuitas, qua vix genæ tegebantur. lege plura *in Iſagoge cap.* 6. §. 4.

Sed antequam germanam huius loci interpretationem ſubſcribam, aliorum placita libenter referam. Sunt qui hæc verba ſimpliciſſimè interpretantur, hoc modo: *Pulchra es amica mea*, id eſt, mirum in modum pulchra es; ſed quia non eſt integrum, modò ſingula membra, quæ ad tantam pulchritudinem conformandam accedunt percurrere, multa quidem ſilentio premam, pauca verò commemorabo, ea nimirum,

quæ

quæ manifeſtiora ſunt, ſcilicet oculos, genas, capillos, &c. ſic explicant illa verba; *abſque eo quod extrinſecus latet*, vel, vt Septuaginta reſtituunt, *intra ſilentium tuum.* quaſi dicat: Oculos & genas commendo, ſed pleraque taceo. Non probo hanc expoſitionem.

Recentiorum communis interpretatio ſic habet: *Oculi tui columbarum, intra cincinnos, vel crines tuos.* ſic enim reſtituendum, & ad eum ſenſum vulgatam lectionem accommodandam exiſtimant: tui nimirum oculi, qui præcipuam pulchritudinis partem continent, columbini ſunt, & quia crines, aut cincinni fluentes & vndulantes, ſuper eos volitant, longè pulchriores videntur; id enim quod latet, commendat plurimum illud quod apparet. Hic ſenſus illuſtrari poſſet carmine Auſonij, qui de crinibus puellarum ſolutis, & in faciem fluentibus ſic luſit:

Ora puellarum faciunt incerta capilli.

Id verò pulchritudinis opinionem propterea auget, quia amor & cupido has ſibi ipſi præſtigias facit, vt quæ non ſatis videt, meliora & pulchriora æſtimet, quàm ea, quæ clarè intuentur. Huc ſpectant verba Naſonis, qui de amatore ſuam collaudante puellam, ſic cecinit.

—— *Laudat digitoſque manuſque*
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos,
Si quæ latent meliora putat.

Huic expoſitioni robur ac lucem attulit noſter Sanctius ex conſuetudine nuptarum, quibus familiare fuiſſe dicit paſſos & fluentes capillos olim geſtare, cùm virgines vitta collectos & aſtrictos offerrent. Id verò ſuadet auctoritate Optati Mileuitani *lib. 6. poſt medium.* vbi contra Donatiſtas, qui virgines Chriſti ſponſas ad nuptias adigebant, ſic fatur: *Iam ſpirituali ſponſo ſoluerant crinem, iam cœleſtes celebrauerunt nuptias; quid eſt quòd eas iterum crinem ſoluere coëgiſtis? quid, inquam, quòd ab ipſis per vos exacta eſt profeſſio ſecura? quis eſt alter ſpiritualis ſponſus, cui iterum nuberent?*

Sed tamen huic expoſitioni nihil tribuo, tum, quia non ſatis congruit cum vulgata tranſlatione, tum etiam, quia non ſatis verum puto, id quod ſupponit, ſcilicet nuptas mulieres paſſos & ſolitos in faciem crines olim geſtare ſolitas; oppoſitum enim *verſ. ſequenti*, multis probabo, & verba Optati, me iudice, contrarium ſenſum reddunt: nam prima illa, *iam ſpirituali ſponſo ſoluerant crinem*, de virginibus enunciat, quibus proprium erat crines ſolutos & fluentes offerre, quæ nimirum ſemetipſas nuptiis carnalibus abnegantes, & à moribus etiam coniugatarum abhorrentes, vſum virginum retinebant. Id verò quod ſtatim adiungit: *Quid eſt quòd eas iterum crinem ſoluere coëgiſtis*, mendi ſuſpicione non vacat. & fortaſſe legendum eſt, *Quid eſt quòd eas iterum crinem colligere coëgiſtis?* id enim poſtulat ſententiæ congruitas. Lege plura *verſ. ſequenti.*

Ego verò libentiùs ſequor interpretationem Rab. Dauid, qui vocem illam, צמה *tſamah* velum interpretatur, quam amplectitur etiam Guidazerius; ſic nimirum: *Oculi tui columbarum intra velum tuum.* Nec recedit ab hoc ſenſu vulgata lectio, quæ verba dimittens ſenſum, vel ſententiam tenuit, cùm reddidit, *abſque eo quod intrinſecus latet.* Hiſpanè dicendum foret, *fuera de que eſtan eſcondidos adentro*, nimirum intra velum, aut flammeum nuptiale deliteſcunt. Denique cum hac etiam expoſitione concinit tranſlatio Septuaginta, *extra ſilentium tuum.* Nam *ſilere* inter Latinos, ſæpe idem eſt, quod, *non apparere*, ſic dici conſueuit *Lunæ ſilentium*, id eſt, abſconſio, ſeu non apparitio Lunæ. Virgil. 2. *Æneid.*

—— *Tacitæ peramica ſilentia Lunæ.*

id eſt, cùm Luna abſcondita diſparet; ita etiam *flos ſilens* dicitur, qui nondum germinauit, & *vineæ ſilentes* appellantur, quæ necdum primas gemmas protulerunt. Itaque illud, *extra ſilentium tuum*, vel *extra taciturnitatem tuam*, (quod in idem recidit) perinde eſt, ac ſi dicat, *fuera de lo que no parece.* Sed quorſum hæc?

Memoriâ repetenda ſunt ea, quæ non ſemel diximus, ſcilicet ſponſam pro velo craſſiori, quo virgines vtebantur ad faciem totam celandam, tunc cùm ſponſo tradebatur flammeum nuptiale accipere ſolitam, nam nemo neſcit nouas *nuptas* ideò ſic dici *à nubendo*, quia maritis traditæ non illicò faciem luci & oculis offerebant, ſed pudori conſulentes initio quidem flammeo nuptiali vultum tegebant, atque eo tectè in publicum prodibant: ſed quale erat hoc flammeum? ſubtile admodum, ac tenue, vt nuper deſcripſimus, itavt per eius ſiue retia, ſiue maculas, facies vultúſque ſponſæ

ſubobſcurè videretur; & ipſa etiam quaſi per nubilum videret. Et quidem primum ingreſſum in vrbem, & aditum ad templum,quem continet quartum iſtud Epithalamium, haud dubitandum, quin ſponſa ad eum modum flammeo ſubtili tecta & velata perfecerit; vt iam inde ab initio monui, & ſuprà *in Iſagoge cap.6.* §.5. *& 6.* ad tertiam nuptiarum diem dixi,& in repræſentatione textus,*Epithalam.*4.probaui.

His ergo ſic conſtitutis, cogita ſponſam in ſuperiori verſu oculos & attentionem filiarum Hieruſalem ad ſponſi ſui contemplationem euocaſſe: *Egredimini filiæ Hieruſalem, & videte Regem Salomonem*, &c. Adde etiam dictas fœminas in ſponſo, quæ ad eum modum, aut pallio nuptiali tecta procedebat, cùm ſuauem illius odorem ſentirent, faciem autem non viderent, id tantùm commendaſſe, quod ſenſu percipiebant, ita enim exclamarunt, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto ſicut virgula fumi*,&c, ergo ſponſus Sulamiti ſuæ vicem rependere volens, ne fœminarum laudes & commendationes deſideraret, cùm illam proximè intueretur, atque pulchritudinem eius per ſubtiliſſimi flammei tenuitatem, quaſi per vmbram deſpicerent, laudes illius ſic exorſus eſt: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* Repetitio auget & exaggerat commendationem ſuſceptam: *Oculi tui columbarum.* ſatis multa de hoc hemiſtichio ſuprà cap.1.verſ.15. *abſque eo quod intrinſecus latet.*Hæc verbà duplicem ſenſum reddere poſſunt. Prior eſt: hanc oculorum tuorum venuſtatem non parum auget, flammei,ſeu veli nuptialis obiectus;quia id quod in ipſis videre licet, valde pulchrum eſt,& quod abſconditur, pulchrius æſtimatur, iuxta illud Naſonis,

Si qua latent meliora putat,&c.

Poſterior eſt, *oculi tui*, quatenus per flammei retia ſe ſe produnt columbini, atque adeò pulcherrimi apparent; quid ſi non laterent? quid ſi flammei nuptialis interpoſitio eorum venuſtatem imminueret, quaſi dicat; *oculi tui*, columbarum oculos non ſolùm exæquant, ſed etiam ſuperant venuſtate & decore, niſi quòd intra velum ſubtile tantiſper deliteſcunt; ſi enim omnino paterent, & ſine vmbris ſeſe videndos palàm darent, incomparabilis appareret eorumdem pulchritudo. hanc expoſitionem ſuperiori præferendam cenſeo,quia meliùs inſeruit contextui.

Eumdem ſenſum, me iudice, reddunt verba Pſalm. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* proponitur enim ſponſa ad eumdem modum nuptiali flammeo velata, atque adeò formam abſcondens; ſed veſtes aureas opere polymito elaboratas præ ſe ferens. Ergo ſiue ſponſus, ſiue puellæ pediſſequæ, quæ ipſam ad vrbem, & ad templum ſtipabant, ſic eam ſubſcribi præmittit ſacer Vates, *Adducentur Regi virgines poſt eam in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Hæ autem virgines de ſponſa ad eas, quæ ipſam admirabundæ contemplabantur, ſic profantur: *Omnis gloria filiæ Regis*,&c.id eſt, præcipua pulchritudo & venuſtas ſponſæ *ab intus*,hoc eſt, in facie & vultu, ac cæteris, quæ velum nuptiale tantiſper occultat,exiſtit prorſus; ab intus,inquam,in his ſcilicet, quæ etſi palam non videntur, quia velata ſunt, ea tamen veli tenuitas non omnino abſcondit, atque adeò ſubobſcurè, & quaſi per nebulas conſpici poſſunt, in his,inquam, pulchritudinis ſumma conſiſtit. Nam quòd eandem veſtibus aureis & variis ornatam videtis, id certè vltimo loco poni debet. Hæc germana huius loci interpretatio.

Quòd ſi extra fines eius contexturæ, quam ſequimur, euagari integrum eſt; ex quadam licentia interpretandi, duas alias expoſitiones ſubſcribere poſſumus: prior eſt eiuſmodi. Vox מחמ *Ḥamah*, rem abſconditam, aut celatam notat, &,mea ſententia, numquam melius vim eius expreſſit noſter interpres, quàm cùm *cap. 6.* eandem vſurpans ſimilitudinem genarum,ſic ait: *ſicut cortex mali punici, ita & genæ tuæ abſque oculis tuis*; nam vtrobique reperitur vox præmiſſa,item vox Hebraica, quem alij *intra*,alij *extra*, noſter *abſque*,ex proprio ſignificato eſt *ſine*; habet enim negationem incluſam. Deinde notandum, oculos & genas, fucis ac pigmentis illinere fœminis ab heroicis temporibus vſitatum vt natiuæ pulchritudini additis coloribus ſuccurrant, & ſi quid minus decorum ineſt, illud abſcondant. De oculorum fucis extat illud Ezech.13.*Circumleniſti ſtibio oculos tuos.* Hierem.4.*Cùm ornatus fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos.* Alij ex Hebræo,*depinxeris fuco faciem ſuam*,quod pertinet ad faciei pigmenta. Vtrumque exploratiſſimum.

Ad rem: *oculi tui columbarum abſque occultis tuis*, id eſt,*ſine occultis*, oculi nimirum columbini; vulgò *zarcos*, & id quidem ſine fuco, ſine pigmentis, quin aliquid vitij additis pigmentis celes. Nec aliud ſibi volunt illa verba, *abſque eo quod intrinſecus latet.*

tet. quæ non ita accipienda, quasi aliquid boni, aut pulchri latere significent, sed absoluta negatione fine eo quod lateat intrinsecus, hoc est, quin aliquid latens interiùs subsit, quod fuci, vel pigmenta celauerint.

Posterior expositio, huic non absimilis, ad mores sponsæ magis, quàm ad pulchritudinem refertur; oculi certè sunt animi indices. Quis enim nescit, gaudente animo subridere oculos hilariter, eodémque mœrente, ipsos quoque remitti, ac langueſcere? iidem etiam per iram tumescunt, & ignitum quiddam iaculant? per mansuetudinem, mansuescunt, inter cogitandum stant immotæ pupillæ, ipsæ etiam quodammodo cogitabundæ, oberrant verò inconsideratis. Denique omnibus animi affectibus simplicium oculi afficiuntur, & nihil omnino latere in animis permittunt. Identidem facies & genæ ad verecundiam suffundunt, rubore ad iram candicant, ad metum pallent, & ad alias animi passiones dissimiles, dissimiliter se habent. & id quidem non in astutis & vafris omnibus; de his enim dictum Eccles. 4. *Ne accipias faciem aduersùs faciem tuam, nec mendacium aduersùs animam tuam.* hoc est, ne aliud in animo habeas, aliud in facie præferas. Sponsus ergo sic ad sponsam: *Oculi tui columbarum, atque adeò simplices, absque eo quod intrinsecùs latet.* vel, quod idem est, *absque occultis tuis*, id est, quin aliquid interiùs celes; nihil enim est in animo, quod non statim per oculos se prodat, & idem est de genis, quæ ad omnes etiam animi affectus permutantur, nihil simulantes, omnia in lucem proferentes.

Sed quæres, quid de lectione Septuaginta decernendum sit, quæ sic se habet: *extra silentiu mtuum.* Haud difficile erit cum nostra in concordiam adducere; si tamen propositio *extra*, (vt solet) absolutam negationem claudat, id est, sine silentio tuo, & *silentij* nomen pro re occulta & latenti capiatur, sicut *lunæ silentia* dicimus, cùm omnino disparet. Itaque, sine silentio tuo, perinde erit ac si dicat, quin aliquid abscondas, aut celes, vel extra id, quod celas & abscondis.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

Ascenderunt. Hebraicè גלשו *galesu*, quidam *defricuerunt se*, alij *manicauerunt*, plures, *apparuerunt*, pauci, *depexuerunt se.* Septuaginta, *reuelatæ sunt.* est etiam, qui illud, *ascenderunt*, capiendum esse dicit pro *descenderunt*, quia noster interpres eandem vocem nonnumquam *ascendere*, aliquando etiam *redire*, aut *descendere* conuertit. Cæterùm is, quicumque est, vim affert vulgatæ lectioni: ergo *ascenderunt de monte*, perinde est mihi, ac si diceret, de montis radicibus ad cacumen conscenderunt. quod quantum ad germanum huius loci sensum assequendum faciat, postea subiiciam.

Antequam huius loci sententiam eruam, constituere oportet, quónam colore sponsæ cæsaries prædita esset. Si quæras, quis olim color capillorum maiori in pretio esset, non liquet. Horatius nigros capillos laudi ducit.

Depicta nigris oculis, nigróque capillo.

Huc spectat illud Claudiani *in Epithalamio Honorij, & Mariæ*,

Non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.

Crines igitur violis similes commendat Poëta, id est, subatros. Rursus flauorum capillorum laus tanta fuit, vt illos ex Septentrioni subiectis plagis coëmptos in Africam adduci solitos affirmet Tertullianus *in libello de cultu fœminarum*, & Clemens Alexandrinus *Pædagog. lib. 3. cap. 1.* vt videlicet fœminæ gestarent pro suis. Virgilius item *de coma Didonis*,

Non dum illi flauit Proserpina crinem.

Abstulerat. Ego verò existimo, neque atros omnino, neque flauos prorsus crines præcipuam laudem tulisse, atque hoc colore præditam sponsæ cæsariem constabit infrà *cap. 7.*

Sed dices, in eo capite cum purpura componit: *comæ tuæ sicut purpura Regis*, &c. ergo flaua fuisse fingitur. Vim huius illationis non agnosco; nam color purpureus, frequentiùs pro violaceo & ferrugineo accipi consueuit, vt eruditè probat Alecampius *in Plinium*, & noster Cerda *in Virgilium*, & in sacris literis *Exodi 25.* & sæpe aliàs, purpureus color & coccinus distinguuntur. Ergo dum crines purpuræ similes prædicantur, subatros potiùs fuisse, aut violarum colorem præ se tulisse osten-

ditur, iuxta illud Claudiani: *Non crines æquant violæ*; & de viola Virgilius *lib.* 4. *Georgic.*

—— Violæ sublucet purpura nigræ.

Itaque violaceus color, niger dicitur, sed sublucens, quia nimirum hæc est illius natura, vt medius sit inter atrum & fuluum, hoc est, niger flaueſcens, aut flauus nigricans. De hoc colore, & non alio, capienda sunt illa eiusdem Maronis verba *lib.* 1. *Georgic.*

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Et quidem aptiùs hoc ad capillorum naturam dicitur. nam si purpura pro colore acciperetur rubro, haud posset is color capillis accommodari. quis enim vnquam habuit coccineos capillos? ergo purpurei capilli, non atri omnino sunt, sed lucentis violæ, aut ferruginis colorem imitantur, inter atrum videlicet, & flauum.

Huius coloris, & non alterius, capreas Galaaditicas fuisse existimandum est, inter atrum nimirum, atque flauum; id enim euenire solet, quadam naturæ lege, vt pro regionis pabuli, & aquæ diuersitate, alium, atque alium colorem pecudes mutent, & quidem in Galaaditica plaga eo colore præditas fuisse capras, suadet loci natura; est enim calidior totius Iudææ, vtpote quæ depressior, & ferendis aromatibus habilis erat; hæc enim non, nisi in calidis regionibus proueniunt: experientia autem docet, in his regionibus, vbi calor viget, pecudum lanas in nigrum colorem discedere; & quidem in caprarum genere, satis communis est dictus color subfuscus, medius inter nigrum & fuluum, vt proinde credibile sit capras in regione Galaad Solis ardoribus adustas eum colorem præferre. Ad hæc caprarum in Iudæa villos fuisse longos, & tonsiles, vt de Cilicia circa Syrtes refert Plinius *lib.* 8. *cap.* 50. Probari potest, quia saga Cilicina de caprarum pilis intexere iubet Moyses *Exod.* 36. & filij Israël caprarum villos obtulisse inibi perhibentur. Demum in Galaad erat resinæ myrrhæ & aliorum aromatum prouentus magnus. Hier. 8. *non est resina in Galaad.* Genes. 37. *Viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stactem in Ægyptum.* Cùm ergo in ea regione inter aromatifera arbusta capræ versarentur, fiebat quidem, vt de exsudatis aromatibus, aliquid corroderent; & dum in spissiora dumeta, (quæ est illorum natura,) sese immittebant, villos oblongos depecterent, elimarent & leuigarent. Hinc datus locus illis lectionibus, *affricuerunt se*, & *depexuerunt se*, quas suprà retuli.

Erant igitur, vt dicta perstringam, Galaaditicarum caprarum villi purpurei, ex atro videlicet, flauóque temperati oblongi, depexi, & aromatibus conditi. has omnes laudes vnica similitudine caprarum iactat sponsus in sponsæ crines purpureos, longos, depexos, & vnguentis delibutos esse ostendens. Ita fert communis interpretatio sensus historici. lege nostrum Centumputeolanum, qui hanc expositionem lubentiùs amplectitur, & pulchriùs illustrat. Nisi quòd colorem flauum tam capris, quàm capillis sponsæ tribuit, id verò mihi semper displicuit.

Cæterùm, vt dicam quod sentio, locus iste grauiorem sententiam continet; nam ritum nuptialem eo tempore valde solennem, (me iudice) repræsentat. Erat enim olim in more positum, non apud gentes solùm, sed etiam apud Hebræos, vt innubæ puellæ, & virgines solutos & passos gestarent crines, nuptæ verò collectos vittis adstrictos in verticem afferrent. Hinc apud priscos authores, *capere crines*, aut *colligere*, perinde est, ac nubere. Plautus *in Mostellaria*,

Soli gerendum morem censeo, & capiendos crines.

Idem *in Milite*,

Vtique eam ornatam adducas matronarum modo:
Capite compto crines vittásque habeat.

Colligitur ex Isaia *cap.* 3. vbi inter alia mundi muliebris ornamenta, quæ nouis nuptis donabantur, numerat Propheta, *vittas* ad capiendos crines. & infrà *cap.* 6. crines sponsæ *canalibus vincti* dicuntur, vbi plura conferam in hanc sententiam. Hunc etiam sensum reddunt verba Petri, quibus vxoratas affatur epist. 1. cap. 3. *quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri.* vt in eo loco fusiùs probauimus.

Ergo sensum horum verborum, sic conformare opus est: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* quæ nimirum de radicibus illius montis ad cacumen eiusdem à pastore compulsæ sunt. quasi dicat: Crines tui ô sponsa postquam nupsisti, & viro tradita es, iam non passi soluti & fluentes, vt olim virgo innuba

gesta

gestabas, sed vitta collecti, & in verticem capitis relegati, similes omnino sunt capris,&c. id est,imitantur pilos caprarum,postquam à radicibus montis Galaad, ad cacumen illius ascenderunt, atque ibi pascuis intermissis conglobatæ cubant. Nihil in bucolico carmine elegantius,aut dici,aut excogitari potuit.

Demum, quia tenuis flammeus capillos quemadmodum oculos celabat, hinc fiebat, vt subobscurè etiam per flammei subtiles rimulas capilli se se proderent, haud dissimiles gregi caprarum cùm in montis vertice inter dumeta & arbusta eminus despiciuntur. Ad quam expositionem facit translatio Septuaginta, *quæ reuelatæ sunt de monte Galaad.*& alia nostri interpretis *cap.*7. quæ apparuerunt de Galaad. vide ibi.

*Vers.*2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. omnes gemellis fœtibus,& sterilis non est inter eas.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta Interpretes posteriora verba sic conuertunt. *quæ omnes geminantes, & infœcunda non est.* eodem sensu Rabbi Salomon, *quæ omnes integræ sunt.* Ambrosius, *geminatæ sunt.* Aquil.*gemelliparæ sunt.* Pro *sterili* alij abortientem reddunt,*& abortiens inter illas non est.* Hebr.*& orba non est in eis.*

Interpretes communiter similitudinem istam sic ediſſerunt. Comparantur, inquiunt,dentes gregibus ouium peritè tonsarum æquabili capillo, & deinde lotarum, quo aliàs candidæ fiant candidiores; nam detonsio ademit lanæ extremitates, quæ Sole & puluere inficiri solent, lotio etiam detergit sordes: hæc ad candorem dentium notandum. Rursus similes dicuntur dentes, ouibus detonsis gregatim ascendentibus, inter se stipatis; nam vellere resublato inuestes frigus inuadit, ipse verò, vt succurrant frigori, corpora corporibus fouentes ita pergunt aliæ post alias per accliues semitas,vt eminus nihil appareat interstitij. Id autem significat dentes æquales, & valde contiguos. Demum ouibus gemellos parientibus componuntur, vt illud quod tenuium gregum crura vacui interualli faciebant reliquum, agnelli inter crura iuxta matres pergentes, aut rumis inhærentes prorsus replerent, quo significatur nihil esse in dentibus hiulcum, nihil decarnatum, sed contigua omnia, & concinnè cohærentia.

Extrema illa verba,*omnes gemellis fœtibus*,&c. subtiliùs nouus interpres exposuit ad hunc modum:Duo sunt ordines dentium, superiores & inferiores: ex his superiores inferioribus ita insident, vt pares cùm sint, tamen impares videantur; vnus enim ex superioribus duos ex infimis premere ac terere videtur, qui ad hos relati gemellorum matribus inhærentium speciem reddunt. Ad hæc dentes, qui mediam oris partem instruunt,& incisores appellantur, latiori sunt forma: & qui his ad latus succrescunt,alter vtrimque minus lati sunt. Quapropter hos etiam licet gemellos dicere, illos matres, cùm præsertim maiores illi & latiores prius in dentientibus puerulis enascantur, & postquam hi adoleuerunt, duo alij ex vtroque latere alterutrinque adnascantur. Hæc ille magis acutè,quàm solidè.

Certè in his expositionibus illud est durum, quod D. Gregorius Nyssenus expressit,his verbis: *non conuenit dentem à natura nudum, cum hoc animali lanigero comparari.* Ego quidem ita reor, & quæ de illis ouium ardua scandentium ordinibus commenti sunt, interpretes præfatam duritiem & asperitatem nequaquam leuigare & linere.

Quapropter in re obscura, alia mihi occurrit expositio, quæ lenior videtur, & cum reliquo textu meliùs cohæret: ergo sicut in superiori versu sponsæ crines cum caprarum gregibus conferens sponsus, non capras absolutè, sed pilos pilis composuit, vt suprà exhibui,ex communi interpretum sententia. & sicut infrà *cap.*5.*vers.*12. de oculis sponsi, sic sponsa: *Oculi tui sicut columbæ*, quæ ad eum modum interpretanda sunt, vt oculi cum oculis conferantur. Ita etiam nunc,comparatio sic instituenda est, vt non cum ipsis ouibus dentes, sed dentes vtique sponsæ cum dentibus ouium comparati & collati dicantur. Nouum videtur,sed probabo. In primis constat,ouium dentes aliorum animantium dentibus antecellere, non forma tantùm, quia minuti concinnè cohærentes & candidi; sed etiam,quia innoxij. nam cùm aliorum dentes animantium his verbis quas carpunt, segetibus, & arboribus noxiam aspergant qualitatem,quæ veneni ad instar illas enecat;tamen dens ouinus innoxius est. Propterea

ad segetum adhuc in herbis luxuriantium immodicum vitium depascendum adhiberi solet. de quo sic Plinius lib. 18. cap. 12. *Luxuria segetum castigatur densè pecoris in herba dumtaxat, & depastæ quidem, vel sæpiùs nullam in spica iniuriam sentiunt.* Pecoris autem nomine lanigerum intelligit; nam caprinum bouinumque dentem omnes vt noxium & venenatum taxant. Theophrastus *lib.* 8. refert apud Babylones luxuriantes immodicè segetes bis detunderi, ac tertiò immitti oues, vt depascant. Rursus Galenus *de vsu partium cap.* 8. *&* 9. humanos dentes figura, ordine & reliqua structura ouium dentibus similes esse affirmat. Cùm enim, inquit, natura hominum manuetum atque imbellem effinxisset, non illi aprinis, aut leoninis pares dentes addidit, sed ouinis.

Quàmverò aptè in hanc expositionem verba cadant, postquam singula expendero, apertè cognosces: dentes tui sicut greges tonsarum, hoc est, dentes habes sicut greges ouium. (ita expressit ista verba Philo Carpathius.) Quemadmodum, ergo si quis diceret, simia dentes habet sicut homines, non significaret singulos simiæ dentes ad instar vnius hominis obtinere, sed dentes dentibus esse pares. Ita etiam in hac dentium & capillorum cum gregibus collatione sentiendum est, pilos pilis, dentes dentibus comparari. Et quidem dentes ouium à continuitate, & æqualitate laudat Conradus Gesn. ex Adamantio & Plino *in oue n.* 20. *&* 30. & *ib.* ouinos humanosque dentes non dissimiles, & numero pares esse dicit. Ita nimirum intelligendus, vt dentes inferiores non plures habeat homo, quàm ouis, hæc enim sicut alia animantia, quæ ruminant, inferioribus carent. Sed cur tonsarum gregibus, & non ouium simpliciter componuntur? Subiiciam. Virgilius 7. Æneidos *intonsam bidentem* appellat (vt ad eum locum obseruat Seruius, paruam & recentem ouem, quæ nondum, videlicet pro sua teneritudine, detonderi potuit. Item Columella *lib.* 7. *cap.* 3. *&* 5. teneras adhuc oues intonsas nuncupauit. Ita contrà in hoc loco tonsæ dicuntur oues, quæ iam adoleuerunt, & ad tonstrinam peruenerunt, quibus dentes firmi & fortes, nam sicut tenellis ouibus tenelli sunt & infirmi dentes, nec iusta præditi magnitudine: sic Crescentius apud eundem Conradum in B. *Sunt*, inquit, *ouibus iunioribus dentes inæquales, in statu æquales, ætate prouectis discalceantur, minuuntur, corrompuntur.* discalceantur, inquam, id est, decarnantur, & oblongi fiunt. Hæc si teneas, verba sequentia commentari facile est. Addit: *quæ ascenderunt de lauacro*, quæ redeunt, videlicet, ex fluuio in quo adaquatæ, vel lotæ sunt, iuxta illud Maronis 1. *Georg.*

Balantumque pecus fluuio mersare salubri.

Paladius apud dictum Gesnerum lit. E. *Quarto die post tonsuram, si est in vicinia maris, ouis ad littus deducta mersatur.* Quidam affirmant, in ouibus dentium incrementa nunquam intermitti.

Ad dentes etiam pertinet, quòd inter pascendum sordes contrahunt oues, quas dum bibunt, aut merguntur, abluunt & detergunt. *omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter illas.* id est, nulla præ senio effœta est, nam senio confectæ parere desinunt, his autem aut dentes decidunt, aut decidui nutant, aut denique decarnant, & in nimiam longitudinem euadunt, adeò vt earum ætas à pastoribus capiatur, *omnes gemellæ fœtibus*, &c. omnes videlicet iuniores, & adhuc præ robore duos enitentes: itaque, vt dicta perstringam, Sulamitis dentes dentibus ouium similes dicuntur, cùm ad iustam magnitudinem peruenerunt firmi sunt, candidi, deterſi, concinni, cohærentes, innoxij, non nutantes, non oblongi, non imminuti; hæ enim sunt omnes laudes quæ dentibus accommodari possunt, quas ea similitudine compleuit.

At, inquies, ouibus, vt cæteris animantibus quæ ruminant, superiores deficere non inficior, sed cùm inferiores dentes tam elegantes sint, vtrosque tam superiores, quàm inferiores sponsæ dentes cum his comparatos fuisse contendo, quia assimilatio est venustior, & ad sensus spirituales accommodatior.

Vers. 3. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta: *sicut funiculus*, eodem sensu; alij, *sicut restitula*, nil interest. Sermo est de vitta, qua nuptæ matronæ capitis crines colligere solebant, iuxta ea, quæ diximus suprà *vers.* 2. Has verò vittas coccineas fuisse olim comprobat carmen Catulli *de nuptiis Pelei & Thetidos.*

At

At roſeæ niueo reſidebant vertice vittæ.

Ita inuenio expreſſum alicubi carmen, quanuis aliter ſit in nouo Catulli codice ad hunc modum.

At roſeo niueæ reſidebant vertice vittæ.

Et quidem perplacet prior lectio. Sic enim Poëta ſeniori fœminæ accommodat canos crines tanquam effœtæ, ac ſterili, & vittas roſeas tanquam matronæ & vxoratæ.

In labiis color purpureus commendari ſolet, tumor verò vitio verti. propterea vittæ conferuntur coccineæ ob tenuitatem & colorem, vtraque enim vitta venuſtè adumbratur. *Et eloquium tuum dulce.* ne quis exiſtimaret labia ſponſi hiulca, & per labia dentes ſua ſponte prodi, quod eſt turpiſſimum fœminis. addit rationem qua inductus fuit, ad dentes labiaque laudanda, non quia riſerit, vt notauit hìc Nyſſenus. eſt enim fœminis, quæ pulchros habent dentes, ſolemne ad earum oſtentationem, etiam vbi non ſubeſt cauſa ridendi, riſus & cachinnos edere. In quam ſententiã Mart. *lib.* 12. *Epig.* 34. venuſtè luſit. & Ouidius *de Arte lib.* 1. Non, inquam, quia riſerit, ſed quia dulces & pulchros efflauit ſermones. *Et eloquium tuum dulce.* Dum enim ad loquendum os reſerauit, dentium & labiorum elegantiam apertè oſtendit. Ad hæc cùm dentium & labiorum miniſterio voces edantur, vbi dentes & labia deſcripſit, addidit hanc, reliquis laudibus, commendationem, quòd nimirum vtraque ad voces & verba efformanda eſſent appoſitiſſima. Quaſi diceret, cùm dentes tibi, ô ſponſa, concinni euenerint, labia etiam non tumida, aut obeſa, aut diducta, ſed exilia & tenuia ſint, bellè admodum exprimis quæ dicis, non hæres, non impingis, non interciſas promis voces.

Eloquium tuum dulce. Septuaginta *decorum*, Hebr. נאוה *Naueh* propriè *amœnum*, floridum, ad inſtar paſcui. Nam vox נאות *Neoth*, paſcua ſignificat amœna & vberrima, & quidem ſatis appoſitè dentes gregibus ſimiles dixerat, qui eloquium paſcui ad inſtar amœnum & vber eſſe adiunxit. Nam quemadmodum dente pecoris caſtigatur agri luxuries, ita verborum flos & vbertas nimia demetenda eſt, iuxta illud Iulij *n.* 2. *de oratore*, vbi de Sulpicij orationibus ſic habet. *Multo eius oratio eſſet pretioſior, in qua nunc interdum vt in hortis ruſtici dicere ſolent, in ſumma vbertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt.* Eloquia igitur ſponſæ amœna, ſed tamen dens ouinus, qui omnem verborum luxuriem demetit; ſed leuiora ſunt hæc. pergo ad alia.

Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.

EXtrema verba huius carminis in capitis auſpicio ad primum verſum fusè declaraui. Supereſt vt de prioribus pauca dicam. *Genæ tuæ* ex Rabinis quidam, *tempora tua*, ſed non audiendi. Hebr. רקה *Rakath*, propriè eſt quod tumet in facie, id autem venuſtè cum fragmine dimidiati mali punici comparatur. Sed dubium eſt, an comparatio iſta ita confirmari debeat, vt ſponſæ genæ mali punici fragmento adſimiles dicantur, ex ea parte, qua dictum fragmentum diſſectum grana oſtentat, an ex ea, qua cortice munitur? Rabbi Abenezrah aliter comminiſcitur, qui non cum cortice, aut fragmento, ſed cum flore eiuſdem granati mali genas ſponſæ conferri autumat.

De ſingulis iudicium ferre oportet. Sententia Abenezræ ſic conformanda eſt: *Sicut flos mali punici, ita & genæ tuæ.* id eſt, genæ tuæ ſic decenter rubeſcunt, ſicut flos mali granati, cuius color ſanguineus eſt. & ſanè color ille, qui genas tingit, flos appellari conſueuit, qui in iunioribus vernat, & in ſenibus marcet ac langueſcit. Ergo cùm flori prædicto conferuntur genæ ſponſæ, vernans ac florens illius iuuenta ſignificatur, quæ in malorum eximio rubore, potiſſimum ſpectari ſolet, malo granati verò flos, ante alios flores rubicundus ac flauus exiſtit.

Sed tamen hæc Rabini explicatio, mea quidem ſententia, vim verbis affert, ideò reiici debet. Secunda ergo, & magis accomodata expoſitio, quam vulgò interpretes ſequuntur, dictam comparationem inter genas & fragmenta mali punici ſic iniri affirmat, vt hæ cum cortice eiuſdem mali ea parte, qua tumet, conferantur, quia præcipua (inquiunt) laus genarum eſt, ne macræ, aut graciles ſint, ſed ſucci plenæ, & decenter tumentes: ne etiam pallorem, aut purum candorem oſtentent, ſed candido ac purpureo colore ad temperiem infectæ ſint. Has igitur genas accommodatiſſimè repræſentat fragmen mali punici. id eſt, cortex exterior, qui cùm maturus eſt, venuſtè

tumet,

tumet, tantisper candicat, & quasi adsperso purpurisso modicè rubet. Hanc interpretationem commendat vulgata lectio infrà cap 7. *Sicut cortex mali punici, ita & gena tua.* Adde etiam scholium Merceri, qui affirmat, genas à Chaldæis Thalmudicis ipsius faciei *malogranata* appellari. Causam si roges, non alia certè occurrit, nisi præmissa similitudo, siue in tumore, siue in colore, quæ inter malas & mala punica intercedit. Suadetur etiam hæc interpretatio, ex fabrica, seu constructione malorum punicorum, quibus vestis Pontificiæ fimbrias ornare præcepit Deus *Exod.* 39. vbi Deus naturalis fructus speciem & colorem imitari volens, prædicto malo ex byssо retorta cocco & purpura conflari iussit, sic enim habes. *Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo ac byssо retorta.* Ea nimirum ex albo & sanguineo colore permixtis ac temperatis componi voluit, vt vel ex eo constet, genarum quoque candido ac purpureo colore infectarum similitudinem per eadem malo granata optimè adumbrari.

Sed licèt hęc accommodata videantur, tertiam expositionem libentiùs amplector, quæ comparationem inter genas & punici mali fragmentum non quidem ex ea parte, qua cortex ostenditur, sed ex illa, qua grana quibusdam pelliculis, aut tunicellis, leuiter operta monstrantur, sumendam esse. Et sanè, quamuis in adornanda præmissa comparatione corticis conuexi, atque extimi mali punici, ac malarum sponiæ, multum sudatum est, non satis illi acquiescit animus, quia dicti corticis color non albus omnino, sed quasi cinereus, & rubor etiam torridus est, ac nigricans, tumor quoque, non leuis, sed asper & tuberosus, atque adeò non satis apta comparatio videtur. An non melior, atque concinnior esset comparatio eiusmodi genarum cum fragmine mali camusini, quod aliàs dicitur *maloroſa*, quia colore roseo cortex imbuitur, in quo candor, rubor, læuor & tumor longè decentius conspirant, quàm in malo punico? Huc spectat Platonis Epigramma in pomario Ioannis Baptistæ à Porta, recitatum *cap.* 12.

Malo ego te ferio, tu si me diligis, illud
Suscipe, &c. & infrà,
Hoc fieri si posse negas, hoc suscipe malum,
Quàm pereat paruo tempore forma, vide.

Quibus verbis formam pulcherrimæ virginis, similem omnino esse affirmat malo rosæ, quia nimirum olet, rubet, candicat, &, vt ait Plutarchus *in Sympoſiacis*, omnes sensus oblectat. Aliqui etiam dicunt genas ideo *malas* dici, quia eiusmodi mala rosea, imitari videntur.

Ob eam causam aliqui interpretes comparationem istam genarum & mali punici, sic confirmant, vt nequaquam cum corio illius, sed cum granis, quæ per natiuas rimulas se se produnt, cùm vi caloris dehiscunt, conferri affirmant; sed non probo, nam isti granatorum malorum hiatus, vt ait noster Sanctius, cum labiis potius purpura infectis, quàm cum genis componi deberent. Ergo, vt aliquid concinnius dici queat, præmittenda est naturalis structura & compositio mali granati, hoc enim cùm in fragmina secatur, alteram partem ostentat granis plenam, sed tenui quadam tunicella opertam, quam ideo natura illi dedit, vt grana in ordines digesta inter se cohærerent, nec aut nimia humiditate, aut confricatione se inuicem læderent. Et sanè in pleriſque malis punicis color granorum decenter rubescit, itavt nihil ad ruborem illum notandum, qui faciem pulchrium fœminarum tingit, magis accommodatum sit, adeò vt de ipso malo granato, cùm corticem fregit, & sanguineum colorem oculis offert, nouus quidam Poëta sic cecinerit.

Punica mala pudent effracto cortice, sanguis
Purpureúsque ostro tingit madentia grana.

Rursus in malo punico, granorum ordines vestit tenuis admodum ac gracilis tunica, quam *follem* vocant: hæc autem diaphana est ac pellucida, itavt ex albo & purpura temperatus granorum color per ipsam non obscurè conspiciatur. Quid verò genis rubescentibus, & flammeo nuptiali prę tenui coopertis magis adsimile excogitari potest. De quibus ita cecinit Lucanus,

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea dimissos velarunt flammea vultus.

De his ergo Salomon satis accommodatè dicit: *Genæ tuæ sicut fragmen mali punici*: quo nimirum grana sua rubore, vel potiùs pudore ipso infecta ostentat; *absque eo quod intrinsecus*

trinsecus latet. quia scilicet genæ non aliter sub tenui ac subtili flammeo nitent, quàm dicta grana sub gracili ac pellucente folle collucent, ex ea parte, qua pars dissecta grana ostentat, non ex alia, qua cortice munitur: hic enim follis cum malum punicum adoleuit, & decoquitur, candicat plurimum, & quasi aspersо purpurisso modicè rubet, itaque similitudo ista sponsæ genas non exiles & graciles, sed succi plenas, non pallentes, aut decolores, sed candido purpuráque ad temperiem infectas esse ostendit. hanc interpretationem commendat plurimum similis acceptio, & explicatio illorum verborum, *absque eo, quod intrinsecus latet*, quæ omnino congruit cum ea, quam suprà dedimus, *vers.* 1. de flammeo, seu velo nuptiali, vide ibi.

Vers. 4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

SONVS ALLEGORIÆ.

TVrris *Dauid*, quam ille in monte Sion substruxit mole ingenti & muro cinctam. *Regum* 2. *cap. Paralip.* 1. *cap.* 11. *Esdræ* 2. *cap.* 3.

Collum. Hebraicè צואר *zauar*, quidam totam corporis structuram & compagem, plures *collum*, his assentior, vnitur enim lautè partibus, non ex toto.

Cum propugnaculis. Hebr. תלפיות *thalpiioth.* Septuaginta vocabulum Hebraicum sic restituerunt, *quæ ædificata est in thalpiioth*, ex Hebræis plures cõuertunt, *quæ constructa est ad doctrinas*, vel *ad discendum*, vel quia cùm celsa esset eminus conspecta, viatores in vrbem adducebat, vt aiunt Rab. Salomon & Abenezrra, vel, quia ea erat totius structuræ pulchritudo, vt ad turres aliàs exædificandas artifices inde ducerent exemplaria, ita fert sententia Rabini Anonymi, vel quia in editissimo loco assurgens, velut specula cunctam circa Hierusalem plagam despiciebat, aut demum, quia ibi tyrones milites militaribus disciplinis informabant? vt hodie fieri solet in præsidiis. Alij, *extantes è turris muro lapides*, ad arma suspendenda interpretantur, quod ita olim fieri solitum, deinde ostendam. Nonnulli lapides ad oris similitudinem excisos, hoc est, artificiosè elaboratas facies ac figuras, quæ muris decorem afferebant. Theodot. & Symmach. *altitudines*, Aquila εἰς ἐπάλξεις, id est, *in propugnaculis*. Hunc noster sequutus est *de pinnis*, intelligens minis ac similibus, quæ turrim exornant atque muniunt. Et quidem vox Hebraica *thalpiioth*, ex duabus vocibus coalescit, quarum altera, *eminentias*, altera significat *ora*, atque adeò meritò noster hanc prætulit interpretationem. nam in propugnaculis ac mœnianis, pinnulæ assurgentes, הלים *Ielim*, id est, eminentiæ dicuntur; interstitia verò, seu interualla inter pinnam & pinnam. פיות *piioth*, id est, ora, ita vulgo dicimus *las boccas*. ex his autem conflatur *thalpiioth*.

Clypei. Ambros. *ostia*, ratio me fugit.

Pendent ex ea. Septuaginta *super eam*. Fauet textus Hebraicus, vbi est, על *hal*, id est, *super*. Certissimum nostri Delrij iudicium probo, qui non de armis in aliqua turris aula pendulis, sed magis de spoliis & exuuiis hostibus, quæ olim viri fortes de muris, aut turribus suspendebant, & anathemata vocabantur, capiendum locum existimat. Huc spectat illud *Ezech.* 27. de Tyro vrbe munitissima, *Persæ & Lydij & Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui: clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo*; & paucis interiectis. *Sed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* Solent milites qui vrbi asseruandę præfecti sunt, vt hostis eos in statione adesse credat, arma suspendere è regione. Ergo ab illis verbis, *sed & Pigmæi, qui erant*, &c. de his sermo est. Nam Septuaginta *custodes* legunt, quos Pigmæos propterea dictos quidam volunt, quia cùm essent in editissimis turribus his, qui ab imis locis suspiciebant, ad instar Pigmæorum *cubitali*, & non maiori statura viderentur. At verò verba illa, *Persæ & Lydij & Libyes galeam & clypeum suspenderunt in te pro ornatu tuo*, de anathematis capienda sunt, de armis nimirum, quæ muris in trophæum à victoribus appendi consueuerunt. Et quidem apud Hebræos duo inuenio loca, è quibus exuuiæ, clypei & armorum alia genera pendere solebant; hæc erant templi & Regiæ domus externi parietes. De templo extat illud Iosephi 15. anquitatum cap. 14. *Circum templum affixa erant spolia barbarica, quæ omnia Herodes denuo dedicauit, additis etiam recentibus Arabicis.* De Regia subest illud Philonis Iud. in lib. de legatione ad Caium. *Pilatus non tam in gratiam Tiberij,*

quàm

quàm in odium populi auratos clypeos dedicauit intra sanctam Vrbem, in Herodis regia nulla insignes imagine, nec habentes quidquam vetitum: tantum titulus continebat nomen dedicantis, & eius cui dedicabatur. Et licèt Iudæi deinde religione inducti clypeos istos auelli postulauerint, non id fecerunt, quia clypeos appendere in regia esset prohibitum, aut contra morem patriæ, sed quia dedicatio facta fuerat gentilicio ritu.

Ergo in illis verbis, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* sermo est de regia turri Dauidis. Per *clypeos* autem intelligo anathemata, non intus, sed extra pro muris appensa in trophæum; per fortium verò *armaturam* militum præsidiariorum arma, per pinnularum interualla exposita, quibus testabantur se in statione manere, vt suprà dixi.

Difficultas tota vertitur in assignanda huius turris cum collo Sulamitis similitudine: in primis autem arcem istam rotundam fuisse existimo, tum etiam ex his, quas Hebræi eburneas appellare consueuerunt, id est, candore suo ebur imitantes, vt scilicet colli rotundi, candidi & erecti speciem præ se ferret. Propugnacula ergo & pinnæ, quæ turris fastigium muniebant & ornabant, aliqui de potagiis intelligunt, Hispanè *las lechuguillas*, vel si quid aliud tunc in vsu erat illis adsimile ad collum exornandum, aut etiam de corollis, quibus redimi solebat collum nouæ nuptæ, de quibus Catullus lib. 1. Elegia 7.

Et capite & collo mollia serta gerant.

Sed si ita libet, vt hæc pinnarum similitudo ornamentis nuptialibus accommodetur, non erit absurdum explicare de capitis redimiculis quasi pinnatis: quo dicendi genere vsus est Nazianzenus Poëmate elegantissimo, cuius initium est, *Ne capita turrificate.* Lucanus *lib. 2. de bello ciuili*, de nuptiali corona sic addit.

Turritaque premens frontem matrona coronâ.

Quæ verò forma esset turriti, aut pinnati ornamenti, despicere licet in numismate, quod Caio Martio Consule Romæ anno ab Vrbe condita 595. percussum est, cuius formam exhibet Hubertus Goltzius *in fastis magistratuum*. Et quia caput collo insidet, & ipsum coronat, ideò capitis ornamentum, seu redimiculum collo quoque impositum dicitur, ait enim: *quæ ædificata est cum propugnaculis*, scilicet suprà turris fastigium assurgentibus. Ego verò aut non arbitror singula verba applicanda huius similitudinis (in quo aliqui plus æquo religiosi sunt) nemini enim notum non est in poëmatis ex quadam licentia similitudines persequi licere, & in his non ea tantùm, in quibus conuenit, sed quædam etiam aliena addere, vt stylus euagetur; cuius rei exempla sunt apud Virgil. Ouidium, & reliquos Poëtarum Principes; & præcepta apud Aristotelem *in poetica.*

Quòd si adhuc singulorum verborum applicationem optas, propugnacula, aut pinnulas, vt intra colla fines me cohibeam, cum vestis summæ circa collum ambitu compono, hoc enim veteri more in quædam segmenta definere solebant, quæ vulgo dicuntur *Auanillos del cuello*, & pinnas summarum turrium imitantur. & præterquam quod in vetustissimis simulacris non semel vidisse me memini. D. Isidorus *lib. 19. originum cap. 22.* segmentatas vestes describit in hunc modum: *Segmenta zonis quibusdam & quasi præcisamentis ornata.* & deinde *cap. 31.* Segmenta ista inter monilia & ornamenta colli enumerat. Cum Isidoro sentit Seruius & Sidonius Apollinaris: Iuuenalis autem *Satyra 2.* inter nuptialia recenset ornamenta, *Segmenta & longos habitus, & flammea sumit.* Huc spectat illud Nasonis *de Arte lib. 3.*

Quid de veste loquar non iam segmenta requiro, &c.

Valerius Maximus cap. 5. *Datum est*, inquit, *mulieribus vt segmenta aurea gestarent.* Itaque segmenta erant colli muliebris ornamenta, non multum dissimilia his, vt credo, quibus hodie vtuntur fœminæ ad summa vestium collaria decoranda, vulgo *abanillos*, quæ quàm sint murorum pinnulis similia, perspicuum est.

Mille clypei pendent ex ea. Hæc de anathematis suprà explicuimus, quæ à militibus dedicabantur, & velut quædam trophæa ad posteritatis gratiam suspendebantur ex arcibus, & donaria etiam dici consueuerunt. Accommodari autem possunt his donariis, quæ suprà *cap. 1. vers. 10.* ad ea verba, *Murenulas aureas faciemus tibi.* quas sponsi familares ad collum exornandum, Sulamiti promittunt se daturos, quasi non aliter ipsius collum illis monilibus domo acceptis honestatum splendesceret, quo turris Dauidica militum donariis, aut spoliis, vel aliter, cùm vestis tota è collo humerisq; dependeat, non esset abs re hanc clypeorum multitudinem ad vestes scutulatas referre,

ferre, quibus olim instrui sponsam, autor est Hieronymus, qui illa verba Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Sic conuertit ex fonte. *Omnis gloria filiæ Regis intrinsecus, fascijs aureis vestita est, in scutulatis ducetur ad Regem.* Erant autem scutulatæ vestes quædam vmbellis, aut scutulis quibusdam aureis distinctæ, quorum meminit Plinius *lib. 38. cap. 8.* & Iuuenalis *Satyra 2.* vbi de viro, qui induerat muliebria, sic ait:

Cærulea indutus scutulata & galbana rasa.

Et quidem decora est fœminæ *scutulatam* induentis cum turri clypeis & vmbonibus insignitæ comparatio, præsertim si colli nomine, vt quibusdam videtur, non ceruix tantùm, sed etiam tota corporis compago significatur.

Omnis armatura fortium. Hæc de militibus præsidiarijs armatè turris cacumine ostentantibus, suprà exposui, quæ vel ad torques ex collo pendentes cum Abenezra referri possunt, aut de Sulamitis robore, fide & constantia interpretari, cuius nimirum collum arce præsidiarijs militibus instructæ simile dicitur, quia omnes à se amatores longiùs arcet, & exterret, ne in collum eius audacter irruant, & ipsius pulchritudine perfruantur.

Vers. 5. Duo vbera tua, sicut duo gemelli capreæ, qui pascuntur in liliis.

Vers. 6. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

SONVS ALLEGORIÆ.

CIrca dispunctionem huius loci codices euariant, nam ex priscis codicibus plures post illa verba, *qui pascuntur in liliis*, punctum figebant, alij morabantur vsque ad illa, *& inclinentur vmbræ.* Romana correctio vtrobique colon tantùm appingit, quasi interpretibus copiam faciens, vt, si vellent, illa verba, *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, cum superioribus, aut cum sequentibus cõiungerent. Cùm igitur optio detur mihi, eligo illorum sententiam, qui superioribus adscribunt. Itaque sponsæ vbera gemellis capreę hinnulis comparatur, qui *in liliis*, id est, in vberi loco pascuntur. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* verba ista suprà *cap. 2. vers. 14.* fusè declaraui, & deinde aliquid subiiciam, quod ad huius loci expositionem faciat: quæ ibi dixi, ita denuò accommodans, vt à me ipso non discedam.

Luisius Legionensis, & alij plures, existimant sponsæ vbera iuxta sensum historicum hædinis capitibus comparata rotunditate, colore labrorum æquali magnitudine, quasi in illis imago quædam pupillarum eluceat. Iuxta hanc expositionem videbatur frustrà dictum illud, *qui pascuntur in liliis.* Quid enim hoc ad hinnulorum capita referatur? Quapropter Centumputeolanus noster satis acutè supplet id, quod in superiori expositione desiderabatur, hoc enim ad vestes transtulit nuptiales varias & versicolores, quas liliis, atque aliis floribus textilibus, aut acupunctis distinctas fuisse infrà dicemus *vers. 12.* Quasi non aliter sponsæ vbera duo per lilia atque flores, quibus extima vestis illustrabatur tumore ipso, sese proderent, quàm gemellorum capita, inter flores atque lilia extare solent. Adde etiam inter alia mundi muliebris ornamenta, lilia numerari. Iudith 10. *assumpsit dextrariola, lilia & inaures*, lilia verò fuisse colli ornamenta, supra pectus & vbera pendentia plerique affirmant. Denique fascia pectoralis, qua mamillas adstringebant nuptæ, florida erat, atque adeò vbera inter eiusmodi lilia, & flores apparentia gemellis inter lilia pascentibus haud dissimilia dici possunt.

Sed quia aliter de ista gemellorum & vberum similitudine sentio, supponendum est per hanc mammarum, aut vberum commendationem non obscure significari Sulamitem ad nuptias maturam esse; quia nimirum, eius vbera satis rumoris iam conceperant, iuxta illud Ezech. 16. *vbera tua intumuerunt*, &c. Hæc ergo Sulamitis vbera, gemellis vno partu editis hinnulis comparantur, ad æqualitatem notandam; tumorem verò illum ad nuptias ineundas requisitum, longè meliùs significant gemellorum ventriculi pleni, qua eorumdem capita, gemellorum, inquam, qui cum primo manè cum matre simul ad pabula è caulis emissi sint, lacte impensiùs hausto, aliquali etiam pastu, (iam enim ad herbas molliores carpendas habiles finguntur,) ad vesperum saturi caulas repetunt, iuxta illud Maronis,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Ite domum saturæ,venit hesperus,ite capellæ.

Tumet quippe tunc, & quasi turget gemellis ventriculus à nimio pastu,tumore quodam , ad papillarum tumorem notandum satis accommodatè. Huic autem interpretationi omnia & singula inseruiunt verba.

Sed quamuis hæc non omnino displiceant,tamen,si animi sensa licet in palam dare, potiùs dicerem comparationem iniri inter sponsæ vbera & capræ gemellos enixæ mamillas. Perinde enim est, *vbera tua sicut duo gemelli capreæ* , ac si dicat : vbera tua sicut caprea duorum gemellorum ; nam eiusmodi commutatio verborum , satis frequens est in Scriptura. Iacob.4. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*id est,vicissitudo obumbratis , & alia passim. Rursus cùm audis, *sicut capra duorum gemellorum*,comparatio sic accipienda est,quemadmodum aliæ suprà.Itavt collatio fiat inter vbera & vbera ; quemadmodum cùm dicit Salomon : *comæ tuæ sicut greges caprarum.* Rursus cùm ait,*dentes tui sicut greges tonsarum* , collationem inter pilos ac pilos,inter dentes, ac dentes , initam fuisse suprà diximus.Huic autem expositioni reliqua verba non minus inseruiunt , quàm præcedenti. Itaque sensus est , vbera tua sic turgent iam ac tument , quemadmodum duo capreæ vbera quæ gemellos alit,atque adeò lacte distenta sunt.*capreæ*,inquam, quæ pascitur in liliis , id est, in loco vberiori,*donec aspiret dies,& inclinentur vmbræ* , à manè vsque ad vesperam , cùm scilicet satura , ac plena è pastu ad caulas sub noctem redit , tunc enim vbera illius ex nimio lacte multum tumere solent.

Sanctius noster longa oratione persequitur,& eruditè admodum probat,apud Hebræos more comparatum fuisse , vt fœminæ mamillas apertas & inuestes gestarent, quod aliis etiam nationibus vsu venit : vsus autem lasciuiam & omnem turpitudinis notam excludit;id verò confirmat ex consuetudine oscula libandi Septentrionalibus familiari , & ex more salutandi generosas fœminas genis contrectatis , inter Græcos solemni ,aliisque huiusmodi,quas vsus iam emolliuit. ideò nec indecoræ, nec de libidine suspectæ vulgo censentur. Frustrà hîc repetam testimonia , quæ Doctor iste accuratissimè collecta ibi dedit ; tamen nec assentiri , nec dissentiri volens , ea tantùm dicam,quæ ad nostram interpretandi rationem faciunt.

Primò sponsæ vbera ab eo tumore , seu turgentia naturali & honesta , quæ fœminas nubiles facit, sic commendari affirmo , non tamen curo,an apertæ & inuestes, an omnino tectæ & vestitæ sint.nam laus hæc ex hoc,vel illo cultu & habitu non dependet ; quippe quæ de mammis sub veste latentibus non minus aptè,quàm de apertis & exertis enunciari potest , quia tumor ille , qui eas commendat ad nuptias , per vestes etiam decore ostenditur ac proditur,quod in antiquis simulacris videre licet. quæ etiã sub vestibus prædictam vberum turgentiam venustè admodum ac decenter designant ; sicut etiam de ventris tumore dicemus infrà, ad illa verba:*vmbilicus tuus crater tornatilis*,&c. Atque adeò isthæc magis honesta & decens habitudo cultus fœminei, nihil prædictæ comparationis energiæ detrahit.

Secundò etiam dico , coniecturam , aut suspicionem suprà adscriptam,sine iniuria pudoris recipi posse, atque inde aliquid valde luculentum ad nostram interpretationem deriuari. Ergo memoria repetenda sunt ea, quæ dixi in Isagoge *cap.6.§.5.*de velatione & reuelatione sponsæ, vbi fusè probaui , flammeum , seu pallium,illud subtilius , quo vtebantur nouæ nuptæ , non fuisse longum , aut prolixum, sed breuius , ita vt illius regio infra papellas non descenderet. vide ibi non pauca de hac sententia, quæ in hunc locum transferri debent. Sed quid inde? Certè sponsus , quem ideò laudes suæ Sulamitis nunc vsurpasse , & fœminis Hierosolymitanis dictasse nuper dicebam , quia cum flammeo operta in pompico illo ad vrbem ingressu , & ad templum accessu incederet , pulchritudo & forma illius à præfatis fœmineis eminus nec videri , nec laudari poterat , ipse quidem eandem formam per veli , seu flammei tenuitatem cominus inspiciens è re nata,& valde accommodatè ea commendare & amplificare apud Sionitidas puellas cœpit, quæ illis prædicti veli interpositio occultabat.Sed quia , vt nuper dixi, flammeum vltra mamillas non descendebat , atque adeò ea tantùm tegebat membra , quæ super illas sunt : ideo laus & descriptio sponsæ ab sponso suscepta , vltra mamillas non procedit ; laudat enim oculos , capillos , dentes , genas , collum & vbera , quæ ex vsu patrio nuda fortasse & exerta erant , & quæ tunc pallium , seu flammeum prætenue tegebat ; reliqua verò oculis & aspectibus Sionitidum obseruanda & iudicanda relinquit.

Itaque

Itaque *paſci in liljs*, perinde eſt, ac paſci in loco vberi, vt *cap. 2. verſ. 17.* fusè probaui, vbi etiam expendi illa verba: *donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, quæ aut de veſpertinis horis capienda eſſe dixi, vel diſtributiuè facta inter veſpertinas & matutinas; vtrumque verò in locum iſtum aptè cadit, vel enim ſenſus erit, duos hinnulos ad veſperum vſque in paſcuis fuiſſe, *donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, aut partitione quadam à manè primo, donec aſpiret dies ad veſperum vſque, & inclinentur vmbræ, paſcua minimè intermiſiſſe affirmabit, vt proinde ſaturi & pleni papillarum ad nuptias idoneum tumorem aptè notare poſſent.

Ad montem myrrhæ, Hebraicè מור *Mor.* Rab. Salomon, ad Moriam montem refert vocem iſtam, in quo templum ædificatum eſt, quia voces valde concinunt inter ſe.

Et ad collem thuris. Lectionem iſtam quidam inſectantur, & legendum exiſtimant, *ad collem Libani*, quia licèt Græcum nomen λιβανος *thus* ſignificat, tamen Hebraicum לבנון *Libanon*, ſolum montem notat; ſed tamen præclarè lectionem noſtram à calumnia vendicat Delrius in hoc loco, oſtendens vocem Hebraicam, non montem ſolùm, ſed thus etiam ſignificare, & tam Hebraicè, quàm Græcè *thus*, atque *montem*, eſſe homonyma. ergo ſicut per montem Mor, vel Myrrhæ, Moriæ mons, ita etiam per montem thuris, aut Libani, ipſe mons capiendus venit; quia templum in illo monte conſtructum fuerat, in quo thus & alia aromata aſſiduè adolebantur. Vt autem his nominibus templum appellaret, effecit natura ſtyli bucolici.

Lis eſt non parua, cuius iſta verba ſint, decernere, ſponſi ne, an ſponſæ? plures ſponſæ tribuunt, his aſſentior, ſuadéntque verba illa, quæ paulo pòſt ſubnectit ſponſus: *Veni de Libano ſponſa mea, veni, coronaberis*, &c. quæ non de Libano, ſed de templo eſſe accipienda, ibidem probabo; cùm enim ſponſa euocetur ex Libano, vt Libanum adierit, neceſſum eſt. ipſa ergo dicit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, id eſt, in templum Dei contendam, ſed quorſum? Iam ſubiicio.

Succedat memoriæ id quod ſuprà dixi, altero videlicet nuptiarum die, ex his, quibus nuptias celebrari ſolitas, vbi oſtendi ex more patrio, Hebræos ſponſos ad venditandam nuptiarum gloriam progredi in vrbem, non de nocte, (id enim tempus ad tranſlationem ſponſæ diligebatur,) ſed de die, ad oſtentationem. Nunc addo totam iſtam pompam in templum moliri, vt nimirum Deo Opt Max. gratias penderent, ſacrificia nuptialia litarent, & Sacerdotum benedictionem acciperent. Vnde verò, inquies, id conſtare poteſt? Conſtat quidem, tum, quia res ita poſtulabat, & gentes, quæ plures alios nuptiarum ritus ab Hebræis hauſerant, hunc non de ſuo, vt credo, ſed ab illis expreſſum, religiosè admodum obſeruabant. Nam Seneca *in Octauia.* pulchra verba de his ſacrificiis attexit,

Vidit attonitus tuam
Formam, Senatus thura cùm Superis dares,
Sacráſque grato ſpargeres aras mero,
Velata ſummum flammeo tenui caput.

Huc ſpectat etiam illud Valerij Balbi,

Inde vbi ſacrificas cum coniuge, venit ad aras
Auſonides, vnáque adeunt, vnáque precari
Incipiunt.

Lege plura apud Alexandrum in genialibus *lib. 5. cap. 6.* & licèt Seruius affirmet, non niſi peractis ſacrificiis domum traduci ſolitam, vxorem tamen poſt initas nuptias, & tranſlatam ſponſam ſacrificia nuptialia libari ſolita. Huius rei non leue veſtigium eſt in Pſalm. 44. vbi ſponſa non tantùm *adducenda Regi*, ſed *in templum* etiam adducenda dicitur; nam ex fonte Hebraico expreſſa verba ſic ſe habent: *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Hæc vna eſt adductio. Deinde alteram ſubdit; *adducetur in lætitia & exultatione, adducetur in templum Regis.* De hoc ſacrificio nuptiali interpretari poſſunt illa verba *Tobiæ* 8. vbi Raguel videns duos, Tobiam ſcilicet, & Saram incolumes, ſic addidit: *Fac nos Domine pleniùs benedicere te, & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ, Sanctis offerre.* Vide quæ ſuprà diximus *cap. 3. verſ. 6.* vbi non perfunctoriè probauimus libationem iſtam nuptialem, non mactatione victimarum, ſed thymiamatum, atque in cenſorum adolitione perfici ſolitam: vbi ad hunc ſenſum euocauimus verba Ezech. 23. *Menſa ornata eſt ante te, & thymiama meum, & vnguentum meum poſuiſti ſuper eam*, &c. Accinit illud Senecæ ſuprà citatum,

—— *Thura cùm Superis dares*

Velata summum flammeo tenui caput.

Ergo dum sponsa ait: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, in templum se ituram significat, & sacrificia nuptialia de more ibidem litaturam, non pecudes mactando, sed thura & alia aromata adolendo; eius enim generis erant nuptialia libamina, laudis nimirum sacrificia, vt præmissa Tobiæ verba significant.

Aliqui sunt, qui hæc verba sponso dedunt, quia nimirum, cùm antecedentia & consequentia ab sponso dicta sint, idem videtur sentiendum de hoc hemistichio, à quibus non omnino dissentio, dummodo præmissa verba sic edisserantur, vt per montem myrrhæ ac collem thuris, templum intelligamus, atque sponsus sic dictum templum à se adeundum affirmet, vt non solus, sed vnà cum sponsa sacrificia nuptialia persoluturus accedat. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; quasi dicat: hæc pompa nuptialis in templum certè, me iubente, contendit. Hæc, inquam, pompa, in qua ego & sponsa, glorioſi & ouantes procedimus. Absit enim vt cum illis sentiam, qui affirmant sponsum his verbis suum ab vrbe ad syluas discessum meditari, hoc enim à reliquo contextu abhorret plurimum.

Alij rursus existimant, illa verba, *donec aspiret dies*, &c. nequaquam cum antecedentibus conserenda, sed cum sequentibus copulanda, ad hunc modum: *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Non displicet; quia hæc contexendi ratio ad distribuenda matutina & vespertina Epithalamia conducit plurimum, idcirco bis repetuntur in hoc Cantico, ad terminanda duo Epithalamia matutina, semel *cap. 2. vers. 7.* & iterum *hîc*, & vtrobique planè significant cantum puellarum differri in vesperum, cùm scilicet sole deciduo, & die iam iam abeunte, auræ molliores & vmbræ maiores in noctis tenebras celeri cursu discedunt; nam ab eo tempore inchoari solebant vespertini nuptiarum ritus, qui in odis atque Epithalamiis ad vesperum dicendis materiam, ac segetem offerebant. vide quæ ibi de censura horum verborum non perfunctoriè à nobis dicta sunt. quæ in hunc locum transferri, & illi accommodari omnino possunt.

Ex dictis autem dubium emergit non magni momenti, an scilicet sequentia verba ad superius Epithalamium matutinum pertineant, an referenda sint ad vespertinum, quod statim sequitur, & sanè libentiùs superiori adnecto, quia existimo prædicta verba ad instar cuiusdam epiphonematis obtinere, quo clauditur præcedens narratio, subiicio textum.

Vers. 7. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.

SONVS ALLEGORIÆ.

TOta pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hebr. *Omnis tu pulchra es, & macula non est in te.* Hebr. מום *vemom*, id est, *non est reprobatio in te.* Septuaginta καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί. *& reprehensio non est in te*, eodem sensu.

Cùm initam ab sponso laudem & descriptionem membrorum illis verbis, *Vadam ad montem myrrhæ*, &c. sponsa abrupisset, atque adeò ad reliquas corporis partes collaudandas transire non liceret, ne manca videretur oratio, eam præclaro quodam epiphonemate sic absoluit: *tota pulchra es*, &c. à partibus venit ad totum, nonnumquam enim accidit in forma corporis, vt ad singulas eius partes quis intuens nullam aspernit tanquam vitiosam, & tamen integra forma venustatis parum habeat, non ita sponsa, sed *tota pulchra es, & immaculata.*

Et macula non est in te. Hanc laudem ad totam Ecclesiam conuertit Paul. ad Ephesios 5. cuius verba pro commentario sunt huius loci, *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, vel aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* quibus verbis, me iudice, omnes significationes illius vocis *Mom.* complexus est, quæ significat *maculam*, &, si placet, etiam *rugam*; fluit enim à themate מאם *Maam*, id est, *fastidiuit, spreuit*, aut *reprobauit*; itaque fastidium, contemptum, vel reprobationem significat, ac proinde Paulus locum istum, vbi de pulchritudine sponsæ sermo est, ad viuum resecare, & omnem vim vocis *Mom*, exhaurire volens, omnia complexus est, quæ de venustate detrahere possunt. *Non habentem*, inquit, *maculam, aut rugam, vel aliquid eiusmodi*, maculam excludens, hoc est, nævos, petigines & liuores, quæ formam inficiunt

ciunt & denigrant: & *rugam*, quæ ſeniorum fœminarum vultus arare, & facies deturpare ſolent, *vel aliquid eiuſmodi.* quibus verbis excluſit omnia alia, quæ de pulchritudine quomodolibet derogare poſſunt. Quia nimirum, vt totam *pulchram* dicere fas eſſet, neceſſum certè fuit, vt nihil in ea reperiri poſſet turpe, quod ad faſtidium ſponſum adduceret, vel contemptum & deſpectionem immitteret.

Septuaginta Interpretes ſic extulerunt, *& μῶμος non eſt in te*, concinit, aut vox Græca *Momos*, cum voce Hebraica Mom. Momos autem reprehenſionem ſignificat; *tota* nimirum *pulchra es*, & nihil omnino in te reperire licet, quod curioſiſſimus & attentiſſimus obſeruator reprehendere queat. & ſanè μῶμος, id eſt, *Momos*, apud veteres, inter deos, aut ſemideos numerari ſolebat, ad id inuentus & confictus, vt hominum & deorum vitia carperet. Eius meminit D. Gregorius Nazianzenus *in poëmate de virginitate*, vbi puellam commonens, ne aliquid reprehenſione dignum committat, ſic demum addit,

——*Ipſis conuiuere nulla*
Inuidia eſt, oculos nec ob id tibi Momus acerbos
Iniʒciet, ſoleas ſtridorem emittere dicens.

Quaſi dicat, ſi domi manſeris, ne foras pedem extuleris, aberit à te liuor omnis, nec præſtò aderit *Momus*, qui te incuſet ac reprehendat. Adludit autem Nazianzenus ad veterem fabellam. Ferunt enim, Momum tanta libertate vſum in deorum vitiis obiurgandis, vt in Veneris ſoleas & crepidas aliquando inuectus fuerit. Sed illud magis ad rem noſtram, quod ait Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromat. *Quidquid eſt pulchrum*, ſequitur Momus. Sed quid inde? Verba Salomonis ex licentia quadam interpretandi ſic accipe: *& Momus non erit in te.* quaſi dicat. Abſolutiſſima & perfectiſſima pulchritudo tua, tantumdem valet, vt Momus ipſe, qui omnia pulchra & decora perſequi & incuſare ſolet, nihil in te vitij nec reprehendat rigidus, nec deprehendat curioſus.

Itaque verba iſta: *Pulchra es amica mea*, præclarè affirmant, omnia ornamenta illi ineſſe, quæ ad pulchritudinem omnimodam componendam accedunt. illa verò, *& macula non eſt in te*, luculenter etiam negant omnia vitia, quæ omnimodæ pulchritudini officere poſſent; adeò, vt nihil in ea non ſit, quod ſponſus non approbet, & laudi ducat, nihil etiam ſit quod aſpernetur, aut vitio vertat.

EPITHALAMIVM QVINTVM
VESPERTINVM, TERTIA DIE
nuptiali ad veſperam decantatum.

HOc Epithalamium continet ceremonias nuptiales, quæ tertia die nuptiarum ad veſperam ſolenni Hebræorum ritu peragi ſolebant: id verò vt meliùs teneas, aliqua præfari opus eſt. In primis id ſtatuo, antiquos Reges plures vxores ducere ſolitos; ſed tamen non omnibus par poteſtas, aut æqualis maieſtas: ſemper enim ex omnibus vna præferebatur, quæ honore, ac gloria reliquis anteibat. Hæc ſola regni ſocia, poteſtatis & maieſtatis conſors erat, ſola etiam diademate Regio donabatur à Rege. Nil certius. Comprobat hoc locus Pſalm. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis*, &c. nam vbi dixit, *filias Regum in honore tuo*, quibus verbis in ſenſu hiſtorico ſignificat illum Regem (qui Chriſti Domini vmbram gerit,) plures generoſas fœminas è Regum proſapia legitimo connubio ſibi copulaſſe. (Neque enim intelligo hæc verba de pediſſequis adoleſcentulis, de his enim ſtatim attexit, *Adducuntur Regi virgines poſt eam.*) Cæterùm ex his omnibus vna loco & dignitate cæteris antelatam. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Lege noſtrum Lorinum *in eum locum*, vbi

multis argumentis conficit, hanc Reginam esse præcipuam & primariam vxorem, quæ solenni ritu & pompa sola ducebatur à Rege, nam reliquas vxores, aut concubinas, sine aliqua celebritate, aut apparatu sola electione & consensu sibi copulabat; sed quonam modo Regina ista Regi astitisse perhibetur? *in vestitu deaurato.* D. Hieronymus conuertit, *in diademate aureo.* quia nimirum soli primariæ ac principi vxori, corona Regia concedebatur à Rege.

Morem istum confirmat historia Vasthi Reginæ, de qua *Esther* 2. eiusmodi sermo est. *Nam cùm septem dies splendidissimi illius conuiuij, quod suis Principibus exhibuit, iam expleti essent, septem Eunuchis, qui in monasterio Regiarum fœminarum versabantur, seriò præcepit, vt Reginam Vasthi, princeps illius vxor erat, ad se adducerent.* sic verò textus habet: *Vt inducerent Reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet populis & Principibus pulchritudinem eius, erat enim pulchra valde;* ideo verò diademate insignitum caput afferre iussa fuit, vt notauit ibi Serarius, vt constaret eam primariæ vxoris locum & dignitatem tenere. Ad hæc Regina Esther, expulsa Vasthi, in locum illius subrogata fuit, iuxta illud: *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Medorum atque Persarum, quam præteriri illicitum est, vt nequaquam vltrà Vasthi ingrediatur ad Regem, sed regnum illius, altera quæ melior est, illa accipiat.* & infrà *cap.* 2. sic habes: *& adamauit eam* (scilicet Esther) *plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram illo, super omnes mulieres, posuitque diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi.* Itaque assumptio Esther in regnum, & subrogatio illius pro Vasthi per impositionem diadematis regij perfecta est. Addo etiam verba Ezechielis *cap.* 16. vbi Deus sponsi nomen sibi arrogans, & Hierusalem tanquam dilectam & principem sponsam affatus, sic ait: *Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum.* Sed de hoc argumento infrà *cap.* 6. *vers.* 7. non pauca dicemus.

Deinde etiam ponendum est, coronationem Reginæ & vxoris primariæ ab ipso Rege & marito fieri solitam, ita suadent illa verba Esther 2. *posuitque diadema regni in capite eius.* & locus Ezechielis: *Et dedi coronam decoris in capite tuo.* Vide multa de hoc themate quæ scribit Carolus Paschalius *de coronis, lib.* 10. *cap.* 8. quod sic inscripsit: *Reginæ & Imperatrices à proprijs viris coronari solitæ.* vbi plura in hanc sententiam coniecit.

His suppositis de materia huius Epithalamij quinti ad vesperum tertiæ diei nuptialis dicti, sic decerno. Primò coronationem sponsæ, & assumptionem illius in regnum continet, coronationem, inquam, ab sponso Rege factam, per quam Regina & princeps sponsa renunciata est. Deinde sponsus rationes subscribit, quibus inductus, illam cæteris vxoribus antepositit, ac regni consortem nuncupauit. Hæc sunt virgineus cultus, cùm primùm ipsam virginum ritu velatam vidit. Vberum quoque habilis ad nuptias tumor pubertatis annos demonstrans, sales & dulcedines verborum, vestes aromatibus conditæ, odorem suauissimum spirantes, integra & illibata virginitas, ac reliqua ornamenta nuptialia, quibus horti, seu paradisi ad instar florebat, vernabat. Quæ omnia tantum in ipso amorem excitarunt, vt illi inter cæteras coæuas vxores libens, ac lubens primas dederit. Deinde verò describitur reditus sponsorum ab vrbe in syluas, & in domum hortensem, sodalibus & amicis pompam stipantibus. Conuiuium, aut cœna nuptialis splendida illis inibi

exhibita,

exhibita, ſomnus ſponſæ poſt epulas, diſceſſus ſponſi in agros ad vigilias noctis ſuper greges de more agendas. Nam fines eiuſmodi odarum veſpertinarum, ſemper ſimiles ſunt, vt aliàs non ſemel admonui.

Verſ. 8. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

AB his ſumit auſpicium quintum Epithalamium veſpertinum, ſomnos adducens, quod peruenit vſque ad illa verba cap. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Veni de Libano. Hebr. *mecum à Libano*, eodem ſenſu. Quid verò Libani nomine capiendum ſit, non omnino compertum eſt. Illud obuium nimis apud interpretes, eo nomine montem, qui Phœniciam Iudæamque ſeparat, cenſeri, aliquando templum, nonumquam ipſam Hieroſolymam, vt *cap.* 11. *Zachar.* luculenter obſeruauit noſter Franciſcus de Ribera: dicebatur etiam Libanus mons alter vicinus Solymitanæ vrbi, vbi erat domus regia, quæ appellabatur, *domus ſaltus Libani.*

Veni, coronaberis. Alij, *deſpicies.* Septuaginta, *tranſibis. De capite Amana.* Septuaginta, *à principio fidei*, vocis ſignificationem, non ipſam vocem retinentes; *Amana* enim fidem ſonat. Chaldæus *Abana*, ad fluuium huius nominis refert. Et quidem Amana alij confundunt cum monte *Amano*, qui Syriam Ciliciamque diſpertit, ſed nullam aliam ſuſpicionis rationem afferunt, niſi vocum aſſonantiam, quæ leuior eſt. Montem aliquem intelligo, vel collem aliis duobus adiacentem, de quibus ſtatim dicam.

De vertice Sanir & Hermon. Sanir atque Hermon, non duos, ſed vnum eſſe montem, patet ex *Deuteronomij* 3. *cap.* vbi ſic habetur. *Tulimus terram de manu Regum Amorrhæorum à torrente Arnon, vſque ad montem Hermon, quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir.* Quapropter ſicubi pro duobus montibus ponuntur, vti hoc loco, & *Paralip.* 5. putandum vnum & eundem montem per continuationem eſſe; ita tamen, vt altera eius pars Sanir, altera appelletur Hermon. Nonnumquam verò hęc nomina promiſcuè vſurpantur; ſic fert Abulenſis ſententia *in cap.* 5. *Paralip.* Hieronym. de Prado *in cap.* 27. *Ezechielis.* Martini del Rio hîc, & aliorum; ſicut etiam *Taurus* & *Caucaſus* eundem montem, ſed diuerſis locis denominant. Hermon autem interpretatur *anathema*, aut *ſeparatio*, ob eam fortaſſe cauſam, quia cùm eſſet Libano vicinus, alicuius vallis interſtitio ſeparabatur. Erat etiam Hermon, mons niuoſus, ſicut Libanus, vt auctor eſt D. Hieronym. qui planè aſſerit æſtate vrente ab Hermon, niues Tyrum comportari ſolitas in delitias potantium. Quid verò interſit diſcriminis inter Hermon & Baalhermon, latè Abulenſis præmiſſo in loco, cui libens ſubſcribo.

His prælibatis, venio ad ſententiam. Quidam Origenis & Theodoreti veſtigia prementes ſponſam alienigenam eſſe rati, ab aliena religione & populo ad nuptias regias aſcitam, peregrinam & ruſticam è patrio ſolo ad vrbem Regiam iam nunc euocari exiſtimant, à ſponſo, vt ibi corona donetur, ineatque connubia. Veni, inquit, ex Libano, ex Amana, ex Sanir atque Hermon, quibus in montibus, hactenus vitam ruſticam egiſti, (qui etiam montes extra ſortem erant filiorum Iſraël, & ad Phœnices omnino ſpectabant.) *Veni*, inquam, vt coroneris. Itaque hi auctores Sulamitem è quatuor præmiſſis montium iugis euocatam, non coronatam volunt, fauet his lectio Septuaginta, quæ ſic ſe habet: *Veni à Libano ſponſa, veni à Libano, veni, & tranſibis à principio fidei, à capite Sanir, & Hermon, à latibulis leonum & montibus pardorum.*

Verumtamen hæc expoſitio, mea quidem ſententia, non paruam vim affert vulgatæ lectioni, in qua planè Sulamitem euocatam ex Libano; è iugis verò Amana, Sanir, atque Hermon coronandam, verba ipſa ſonant. Ita Latini ferè omnes. Philo, Iuſtus, Aponius, Rupertus Legionenſis, Martinus & reliqua turba interpretum. Et quidem, hæc expoſitio, vt alia omittam, ſuadetur in primis, ex eo, quia euocatio illa ex patrio & auito ſolo nuptiarum prima auſpicia continet; tamen ex dictis liquet, nuptias iam inde celebratas, nuptiale conuiuium, toros geniales & publicam pompam exhibitam fuiſſe. Poſt hæc verò & tam remotis montibus euocari quî, aut quorſum potuit?

Ergo tametsi horum verborum cum superioribus difficilis sit nexus, meum, de re difficili, iudicium feram, duasque interpretationes subscribam. Altera sic habet: Libani nomine, templum intelligo, in quod pompam illam ad nuptiarum venditationem deductam fuisse, superiori Epithalamio pronunciaui, *vers.*7 Libanum enim pro templo, non rarò in Scripturis vsurpari vna omnium interpretum obseruatio est. ad illa verba Prophetæ, *Aperi Libane portas tuas*, &c. Deinde notandum est, amatores quædam per insaniam & dementiam proferre solitos, vt amicas sibi deuinciant, & sui erga illas amoris vim maximam testentur; dum nihil sibi horrori esse dicunt, non flumina, non maria, non enses, non acies, nihil denique quantumuis formidandum, vt illarum inseruiãt voluptati. Possem adducere id genus exempla plusscula, subiiciam duo tantùm, alterum ex Plauto *in Mercatore*, vbi Charinus adolescens:

Neque mihi vllus obstitit amnis, neque mons, neque adeò mare. Nec calorem, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem, imbrem perpetiar, laborem sufferam, famem, sitim. Non concedam, neque quiescam vsquam noctu, neque interdiu, priusquam aut amittam, aut mortem inuestigauero.

Alterum ex Nasone *lib.*2. *Amor. eleg.*16.

Cum domina Libycas ausim prærumpere Syrtes,
Et dare non æquis vela ferenda notis,
Nec quæ virgineo portenta sub inguina latrant.
Nec timeam vestros curua Malæa sinus,
Nec quas submersis ratibus saturata Charybdis
Fundit, & effusas ore receptat aquas.

Ergo præfatis verbis talis subest sententia; Veni de Libano, vel, vt est in originibus, *Mecum de Libano, sponsa mea*, id est, è templo, vbi iam nuptialia libasti sacrificia, pedem efferens mecum perge, si enim meo adhæseris lateri, niuosa, Hermonis Sanir, & Amana superabo iuga, pardorum, atque leonum spelæa & lustra, temerarius irrumpam, vt flores inde legam, & temporibus tuis pulchra serta pangam. Vel paulo aliter: *Mecum à Libano*, &c. Perge, inquam, mecum, sic enim, cùm opus erit, prærupta montium cacumina superabis, per medios pardos atque leones ibis tuta. Ad hanc verò sententiam allicienda est translatio Septuaginta; *Veni à Libano sponsa, veni à Libano, venies, transibisque à principio fidei, à capite Sanir & Hermon, à cubilibus leonum, & montibus pardorum; transibis*, inquam, id est, securè penetrabis. Pro *Amana* Septuaginta, reddunt *principium fidei*, nominis significatum exprimentes. Ne tamen existimes propterea aliquid aliud notari, nisi montem, qui ideò fortasse, Amana, id est, fidei principium nuncupabatur, quia populum fidelem ab infideli dirimebat, Iudaicum videlicet à Gentili: ita enim arbitror Amana, Sanir & Hermon, tria fuisse veluti iuga in eodem monte deinceps collocata, quæ Iudæam Phœniceámque distraherent, ac separarent. Et quidem loco nominis proprij eius significatum addere familiare est septuaginta sapientibus, & interpreti nostro non omnino insolens. Vide *lib.*1. *Paralip.cap.*4. vbi plura suppetunt huius rei exempla. Non aliud iudicium ferendum de illa alia lectione; *Veni de Libano, veni, despicies de capite Amana*, &c. id est, licebit tibi absque vllo discrimine ab illis montium verticibus in subiectas, vel subtractas syluas, despectare, etiam inter specus antraque leonum, atque inde flores legere ad coronas & serta concinnanda.

Sed quamuis hæc inepta non sint, verus tamen & germanus huius loci sensus ex dictis in præfatione huius Epithalamij petendus est. Nam, vt aliàs non semel monui in hoc Cantico, quamuis stylo bucolico ac rustico, describuntur tamen nuptiæ regiæ, & puella inducitur humilis & syluana ad Regis connubium, & ad regni consortium ascita, itavt Reginæ, ac primariæ vxoris locum ac nomen ferat; ac proinde corona, seu diademate Regio ipsam donari oportebat. Ergo pro illa voce *coronaberis*, Hebraicè est, תשורי *thusuri*, cum puncto in siniſtro cornu, quæ vox ex suo germano significato, nihil aliud sibi vult, quàm *dominaberis*, princeps eris, aut regnabis; propterea noster interpres reddidit, *coronaberis*. Ad hæc nemo nescit Salomonem Pacificum Regem typum fuisse veri Regis Christi, & in illius regno Christi, etiam regnum adumbratum. Denique certum est, Salomonis regnum, quem duodecim tribubus imperasse compertum est, ab illis tribus montibus sumpsisse exordium; scilicet Amana, Sanir & Hermon, quorum interstitio Iudæa & Phœnicia dirimebatur; sic igitur sponsus ad sponsam, Salomon scilicet ad Sulamitem: *Mecum à Libano*, à templo videlicet,

delicet in quo libamenta nuptialia peregisti. *Mecum*, inquam, *veni*, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon*, &c. id est, regni consors effecta corona donaberis, regnabisque ab Amana, Sanir & Hermon, & deinceps. Id est, regnum tuum ab illis montibus tam diffitis exordium capiet, qui pardis abundant, & leonibus. Et quidem initium regni, non fines commemorat, quia regnum veri Salomonis Christi, quod hîc describitur, non Iudææ finibus circunscribendum, sed latissimè in omnes mundi regiones & plagas propagandum erat.

Quæres fortasse, quem in locum sponsa euocata fuerit *à Libano*, id est à templo, vt ibi coronam regni acciperet? Non exprimit Salomon, sed verisimile est, ad turrim Dauid, siue Palatium Regium, quod erat in monte Sion, iuxta templum; quia nullus accommodatur locus ad coronationem Reginæ, quàm ipsa regia. Neque longè absum, vt existimem, illa verba, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collum thuris*, sic esse distribuenda, vt *mons myrrhæ*, Palatium Regium, *collis* verò *thuris*, templum significet. Hanc verò præmissam coronationem in Palatio Regio fieri solitam, comprobat translatio Hieronymi *ad Psalm.* 44. vbi post illa verba, *Astitit Regina à dextris tuis in diademate aureo.* sic enim extulit idem Hieronymus, paucis intercalatis, sic attexit: *Adducentur Regi virgines post eam, adducetur in lætitia & exultatione, adducetur in Palatium Regis.* sic enim habet sanctissimi Doctoris translatio, quem locum coronationis Reginæ destinare videtur. Adde etiam locum *Esther* 2. nuper citatum, ex quo idem aucupari fas est.

Vers. 9. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

SONVS ALLEGORIÆ.

V*Vlnerasti.* Hebr. לבבתיני *libbathini.* Septuaginta interpretes ἐκαρδίωσας, id est, *excordasti*, vel cor mihi eripuisti. D. Ambrosius, *corde nos cepisti.* Symmachus, *excitasti cor.* Nyssenus, *cor mihi indidisti.* Contrario sensu quinta editio: *Audere me fecisti*, mira lectionum dissimilitudo, tamen non dissimilis sententia, Hebraicum *libbathini*, à corde fluit, & quemlibet cordis motum, aut sensum ingentem notat, quo fertur in rem amotam.

In vno oculorum. Hebr. באחת *beachath*, id est, *in vna oculorum*, vel *in prima* fœminei generis, & quidem aliquando *vnus* pro *primo* accipi solet. Genes. 3. *factum est vespere & manè dies vnus*, id est, dies primus.

Et in vno crine. Hebr. pro *crine*, ענק *anak.* Plures, *in vno torque.* Symmachus, *in monili.* Aquila, *in serto*, Septuaginta, ἐν μιᾷ ἐνθέματι, *in vno inserto*; sed præferenda est lectio vulgata.

Communis interpretatio sensus historici, per vnum oculum, & vnum crinem id intelligit quod sonat, scilicet alterum ex duobus oculis & vnicum capitis capillum, ac proinde singularem sponsi amorem significari autumant, qui ex his, quæ leuissima & tenuissima erant in sponsa, tam magna & tàm grauia amoris vulnera acciperent: omnes verò ista verba ad amoris primordia referunt, qui tunc cùm primùm nascitur, naturam ignis imitari solet, qui leuissimam quamlibet materiam apprehendens, in magnum denique incendium euadit.

Ad hæc potest etiam locus iste accommodatè, ad priorem superioris versus interpretationem reuocari, hoc modo, sponsus qui supra quodam amoris furore correptus fingitur, & veluti insaniens montium summa iuga, niuesque rigidas, pardorum atque leonum specus & antra inuasurum se dixerat, vt sponsæ placeret; offert iam nunc huius furoris, vel audaciæ temerariæ rationem, quia nimirum alter sponsæ oculus in sponsum vibratus, & vnicus crinis circa collum inundans, ipsum ad tantam audaciam insaniæ similem adegerit, iuxta illud Theocriti *Idyllio* 5.

Et me leuis amat Cratides, facit ille furentem
Obuius, vt tenero mota es coma pendula collo.

Et ad hanc interpretationem accommodari possunt omnes huius loci translationes. Itaque vulgata lectio, *vulnerasti me*, & Septuaginta translatio, *excordasti me*, in insaniam illam amatoriam referri debent. *excordasti*, hoc est dementasti, adegisti in furorem. Reliquæ lectiones ad audaciam illam prouectissimam pertinent, nimirum, *Indidisti mihi cor*, siue *excitasti cor.* id est, audacem me fecisti, &c.

Cæterùm

Cæterùm alia est germana interpretatio huius loci; existimo enim in his & sequentibus huius capitis verbis sponsum rationes offerre, quibus inductus Sulamitem cæteris vxoribus præferret, vt eam corona ac regno donaret. Idcirco amoris sui primordia & susceptа, deinde incrementa refert. Singula expendamus.

In vno oculorum tuorum Hebraicè, *in vna*. nemo autem ignorat Hebræos, qui neutro genere carent, vice neutrius fœmineum vsurpare. Psal. 26. *vnam petij à Domino, hanc requiram*, &c. id est, *vnum*, Iob 9. *non respondebit ei vnum pro mille*. in fonte, *vnam pro mille*, & passim alia. Itaque illud, *in vno*, capi potest, substantiuè neutraliter, nimirum *in vno*, id est, in vnitate, aut vnione oculorum; & iuxta hanc expositionem sponsus captum se dicet oculorum vnione, id est, vi vnita, ab eo tempore, qui vnà vtrumque oculum in ipsum coniecit sponsa, quod est pudicitiæ atque fidei eximium argumentum, nictatio enim oculorum, aut conniuentia lasciuiam innuit. Isaiæ 3. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant*. Prouerb. 6. *Ne concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, & ne capiaris nutibus illius*. Clemens Alexandrinus in Pædag. *Lasciui autem aspectus & versatilibus, & tanquam conniuentibus oculis intueri, nihil est aliud, quàm oculis mœchari, qui hæc exercent mulieres suo intuitu, seu ipsarum lanæ sunt*. Et quidem conniuere, teste Festo, nihil est aliud, quàm vno clauso, alterum per vices vibrare oculum.

Item *in vno*, id est, *in primo*. Vnum enim pro primo aliquando accipi suprà notaui, & sensus erit, in primo oculorum aspectu; quasi dicat: tunc cum primò in me oculos coniecisti, magnum amoris vulnus mihi intulisti, vel cor, id est, mentem abstulisti, &c. Et quidem hoc ad tempus illud referendum est, quo sponsam visere licuit sponso ante nuptias, cùm scilicet dona illa accipiebat, quæ ὀπτήια, vel θεώρητα dicebantur. De quo primo adspectu, donisque plura diximus suprà *cap. 1. vers. 10. & 11.* his enim donis primum sponsæ aspectum, & primam oculorum vibrationem promerebat sponsus.

Sed tamen, vt germanum sensum huius loci eruamus, aliqua præmittere opus est, ad ritus nuptiales spectantia. Primò quidem supponendum est, id quod suprà in Isagoge *cap. 6. §. 5.* de velatione, ac reuelatione sponsæ, non perfunctoriè probauimus, scilicet virgines ante nuptias velum crassum & cæcum gestare solitas, ne ipsæ viderentur; atque vnum tantùm oculum liberum gerere, vt videre possent: quòd iterum *cap. 1. vers. 15.* inculcaui. Lege ibi plura. hic autem habeto Tertulliani verba in lib. de velandis virginibus: *Laudabunt*, inquit, *nos Arabicæ fœminæ Ethnicæ, quæ non solum caput, sed etiam faciem, ita quoque totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint, dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere*. Id verò de virginibus Arabicis, non verò de nuptis intelligi debet, apud quas id moris solenne erat; cum Tertulliano concinit D. Hieronymus ad Demetriadem virginem, qui hanc consuetudinem Syris ac Palæstinis fœminis tribuit. *Illa*, inquit, *sit tibi pulchra & amabilis, illa habenda inter socias, quæ nescit esse pulchra, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, non colla denudat, nec pallio reuelato crines aperit, sed quæ celat faciem, & vix vno oculo, qui necessarius est, patente progreditur*. quibus verbis pallij, seu veli virginei, omnes conditiones complexus est, quod nimirum crines, faciem, collum & pectus ad papillas vsque tegebat, & vnum tantùm oculum ad videndum necessarium apertum ac liberum dimittebat.

At enim, hoc velum, quod virgines innuptæ gestabant, crines capitis operiebat, iuxta testimonium Hieronymi. Sed quomodo? Certè virgines crines passos & fluentes super humeros ac pectus afferre solitas, diximus suprà *cap. 3. vers. 3.* & nunc etiam dicemus infrà. Inde autem fiebat, vt longiores & promissiores capillos, & infra pectus & vbera vsque ad lumbos pendentes, pallium virgineum non omnino tegebat, sed fines, & vltimam illorum regionem opertam dimittebat, vt proinde liberè conspici possent.

Rursus fœminas olim varias in formas comam capitis conflasse, nemo ignorat; imò nihil fœminis cunctis retro sæculis fuit antiquius, quàm comam curare, & instruere; quam nimiam curam carpit Petrus in 2. epist. cap. *quia non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri*, &c. Græcè ἐν περιπλοκῆς τριχῶν, hoc est, *implicatura pilorum*; loquitur autem de nuptis fœminis, hæ namque olim comas discriminabant, & in plures conflabant, quasi fasces, aut cirros, quos artificiosè sinuosis flexibus implicabãt. Ex his fasciculis, aut discriminibus, quilibet vnus dicebatur crinis; criniũ verò senarius numerus

nuptis

nuptis erat valde ſolemnis. Facit illud Feſti, *ſenis crinibus nubentes ornantur, quòd is ornatus vetuſtiſsimus fuit, quòd eo veſtales virgines ornentur.* Senos crines appellat, ſex capillorum diſcrimina, vel cirros. Ad id pertinet illud Plautinum in Milite: *Vtique eam ornatam adducas matronarum modo, capite compto crines vittaſque habeat.* Crines, inquam, id eſt, capillorum diſcrimina. Ex his verò crinibus, aut capillorum faſciculis, catenæ plicaturæ, & ſinuoſi plexus nectebantur. de quibus Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 12. *Meretricij enim crinium plexus & catenarum nexus, cùm eas deformes reddunt, tum etiam pilos diſcerpunt, artificioſis inſertis vinculis euellentes, quo fit, vt ne ſua quidem tangant capita, ne capillos confundant, quin etiam non ſine metu eas inuadit ſomnus, dum timent, ne texturæ figuram imprudentes ſpolient.*

Ergo crines, id eſt, capillorum multa diſcrimina ſolis matronis olim in vſu erant, vt Feſti atque Plauti verba comprobant. Puellæ verò innuptæ, vel paſſum crinem, vel certè in vnum faſcem conflatum, & à tergo reuinctum geſtabant. Vtrumque modum expreſſit Seneca duobus carminibus, *ſpargere effuſos ſine lege crines. Rurſus adducto, reuocare nodo.* Et quidem ſolutos & paſſos crines geſtaſſe olim innubas puellas, comprobat Iuuenalis *Satyr.* 15.

Ora puellarum faciunt incerta capilli.

Virgil. 4. *Æneid.*

Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla.

Quapropter puellarum coma ſiue effuſa & ſolata eſſet, ſiue collecta in vnum, & retro vincta vnus crinis dicebatur; ſicut enim multi crines, multa diſcrimina notabant, ita vnus crinis indiſcriminatam comam innuebat, & quemadmodum crines multi nuptam fœminam, ita vnus crinis innuptam puellam ſignificabat: ſolutus autem & paſſus crinis colli ornamentum eſt, & collo adſcribi ſolet. Virgilius 4. *Æneidos,*

Spectat in ornatos collo pendere capillos.

Item Martialis *lib.* 1. ſic addit,

——molléſque flagellent
Colla comæ, tortas non amo Flaue comas.

Quorſum iſta? vt intelligas ſponſi verba ad id tempus referenda quod nuptias præiuit. Itaque, vt integrum locum ediſſeram, paucis verbis ſic habeto.

Sponſus rationem offerens, quia initio inductus fuerat, vt ſponſam corona & regno donaret, eámque cæteris fœminis loco, dignitate, & poteſtate anteponeret, ſic addit: *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*; tunc videlicet, cùm primum te videre licuit ante nuptias, *in vno oculo*, qui ſolus liber erat, alterum obuelante peplo; *& in vno crine colli tui*, hoc eſt, in coma tua effuſa & ſoluta circa collum, quæ ſcilicet nondum ſuſceperat matronis conſueta diſcrimina & plicaturas, & cuius fines, extremamque regionem velum virgineum apertam, atque oculis obiectam relinquebat: ab his, inquam, primum amoris vulnus excepi: *vulneraſti cor meum*, &c. atque adeò victus manus dedi, vel aliter, *abſtuliſti mihi cor*, quod reſpondet modo loquendi Hiſpanis familiari, *me orbaſte elcoracon*; illud ſcilicet ad te transferens, vt proinde in te tranſlatum, iam non in me, ſed in te degat; vel ſi placeat, ſenſus erit. Hæc duo mentem ac ſenſum mihi eripuerunt, vt nihil præter te cogitare, aut adamare poſſem. & ſecundùm Ambroſium, *corde cepiſti me*, id eſt, debellato & acquiſito corde, me captiuum abduxiſti, atque adeò tuum omnino eſſe iuſſiſti. His autem atque aliis eiuſmodi dictis ſignificat ſponſus primum amoris ſui motum & impetum, qui illum ad eligendam & præferendam Sulamitem impulit.

Sed quid cauſæ ſubeſt, quia ſponſa, quæ aliàs amica dici conſueuit, ſoror hîc appellatur? Multa de hoc nomine, atque eius vi ac poteſtate confert noſter Sanctius, in hunc locum, illud probo, quòd ſcilicet Hebræis ſolemne fuit, ſponſas ſorores appellare; quia id nominis dulce ac amicum eſt, vt conſtat ex aliis Scripturæ locis. Sed ſi vlteriùs aliquid perſcrutari cohibitum eſt, fas erit dicere, ſponſam ideo ſororem dici, quia in mariti domum, & familiam tranſibat, & oblitam parentis propriæ, ſponſi matrẽ ſuam ducebat, iuxta illud: *obliuiſcere populum tuum, & domum matris tuæ*, &c. ac proinde iure ipſo cõnubiali ſoror ſponſi deinceps appellari debuit. Sed tamẽ hæc minora ſunt.

Mitto reliquas interpretationes à noſtra litera abeuntes, qualis eſt illa, *in vno torque colli tui*, quam Hebræorum turba amplectitur; verumtamen ſi torquis nomine *monile* aliquod ex crine contorto inſertis vnionibus capiatur, vt volunt Martinus noſter & Legionenſis, non fiet vis lectioni noſtræ, tamen friget ſententia.

Verſ. 10.

Vers. 10. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa: pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum, super omnia aromata.

SONVS ALLEGORIÆ.

Quàm pulchræ sunt. Septuaginta, non sine emphasi, *quàm pulchræ factæ sunt*, aut *pulchri erunt*, si licet dicere.

Pulchriora sunt vbera tua vino. Hebraicè ad verbum, *bona sunt à vino, vel super vinum*, & quidem de peculiari huius sermonis proprietate suprà *cap.* 1. *vers.* 1. multa dixi.

Et odor vnguentorum tuorum, &c. Septuaginta, *vestimentorum tuorum*, nostra propiùs ad originalem accedit.

Verba huius carminis quasi facilia & aperta plerique interpretes sine commentario dimittunt. Ego verò non nihil dicam. Arbitror igitur in hoc carmine sponsum aliam rationem reddere, qua inductus, Sulamitem ad stabile connubium, & ad regnum & coronam elegerit, quia nimirum iam annos pubertatis attigerat, & nuptiis copulandis matura erat. Et quidem inter alia, quæ puellam ad coniugia & habilem esse declarant, est papillarum tumor aliquis, vt suprà *vers.* 4. *huius capitis* ostendi ex Ezechiele *cap.* 15. vbi sic habet: *Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum super te*, &c. Iam scilicet plures amatores numerabas, qui tuas ambirent nuptias, quia vbera cùm tumorem conceperant, qui annos pubertatis & maturitatem ad connubia iungenda significare solet.

Sic ergo ad Sulamitem suam sponsus: *pulchræ factæ sunt, vel pulchri erunt* (vt ita dicamus,) *mammæ tuæ*, hoc est, ad eam magnitudinem & tumorem peruenerunt, quæ pulchritudinem cõstituit, & te maturam coniugio demonstrabat, ideò te cęteris puellis præferendam duxi. Sed cuius sunt sequentia verba? *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Si alia his similia spectes *cap.* 1. *vers.* 1. fas erit affirmare, dicta verba ipsi sponsæ adscribenda esse, quæ olim dixerat; *Quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* ita vt sensus sit: frustrà, ô sponse, laudas & probas vberum meorum pulchritudinem, quandoquidem tua vbera suauitate, & vi sua, vinum optimum imitari olim dixi, &c. Sed communis expositio mihi magis probatur, quæ dicta verba sponso tradit: *Pulchriora sunt vbera tua vino.* rependit scilicet sponsus, similem in se à Sulamite iactatam laudem *loco citato*, vt ait Nyssenus. Et quidem priora verba mammarum, ac pupillarum, commendationem continent, posteriora verò, de amplexibus capienda sunt, quos vberum nomine notari, ibidem probaui; euadet verò talis sententia, *Pulchræ factæ sunt mammæ tuæ*, quia iustam magnitudinem attigerunt. *& vbera tua præstant vino*, id est, amplexus, quibus mammæ stringuntur, & inde trahunt dulcedinem, vinum superant, & plus inebriant, quàm vinum meracissimum; iuxta illud, *veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus*, Prouerb. 5. Quasi dicat: Vbera tua vini ad instar generosi caput inuaserunt, vt quemadmodum oculus vnus, & crinis vnus, cor & voluntatem sibi vendicarunt, sic etiam vbera caput & iudicium sibi arrogarent, vt scilicet tuam electionem & assumptionem ad regnum, & voluntate prosequerer, & mente, iudicióque probarem.

Addit tandem, *& odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*; eorum certè, quibus faciem & reliqua cutem curauit & condiuit ad nuptias, sese comparans in gynæceo; vel, si placet, referri possunt hæc verba ad olfactoriala, quæ inter alia mundi muliebris ornamenta numerat Isaias suprà, quæ è collo supra vbera pendere solita docent plures, & vulgo dicimus, *pomos de olor*, vt ait Tiraquellus *in l.* 3. *connubiali*, cui libens subscribo.

Vers. 11. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

SONVS ALLEGORIÆ.

Distillans. Hebr. תטפנה *thitphenah*, à verbo *Nattaph*, quod *stillare* & *loqui* significat, Michææ 2. & Ezech. 21. 2. itaque reddi posset, *fauos loquuntur labia tua*, &c.

Omnibus

Omnibus vna mens est commendari, videlicet hîc sermonis suauitatem, & verba mellita blanditiarum plena, similis locus Prouerb. 26. *fauus mellis*, composita verba. & Psalm. 128. *eloquia Domini dulciora* dicuntur *super mel & fauum.*

Amator in Comœdia, mel lacti copulauit, sic enim ait: *In melle sunt sitæ linguæ, atque orationes, lacteque.* Repete memoriâ ea, quæ diximus suprà *cap. 2. vers.* 14. ad illa verba: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* vbi de primo sermone, quem sponsa sponso dictabat, plura contulimus, vt proinde fas sit affirmare sponsum in hoc loco alteram rationem afferre, qua inductus Sulamitem adamauit, & ad Regnum prouexit, scilicet primam vocem, primúmque sermonem, quo ipsum affata est, consonantia verborum hoc suadet, ibi enim dicit, *vox dulcis*, hîc similiter *eloquium dulce.*

Communi expositioni adnecto aliam, cum ea cohærentem, qua superius carmen explicui. Memini enim me dixisse suprà *cap. 1. vers.* 2. inter alia, quibus virgines ad nuptias excolebantur in gynæceo, censeri escas delicatas. De his Ezechiel præmisso loco: *Similam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum.* id est, his educata delitiis incredibilem pulchritudinem tibi comparasti, & ad regias vsque nuptias profecisti. Addo & vestes elegantes odore suauissimo præditas, quibus inebriabatur noua nupta, quas Propheta ibidem enumerat: *& ornata*, inquit, *es auro & argento, & vestita es byssо & polymito, & multis coloribus.*

Sed quorsum hæc? Certè sponsus ad sponsam: *Fauus*, inquit, *distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Vel, vt habet lectio Septuaginta, *fauum distillant labia tua*; nimirum quòd deliciosè melle atque lacte sis enutrita à me in gynæceo, id est, omni deliciarum genere affatim refecta, vel ipsa labia modò testantur, quæ lacte adhuc & melle fluunt. Inde autem tanta tibi pulchritudo comparata est, vti ad regnum & regiam coronam dignè electa sis. Adde etiam veste pretiosa, quibus amicta ad nuptias venisti, quæ suaueolentiâ thus vincunt. Accinit illud Homeri Odyssiage, vbi Vlyssi dat vestem olentem thus. Sed de vestium nuptialium fragrantia infrà dicemus.

Vers. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRo *horto* Hebraicè est גל *gal*, id est, *irriguum*, locus scilicet, qui irrigatur. Sed noster interpres hærens vestigiis Septuaginta, non *gal*, sed גן *gan*, quæ vox *hortum* adsignificat, sensus tamen non est dissimilis.

Fons signatus. Rab. Salomon. *Porta clausa*, innuens fortasse in hoc loco hortum describi septum & muratum, cuius etiam porta clausa sit; sed non audiendus. Ambrosius pro *signato sigillatum* conuertit, hoc est, quasi imagine aliqua impressum, quia nimirum iuxta specularem aquæ naturam imaginem reddat eius, qui in ipsum intuetur, vt infrà dicam.

Communis sententia locum istũ, de virginitate & integritate sponsæ interpretatur, quia nimirum *hortus* sit amœnus ac virens, propter virentem adolescentiam, & *clausus*, propter illibatam pudicitiam, nam pro clauso in originibus est נעול *naghul.* vnde fluit vox עלמה *ghalmah*, quæ virginem clausam adsignificat. Adde etiam *fontem* appellari propter fœcunditatem, sicut aliàs sæpe in Scriptura, vt infrà dicam; *signatum* verò propter virginitatis integritatem, quæ interpretatio rectè accommodatur contextui, quia optimam rationem continet, propter quam sponsus Sulamitem suam, regno ac regiis ornamentis condecorauerit, quia nimirum ipsi adolescens & virgo integra atque pudica tradita fuit.

Priorem similitudinem *horti clausi*, ad coronam, vel sertum nuptiale ex floribus ac foliis compactum, & vestem quoque nuptis consuetam floribus acupictis insignitam, & versicolorem, referunt plures; his enim ornata ac vestita, haud dissimilis erat sponsa horto clauso, qui neque viatoribus, neque bestiis peruius integros & illibatos flores ostentat. Rursus similitudo *fontis signati, & putei clausi*, vxoris soli marito suo obsequentis vmbram continet. Sed de his infrà *vers.* 13. 14. & 15. ego enim ita reor, duas similitudines, aut comparationes horti clausi & fontis signati, quas Salomon summatim perstrinxit in hoc carmine, in tribus sequentibus dilatare & amplificare

ficare ab illis verbis: *emissiones tuæ paradisus*, &c. quæ desinunt in illa, *fons hortorum*,&c.

Sed aliquid vlteriùs addendum existimo, nimirum in his verbis, quibus sponsus amoris sui primordia describit, ea proponens, quæ ipsum ad præferendam Sulamitem impulerant, ad domum fœminarum, vel gynæceum adludi, in quo puellæ nubiles per annum clausæ & obseratæ delitescebant,vnguentis ac pigmentis pulchritudinem excolentes,vsque dum anno decurso mundum muliebrem accipiebant, & vestibus nuptialibus floridis, ac pictis ornatæ, vnguentisque & aromatibus conditæ Regibus tradebantur ad nuptias. Id ergo respiciens sponsus & Rex noster, sic sponsum affatur: *hortus conclusus, fons signatus*.Quasi dicat: mirum profectò est quantum mihi tua perplaceat pulchritudo, quantumque amores tui,animi mei desideria & vota expleant: quæ videlicet similis est *horto clauso*,qui alicuius periti topiarij arte elaboratus & excultus, diuque clausus & munitus fuit, ne aut conculcetur, aut spolietur ab his, qui prætereunt:atque adeò pulcherrimam oculis speciem offert. Fonti quoque haud dissimilis ex istis, qui clausus quoque,& mihi reseruatus semper fuit,atque adeò amorum atque appetitionum mearum ardorem ac sitim affatim expleuit.Sed quia,vt nuper aiebam, duas istas comparationes Salomon in sequentibus versibus amplificat, plura ibi dicemus, quæ ad huius loci genuinum sensum eruendum maximè faciunt.

*Vers.*13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

*Vers.*14. Cypri cum nardo,nardus & crocus, fistula & cinamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.

SONVS ALLEGORIÆ.

ISti duo versus omnino coniungendi sunt, quia eandem ferè sententiam continent. *Emissiones tuæ*,Hebr.שלח *salach*.Alij *propagines*,alij *plantationes*,conuertunt,à verbo שלח *salach*,quod est *misit*.quibusdam recentioribus videtur effusam,& iam odoris fragrantiam notare posse, qualis ex horto amœno efflari consueuit. Item missilia quædam munera, quæ turbæ immitti solent ad voluptatem spectantium, qualia spargere solebant victores in triumphis, & sponsi in nuptiali pompa. Sed tamen eadem vox *Isaiæ* 16.*Esdræ* 2.*cap.* 3.reperitur,& vtrobique *propagines*, *plantas*, aut *plantationes* sonat.Frustrà ergo alij, alia meditantur. Sunt etiam qui verba illa, *emissiones tuæ*, non ad plantas, aut fructus referunt, sed de ipsamet sponsa interpretantur; quasi dicat: *exitus*, aut *progressus*,in publicum, qui sensus ab originibus minimè abhorret. Rabbi Salomon *areas* interpretatur, in quas horti partiri ac distribui solent, vt irrigatio conuenienter fiat.Abenezra *ramos* conuertit.

Cum pomorum fructibus.Hebr.est,*cum fructu deliciarum*, Septuaginta,*cum fructu nucum*;tamen ἀκροδρυα non nuces tantùm,sed quoduis pomi genus apud Græcos signat.

Cypri cum nardo. De his nõ pauca *cap.* 1.vbi cyprum arborem eam esse dixi,de qua Plin.lib.12.c.24. *zizyphi folijs,semine coriandri, flore candido odorato,ex quo fit vnguentum cyprinum;optima*,(inquit Plinius)*prouenit in Ægypto secunda in Ascalone Iudææ*.

Nardus & crocus. Nardum bis repetit, quia cum cypro & croco amat temperari, suaues cum vtroque odores miscens,sicut de lauro & myrtho lusit Virgilius.

Et vos ô lauri carpam,& te proxima myrthi
Sic positæ, quoniam suaues miscetis odores.

De croco plura Gregorius Nyssenus *homil.*9. Theophrastus *lib.*9.*cap.*7. Plinius *lib.*12. *cap.*22.Dioscorides *lib.*1.*cap.*17.Galenus *lib.*8.simplicium medicamentorum.

Fistula, Hebr.קנה *kanah*,alij *casiam*; noster verò ad canam,seu calamum odoratum referre videtur, quem alij iuncum vocant, &quidem casia Hebraicè, non *kanah*,sed קציעות *katzighoth*, *Psalm.*45.*vers.*9. De calamo verò & iunco odorato Plinius *lib.*12. *cap.*23.Theophrastus *lib.*9.*cap.*7.qui inter Libanum & alium monticulum enasci affirmant.

Cinamomum. De hoc plura Gregor.Nyssenus *citato loco*, quæ etsi fabulosa, aut magica, bonum ad sensum trahi possunt. Theophrastus *lib.*4. *cap.*6. fruticem esse dicit, cuius cortex odoratissimus in Syria, Iudæa & Arabia nascitur. Hebraica vox consonat Latinæ.est enim קינמן *kinamon*.

Cum

Cum vniuersis lignis Libani. Vocem istam *Libani*, ad thus restringere necesse est, id est, cum vniuersis lignis thuriferis; nam in Hebraicis, non montis nomen, sed thuris inuenitur; est לבנה *Lebana*, non לבנן *Lebanon*.

Et cum omnibus primis vnguentis. Loquitur de artificio confectis odoramentis, & seplasiariorum condimentis suaueolentibus.

Locus iste haud faciles habet explicatus, atque adeò eius obscuritas alias atque alias interpretationes peperit. Prima est Hebræorum, ex quibus plures nomine *emissionum*, bonos atque suaues odores intelligunt, quos hortus amœnus floribus atque aromatibus plenus emittit, ac spirat, ita vt sensus sit: *emissiones tuæ paradisus*, &c. id est, non aliter flagras, vel spiras bonos odores, quàm paradisus omni bonorum florum & aromatum genere consitus. languescit hæc interpretatio.

Eam ergo excitare & quasi inanimare volens Sanctius noster, ita commentus est: *Emissiones*, inquit, *sunt dona missilia, quæ in triumphis aliisque pompis celebrioribus spargi solebant in vulgus, vt ea raptim accepturi ciues densiores & alacriores conuenirent, & spectatores oblectarent.* Sed qualia erant isthæc dona? in triumphis quidem monetæ aureæ & argenteæ effundi solitæ: at in nuptiis flores omnimodæ & fructus quoque arborum diuersi emitti consueuerunt. Vnguentis etiam pretiosis stipatores suos irrorare & infundere, non erat insolens nubentibus: vt proinde huius loci sententia sic confirmari debeat, *emissiones tuæ paradisus*, &c. Quasi dicat, in nuptiali pompa, tunc cum imposita currui geniali sublimis incedebas, flores, fructus & vnguenta ad stipantem turbam, tanta copia emittebas, spargebas, effundebas, ac si paradisus esses arboribus pomiferis, floribus, atque aromatibus consita, tunc videlicet, cùm poma ac flores sponsi decidunt, & vnguenta aromatica vltrò sudantur.

Sed tamen hæc expositio parum consentanea mihi videtur, non enim lego alicubi sponsos flores, aut fructus iacere, aut vnguenta superturbam effundere; imò potiùs id à solenni antiquorum vsu non alienum, ne turba super sponsos flores iaceret, vnguenta effunderet, poma spargeret; sed ad alia contendo. Vnam ergo & alteram opinionem atque optionem pariter do.

Emissiones tuæ paradisus. Certè sponsa, vt in superiori versu dicebam, quandiu inclusa erat, in gynæceo formam & speciem vnguentis ac pigmentis excolens, valde accommodata cum *horto clauso* comparata fuit. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*; sed quid inde? recurrat memoria ad ea, quæ diximus suprà *cap. 1. vers. 2. & sequentibus.* virgines illas, quæ per annum in domo fœminarum inclusæ permanserant, expleto tempore suæ culturæ mundum muliebrem accipere solitas, iuxta illud Esther 2. *Et præcepit Eunucho vt acceleraret ei mundum muliebrem, & traderet ei partes suas.* Mundi autem muliebris præcipuæ partes erant vestes pretiosæ, floridæ, suaueolentes, de quibus infrà, *& vt eis placuerant compositæ, de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transibant.* Accinit Ezechiel. *cap. 16.* vbi Dei & Hierusalem regias nuptias describens, inter alia, sic addit: *& peruenisti ad mundum muliebrem.* Deinde verò singulas huiusmodi muliebris partes commemorans subscribit: *lauit te aqua, vnxit te oleo, & vestiui te discoloribus*, &c. Nam tunc cùm sponsæ Regibus tradendæ, emittebantur ex gynæceis, vestes discolores floridas, vnguentatas, longè meliores ac pretiosiores, reliquumque mundum muliebrem accipiebant, & ad eum modum ornatæ & excultæ ad Reges adducebantur. Sponsus ergo in hoc loco alteram rationem commemorans, qua inductus Sulamitem ad regni consortium exceperat, atque aliis vxoribus prætulerat, sic pronunciat: tunc cùm in triclinio fœminarum abdita & inclusa manebas, *hortus* profectò eras amœnus, sed *clausus*, atque obseratus; at verò mundo muliebri accepto, inde emissa es. *emissiones tuæ*, id est, exitus, seu egressus tui è gynæceo, publici nimirum progressus in apertam lucem. similes omnino sunt Paradiso omnigenis fructibus, floribus & aromatibus vernanti. Tu scilicet soror ac sponsa mea e triclinio fœminarum emissa vestibus floridis & vnguentatis ac reliquo mundo muliebri speciosissimo atque odoratissimo vtens, similis per omnia est Paradiso, &c. Huic expositioni adstipulatur vox *Paradisus*, quæ hoc dissidet ab horto, quòd hortus viridarium significat angustum, maceriisque septum, & obseratum. Paradisus verò regionem denotat apertam, amœnitate ac densitate arborum valde spectabilem, Genes. 13. *Eleuatisque Loth oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur. Sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor*, Eccles. 40. & 44. & alibi. Itaque sensus euadit talis: sponsa, quæ in triclinio fœminarum degens similis erat horto ma-

ceriis, seriſque concluſo, accepto deinde mundo muliebri, indeque emiſſa, & vti decebat ad nuptias regias comparata & compoſita cum aperta laxiori, atque lætiori Paradiſo componi debet, ſiue elegantiam veſtimentorum, ſiue vnguentorum ſuaueolentiam, ſiue reliqui mundi muliebris ornatum ſpectes.

Sed ne iſthæc acceptio illius vocis, *emiſſiones tuæ*, noua & inſolens videatur, aliam interpretationem leniorem & faciliorem ſubſcribo, quæ ſic habet: *emiſſiones tuæ*, &c. id eſt, ſimilis profectò eſt horto clauſo horti plātæ, aut propagines mala punica, atque omni genere pomorum fructus offerunt, & aromaticarum ſpecierum, omnia germana in ipſo enaſcuntur. Sed quorſum hęc? Sponſus, qui Sulamitem ſuam priùs cum horto compoſuerat, hanc comparationem amplificat ſubiectis verbis, quæ de veſtibus, ac reliquo mundo muliebri, quem ſponſa ad nuptias attulerat, accipi debent. *emiſſiones*, inquit, *vel plantæ tuæ, Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Huius verò comparationes quanta ſit venuſtas, ipſa verba declarant, ſed vlteriùs comprobanda eſt; & ſanè locus iſte congruit omnino cum illis verbis Ezech. 16. *Multiplicatam quaſi germen agri dedite, & multiplicata es, & grādis effecta, & ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem*. Agrum appellat Propheta eam, quam Salomon Paradiſum dixit, & quę iſti emiſſiones nominat, illa germina vocat, omniū videlicet pulcherrimorum fructuū feraciſſimas. Septuaginta ſic extulerunt priora verba, *tanquam hortum agri conſtitui te, vel dedi te*. Græcè ἀναπολὴ, quæ vox propriè ſignificat id, quod oritur, ſed accipitur ſæpè pro *horto* arboribus conſito, vt proinde non ſimilis tantùm, ſed vna atque eadem comparatio videatur.

Quid verò in re bucolica magis adſimile ſponſæ omni ornamentorum ad nuptias ſpectantium genere conueſtitæ ac compoſitæ, qua hortus amœnus arboribus conſitus, quæ inter viridantes ramos fructus varios atque pulcherrimos oculis offert: ſubiicit ſtatim Propheta omnem mundi muliebris, ſeu ornamentorum nuptialium apparatum, ab illis verbis, *& veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum*. & ad hunc modum reliqua perſequitur ornamenta nuptialia vſque ad illa, *& veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus*. Et quidem Hiſpanè eiuſmodi veſtes verſicolores & varias, vulgò *primaueras* vocant, quia agrum, vel hortum imitantur herbis ac floribus varium, atque diſtinctum, quæ primo vere tellurem veſtiunt. Sed cur (inquies) malogranata & poma cum primis memorat? Subiicio, quia nimirum hæc inter nuptialia fœminarum ornamenta numerari mihi compertum eſt. De malogranatis Baſilius *in cap. 3. Iſaiæ*, ita commentus eſt: *tantum nos deprehendimus in apparatu textili Pontificiæ veſtis* χιτῶνα κροσωτὸν, id eſt, *tunicam fimbriatam, quæ haberet malogranata, & tintinnabula aurea, quæ ſingula per exuberantem ſuam mollitiem filiæ Hieruſalem imitabantur, circumferentes amicula fimbriata coloris mellini hyacintho coctoque diſtincta*. Ex his conſtat, mala granata textilia apud Hebręos olim ad mundum muliebrem pertinuiſſe, & quidem fimbrias inter nuptialia ornamenta numerari. Suadent verba Pſal. 4. *Omnis gloria filiæ Regis intus in fimbreis aureis, circumamicta varietatibus*. Et, vt alia omittam, quæ interpretes de his fimbriis commenti ſunt, illud magis ad rem noſtram, quod Hebræi affirmant, ſcilicet *fimbrias* appellari limbum, ſeu oram extremæ veſtis, quæ aureis laminis confibulatis contexebatur, ex quibus pendebant globi, aut ſphæræ conflatiles ex auro puriſſimo; itaque ſicut in veſte Pontificia inter malogranata textilia pendebant, tintinnabula aurea; ſic etiam limbus, atque extrema ora nuptialis veſtis, quam ſponſæ geſtabant, malogranatis ac ſphærulis aureis pendentibus exornabantur, imitantes ſcilicet, id quod in veſte Pontificis pulcherrimū erat, & quod ſonitu eaſdem prodere poterat, ſcilicet tintinnabula. Nec diſplicet eorum ſententia, qui ad hunc ſenſum accommodant ſequentia verba, *circumamicta varietatibus*, aſſerentes, de fimbriis quoque exponi debere, vt proinde fas ſit dicere hanc varietatem non eſſe aliam, niſi eam, quam aſſeruimus malogranatorum textilium, & ſphærarum aurearum ex ora veſtis nuptialis per interualla pendentium, pulcherrimam diſtinctionem. Quos autem neget iſtiuſmodi globos, aut ſphæras aureas congruè admodum appellari poſſe, ſicut etiam, vt auctor eſt Tiraquellus *ad legem 3. connubialem*, thecæ quædam rotundæ ex collo fœminarum ſupra vbera pendentes, & quibuſdam aromaticis ſpeciebus refertæ, *poma quòque* vulgus appellat; quæ nimirum Iſaias *cap. 3.* olfactoriola vocat, & inter reliqua mundi muliebris ornamenta connumerat. Ac proinde valde eleganter Salomon *in hoc loco* ſponſam nuptialibus ornamentis decoratam

deſcri

describens, sic cecinit: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, id est, fimbriæ vestimentorum tuorum, quæ ad nuptias affers, pomis aureis & malogranatis textilibus intermixtis conspicuæ similes sunt amœnissimæ paradiso, quæ malogranata quoque, & poma intermixta vbertim affert. Quid illustrius?

Rursus cùm idem Salomon nuper de sponsa dixisset, *& odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, vbi nomine *thuris* omnes aromatum species complexus fuit. Hæc quoque verba nunc amplificans, & vestium nuptialium vnguentis conditarum, suauissimum odorem exaggerans, sic attexit; *cypricum nardo, nardus & crocus, fistula & cinamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe, cum omnibus primis vnguentis*, his nimirum significans vestes nuptiales has omnes species seplasiorum, aut pigmentariorum arte permixtas & temperatas redolere ac spirare. Quid enim magis adsimile vestibus floridis, atque harum omnium specierum odoramenta abundè exhalantibus, quàm viridarium aliquod illis aromatibus consitum. Huic quoque adsimile est, quod Dauid de sponsi vestibus pronunciat Psal. 44. *Myrrha & gutta & cassia à vestimentis tuis*, &c. & longè similius quod Isaac *Genes.* 27. de vestimentis filij valde bonis asseruit, statimque, *vt sentit vestimentorum fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* & sanè illud compertum, nullius speciei aromaticæ singularem odorem sic placere, & naribus pergratum accidere, sicut quando mixta & temperata sunt. nam dum aljæ aliarum odorem vel acuunt, vel moderantur suaueolentia & fragrantia, non solùm gratior, sed etiam salubrior efficitur. Nil certius. tamen videndus Stuckius *quæstion. connubialium lib. 3. cap. 14.* vbi de temperandis configendisque vnguentis non pauca miscet.

Secunda expositio locum de pudicitia Sulamitis capiendum esse suadet, & multo plures habet patronos, Gregorium scilicet Nyssenum, & Theodoretum, cum omnibus Latinis. Igitur iuxta hanc expositionem, dum sponsus suam Sulamitem hortum obseratum & conclusum vocat, non obscurè innuit eam virginem pudore illibato ad nuptias veniisse. virgines enim à virore dicuntur, & pudori quoque suus est flos, apud Plautum *in Casina*, qui à fœmina pudica repulsam pepulerat adolescēs, sic illam affatur: *vbi illum saltum video obseptum, rogo vt altero sinat ire.* Difficile tamen est posteriora illa verbà in hanc sententiam trahere. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*; nisi dicas hanc fuisse quandam horti descriptionem ex his, quibus ludere solent Poëtæ, nec opus esse, vt singula verba ad præmissam sententiam alliciantur.

Addo etiam, non inconcinnè dici posse, ab illis verbis, *emissiones tuæ*, &c. notari fructuum vbertatem filiorum, nempe multitudinem copiosam, quos sponsa Ecclesiæ typus virgo eadem materque futura in lucem edit, filios enim fructuum nomine censeri suprà obseruaui *cap. 2. vers. 2.* vbi plura Scripturæ loca exhibui ad id facientia. Appellatur igitur *conclusus hortus*, propter illibatam virginitatem. Rursus autem *emissiones* habere dicitur, hoc est, plantas malorum granatorum, & aliorum fructuum feraces, propter filios, ex quibus multi Reges & Imperatores, qui punicis malis adumbrantur, fructus enim hîc ob ingenitam coronam regiæ maiestatis exhibet simulacrum: reliqui gradu & conditione dissimiles, quasi fructus omnigeni pomorum cunctorum, quos singulis ætatibus innumeros tulit Ecclesia. Demum illa, quæ sequuntur, arbuscula & frutices odoratos, qui ab isto enasci dicuntur horto, cyprum, nardum, coccum, & similia, filiis accommodare, est integrum; qui morum suorum fragrantia vniuersum terrarum orbem complent. Et quidem filiorum vbertas venustè adumbratur plantarum similitudine, Psal. 127. *filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Et de spuriis ac nothis filiis Sap. 5. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, &c.

Tertia expositio, cui ego plurimum tribuo, præfata verba de sponsæ custodia ante nuptias accipi debere nos monet, & quidem frustrà hîc repetam, quæ *cap. 1. vers. 1.* latè probaui; nimirum puellas Hebræas ad nuptias regias asciras, per annum in gynæceo inclusas morari, vnguentis & pigmentis excoli cibis vti lautioribus, ac demum mundum muliebrem accipere, vide ibi multa: quibus præmissis, illa verba, *hortus conclusus, soror mea sponsa*, sic sunt edisserenda. Quandiu clausa & obserata fuisti in gynæceo, similis eras horto muris cincto, & feris munito, ad quem nulli patebat aditus; iam verò postquam gynæcei, claustra, & feras euasisti, pretiosis amicta vestibus, inauribus, monilibus ac reliquo ornamentorum genere decorata, vnguentis delibuta & exculta: *emissiones tuæ*, id est, quas profers horti in morem plantarum, *Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*, hoc est, malogranata, & pomorum omnigenam

multitudinem vbertim afferre,quod ipsa vestis fimbriata, textilibus malogranatis instructa, & inaures atque monilia malis aureis cælata præ se ferunt.Reliqua pertinent ad suauem odorem, tum vestis, tum ipsius sponsæ vnguentis & pigmentis ad nuptias conditæ. *Cypri cum nardo, nardus & crocus,fistula & cinamomum cum vniuersis lignis Libani, atque omnibus primis vnguentis*,quas arbores, vel fructus,ideo hortus ille, id est, sponsa, afferre dicitur, quia omnium odorem exhalabat.

Vers. 15. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

SONVS ALLEGORIÆ.

QVæ *fluunt impetu*, in originibus est, *& quæ fluunt*, &c. itavt comparatio inita videatur cum fonte & puteo, & cum viuo defluente. Septuaginta sic totum locum extulerunt. In singulari, *Fons horti,& puteus aquæ viuentis, & cum strepitu fluentis de Libano*; sed tamen Hebraicè, pluralis numeri ista sunt.

Nannius & Titelmanus quædam de puteo & fonte prope Tyrum commemorant, & ad hunc fontem, puteúmque Salomonem respexisse autumant. Non assentior: & quidem in sacris literis fontis & putei vocabula commutari viciſſim solent; fons enim pro puteo, puteus item pro fonte inuicem accipi consueuerunt; quod peritus nemo ignorat. *Ioannis* 7. puteus Iacob fontis nomine insignitur, & econtra,*Num.*21. fons ille, qui ad virgæ ictum ex lapide fluxit, bis, ac ter puteus nominatur. alia missa facio.Rursus illa,quæ huic loco accommodat Genebrardus de *Ior*,& *Dam*, Panion videlicet,ac Phiala,secundùm Iosephum *lib.*3.*belli Iudaici cap.*18.quas constat ex Libani radicibus originem sumere, non sunt ad rem,hîc enim Libanus, non montem illum, qui inter Phœniciam, Iudæamque intercalatus porrigitur, & cedris præstantissimis abundat, sed proximum Hierosolymis saltum significat, ad cuius radices ædificauit Salomon ædes regias, quas appellauit, *domum saltus Libani*. Erat autem iste Libanus collis modicè assurgens, cuius ex cliuo fons vbertim aquas effundens, oriebatur, ex quo Salomonis horti deductis riuulis amœnabantur.Aliàs si de Libano Phœnicea sermo esset, quorsum idem fons Libani & hortorum diceretur?

Ergo cùm Salomon duas similitudines præmisisset, horti videlicet concluſi, & signati fontis, vtramque deinde persecutus est, posteriorem quidem ab illis verbis, *emissiones tuæ Paradisus*. Priorem verò in hoc carmine, quam satis eleganti oratione amplificat;itaque ait:*fons hortorum, & puteus aquarum viuentium*.Et quidem *fontis* nomen fideli atque pudoratæ vxori tribuitur in sacris literis.Prouerb.5.*Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ suæ*, Eccles. 25. *Ne des aquæ tuæ exitum, vel modicum,nec mulieri nequam veniam prodeundi*;& iterum Prouerb. 6. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui:deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* vbi extrema verba ex Hebræo ad verbum expressa, sic efferenda sunt, *habeto eas tutò tibi*, hoc est, in tuto obsignatas & clausas.

Sed cur, inquies, fontis putei cisternæ, imò etiam riui defluentis nomina fert vxor fidelis & pudica?Non vna ratio afferri potest.Prima pertinet ad voluptatem, quia nimirum, amor sitim, seu concupiscentiam quandam excitat rei adamatæ, atque adeò cùm hæc adquiritur, vel possidetur, aquæ ad instar ex viuo fonte affatim exhaustæ, eam sitim explet. Secunda propter pudorem; id enim significat *signatus fons*, cui simile est, *habeto eas solus,& non sint alieni participes tui.* Comparatio autem desumpta videtur ex his fontibus regiis,quarum scaturigines signari & claudi solent, ne aut turbentur, aut veneno inficiantur. his autem similis est vxor pudica, quæ soli viro suo seruatur. Tertia propter custodiam, quam mariti vxoribus impendere debent; hæ enim nimia libertate ac licentia abuti solent. Huc spectat comparatio putei, aut cisternæ, quibus incluſæ stagnant aquæ, de quibus est illud,*Ne des aquæ tuæ exitum,vel modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi*,&c. Quarta ad obedientiam & obsequium spectat, quod vxor viro suo præstare debet. Nam,me iudice,ad hanc sententiam referri possunt verba illa, *fons hortorum*, fons scilicet,ad irrigandos hortos comparatos, cuius nimirum aquæ in decliue fluentes per alueos suos in subiectas arcas coloni arbitrio deductæ sponte commeant. hunc enim sensum reddunt illa verba,

deriuen

deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Vbi per *plateas* non fora, aut capita ciuitatis, ſed camporum planities ad irrigationem ſuſcipiendam diſtributas, intelligo, quòd à ſacræ Scripturæ vſu non eſt alienum. Eccleſ. 24. *Et ſicut platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis*, id eſt, in planis locis. Nam vox Græca πλατεία *planitiem* adſignificat. Itaque ſenſus eſt: deriuentur fontes tui foras, id eſt, ſi bonam & tibi obſequentem vxorem nactus fueris, non aliter illam ad omnes voluntatis tui motus reges, quàm aliquis horti colonus aquas ſponte ſequentes per alueos decliues ad planities irrigandas deducit. Cui adſimile eſt illud, quod de Rege iuſto, cuius voluntatem Deus Optimus Maximus ad nutũ flectit ac moderatur, pronunciauit idem Salomon Prouerb. 22. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini*, &c. Quinta ad vtilitatem refertur, quia nimirum vxor ad commoda & emolumenta familiæ omni contentione incumbere debet, ſicut aqua irrigua, quæ alendis, nutriendíſque horti plantis & germinibus tota deſeruit. Sexta denique ad bonum prolis legitimæ pertinet, quam maritus ex vxore ſuſcepit. Sed de hoc vide noſtra commentaria *in cap. 5. Prouerb. num. 96. & ſeqq.* vbi per aquas ex fonte viuo fluentes copioſam ſobolem ex iuſtè & ſanctè acto matrimonio perfectam, ſignificari fusè probaui.

Sed quid inde? Prima expoſitio huius loci ſic habet. Sponſus qui proſequitur, vrgétque rationes, quibus inductus, Sulamitem ad nuptias, ad regnum, & ad coronam ante alias elegit fœminas, & qui ipſam *fontem ſignatum*, paulo antè appellauerat, eam nunc comparationem amplificans ſic ait: *fons hortorum, & puteus aquarum viuentium*, &c. quibus verbis, ſi placet, non ſolùm omnium connubialium officiorumve præceptorum ſponſam admonitam voluit, ſed vlteriùs etiam ſignificauit, nihil non honeſtum commodum & delectabile ab ipſa, eiúſque coniugio ſperare, voluptatem, ſcilicet ex conuicto ſuaui, & impenſo illius amore honeſtatem ex fidelitate & obſequio, commodum ex ſobolis copioſa procreatione & familiæ emolumentis. hæc enim omnia præmiſſa ſimilitudo fontis hortorum ac viuentis, ſeu perennantis aquæ putei complectitur. Vbi illud animaduerſione dignum eſt, eam quæ nuper dicta fuit *fons ſignatus*, propter integram virginitatem, nunc, propter prolem numeroſam, fontem hortorum appellari: quibus verbis virgo ſimul & mater aſſeritur Sulamites. Sic enim ſanctæ Eccleſiæ typum & ſimilitudinem gerit, quæ ad eumdem modum virgo pudica, & mater prolifica exiſtit, vt poſtea dicemus in myſteriis.

Sed licèt hæc ſine aliqua iniuria ſuſceptæ contexturæ dici queant, aliam tamen & aliam interpretationem dabo, quæ mihi magis accommodatæ videntur. Memoriâ igitur repetere oportet ea, quæ de Eſther Aſſueri coniuge ad regnum, & coronam aſſumpta ſacer textus in ſomno Mardochæi, ſub fontis imagine ſcripſit cap. 10. *Paruus fons qui creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit, Eſther eſt, quam Rex accipit vxorem, & voluit eſſe Reginam.* & rurſus cap. 11. *Clamauerúntque ad Deum, & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit.* An non ſimile eſt huic ſententiæ ea, quam continent dicta verba, *fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.* Fontem & puteum pro ſynonymis habeto, vt nuper animaduerti; itaque ait, fons exiguus, qui vix hortis colendis ſufficiebat, tanta aquarum incrementa ſuſcepit, vt in fluuium maximum & rapidiſſimum euaſerit. id enim ſonant verba illa, *quæ fluunt impetu de Libano*, atque adeò aptiſſimè & accommodatiſſimè ſignificant eam, quam diximus, aſſumptionem Sulamitis ad regnum, quæ nimirum ex humili & aggreſti conditione ad regni faſtigium euecta, tanquam *ex paruo fonte in aquas plurimas redundauit*; & ſanè ad hunc ſenſum allicere procliue eſt ea, quæ ſuprà dicti Auctores de fonte Phiala, & de duobus aliis *Ior* & *Dam*, commenti ſunt in hoc loco. ex quibus Iordanis fluuius originem ſuum deriuat, quos etiam volunt in Libani radicibus ſcaturire, ac proinde illis verbis adaptari poſſe, *quæ fluunt impetu de Libano.* Vt ſicut ex illis non magis fontibus maximus fluuius euadit, ſic etiam ſponſa puella ſyluana & aggreſti, quam Rex ſibi adiunxit vxorem, Regina inſignis & tori ac regni conſors euaſerit.

Quòd ſi dicamus, prædicta verba *fons*, ac *puteus*, non eſſe ſynonyma, ſic comminiſci fas eſt, vt *fons* ipſam aquæ ſcaturiginem ſignificet; puteus verò ciſternam, in quam fontis viuæ ac perennis aquæ influunt: vt poſtquam ibi collectæ fuerunt per riuos & alueolos ad horti irrigationem per decliue deriuarentur. Sic enim communiter euenire ſolet, cùm fontes ſunt exiguæ, & alueolis hortorum implendis non ſufficiunt. & ſanè cùm ait, *& fluunt impetu de Libano*, facilè innuit, tam fontem, quàm

cisternam in editiori loco sitam effingi, vt inde aquæ irriguæ ad plana cum impetu aliquo deducantur, neque enim aliter irrigatio commodè fieri posset. Hæc igitur comparatio sic conformata optimam rationem continet, propter quam sponsus Sulamitem regni participem effecerat; quia nimirum quamuis olim fons esset exiguus, tunc cùm syluas incolebat ad triclinium fœminarum inde perducta cisternæ ad instar ex paruo; sed tamen viuo & perenni fonte impletæ tantam pulchritudinem, tot ornamenta, tot opes ac dotes collegerat, vt ex toro regio, ad quod demum euecta fuerat, tanquam ex editiori loco omnes sibi subiectas gentes irrigare & amœnare posset.

Sed hanc interpretationem denuò expolire fas est. *Fons signatus*, &c. id est, hactenus ô sponsa fonti obsignato & omni custodia munito, similis fuisti quandiu in gynæceo inclusa, futura connubia adornabas; iam verò ex illa custodia & claustris quasi errumpens, postquam coniugia copulasti, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, fons, inquam, est non obseratus, aut obstructus, sed viuus & fluens, haud dissimilis illi, qui ex Libano colle dimanans magno impetu fertur, totumque saltum hortis amœnis consitum irrigat. sic nimirum tu ex triclinio fœminarum, vbi hactenus delitescebas, in lucem producta totam vrbem voluptate ac lætitia perfudisti, tunc cùm ab sponso deducta fuisti, iuxta illud, *deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*; sed tamen huius loci aliam sententiam exprimere fas est, si videlicet cum plerisque interpretibus per plateas vrbis compita ac fora intelligi mauis, ac proinde verba ista de noua nupta exponi velis, cùm ab sponso suo ad ostentationem gloriæ populo oculis exhibebatur in nuptiali pompa, quam suprà descripsimus. Ita vt sensus sit: Tu quicumque vxorem duxisti, *bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*, id est, fruere amoribus, ac solatiis nouæ nuptæ, &, vt solenne est, tunc cùm connubia celebri pompa aguntur, *deriuentur fontes tui foras*, &c. id est, vxorem tibi traditam in fora & compita ciuitatis producere, & populo visendam offerre ne verearis. Reliquo autem tempore, *habeto eas solus, & non sint aliena participes tui*. id est, acceptam coniugem domi include, & tibi reserua, neque aliis eius familiaritate vti permittas. Quòd si aliquando vrgente necessitate domo egredi opus sit, non nisi te iubente, & eam comitante fiat, iuxta illud, *ne des aquæ tuæ exitum, vel modicum*, &c. *si enim non ambulauerit ad manum tuam, confundet te*. in Græcis est, *si non effluxit ad manum tuam*. Quasi dicat, cautè age, ac sic cum vxore tua dege, vt tanquam aqua in cisterna inclusa & stagnans, nonnisi te referante, atque exitum concedente, diffluat, ac te quoque manu propria riuum eius deriuante ac regente decurrat, alioqui magno cum dedecore tuo impudica & petulans euadet.

Rursus præmissa interpretatio aliter vrgeri potest, sicut nuper dicebam, quia nimirum, ideo sponsa fonti signato, fonti hortorum & puteo aquis viuis redundanti similis esse dicitur; quia solent hortorum cultores, vbi copiosæ scaturigines non suppetunt, fodere circa fontium capita cisternas, tandiuque obturant meatus omnes, quoad vis aquæ magnæ collecta sit: vbi verò excreuit aqua, tunc referant & magno impetu fluentem in olera, vel arbores regunt, ex quo genere fontium, puteorum, vel cisternarum, plures in Libani saltu ad hortos ibi consitos irrigandos fuisse credibile est. Ergo ad eumdem fortasse modum de sponsa sua cogitat sponsus, pusillam enim adhuc puellam subnigram & deformem, parui ad instar fontis inclusérat in gynæceo; inclusa verò excreuit, & in tantam pulchritudinem euasit, vt iam tunc cùm facta est illi copia prodeundi, glorioſa admodum ad nuptias processerit, &c.

Vers. 16. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

SONVS ALLEGORIÆ.

VErbum *surge*, anceps est, & de illius significatione non satis liquet. Antiqui fermè omnes, *surgere* idem esse putant, quod *excitari*, vt est apud Virgilium *in 1. Georgic.*

—— *surgentibus Austris.*

tamen hoc in loco aptiùs ad sententiam dicitur, *surge*, idem sibi velle quod *fuge*, aut *discede*. Hebraicè עורי *zori*; licèt autem vertere, facesse hinc, discede, aut amolire, sic

ſic recentiores plerique. *Aquilonis* nomine hiemem notari exiſtimo, in qua ſole abſcedente venti Boreales incumbere ſolent; his verò flantibus rigent cuncta gelu & frigore. Rurſus Auſtri nomine, ver primum ſignificari credo; quo, ſole ad nos redeunte, ventiſque auſtralibus afflantibus, mitior eſt tempeſtas. Ita Rabbi Salomoni, & mihi valde probatur.

Aquilo. Hebraicè צפון *tſhaphon*, à verbo *tſaphan*, quod eſt *abſcondere, occultare*, quia flante Aquilone brumali tempore latent, quaſi in terræ viſceribus ſegetes, flores nec fructus ſe ſe explicant, aut erumpunt. Auſter Hebraicè תימן *theman*, à radice *Iaman*, quæ dextram ſignificat, quia aſpicientibus ortum Solis, meridies ad dextram vergit. Alij Zephyrum, aut Fauonium conuertunt. Alij etiam reuocãt ad radicem מין *maian*, quæ iam exoleuit: ſignificat autem oſtentare, & in lucem educere, inde fit תמונה *themonah*, id eſt, imago & ſimulacrum, quod aſpectui offertur. Itaque *theman* dictum putant ventum Auſtri, quia illo ſpirante, laxatur & aperitur terra, & flores & fructus oſtentat, in lucemque depromit.

Nonnulli hæc verba ſponſæ tribuunt, non aſſentior; plures ſponſo, quibus ego ſubſcribo. Quid verò ſponſus Auſtri & Aquilonis ſimilitudinibus adumbret, non eſt compertum. Aliqui exiſtimant, non aliud, quàm tempeſtatem gratam & ſuauem copulandis & celebrandis nuptiis deprecari. Alij ad fortunam ſecundam & aduerſam id referunt, quaſi dicat. *Surge Aquilo*, faceſſe, inquam, Boreas, qui floribus perniciem afferens aduerſam imitaris fortunam. Veni Auſter, qui calore tuo ſóluens florum caliculos, & gemmantes arbores laxans ſecundæ fortunæ geris ſpeciem. veni, inquam, & hortum meum, hoc eſt, ſponſam meam *perfla*, quæ hortus eſt quidam typicus, vel adumbratus, *& fluent aromata illius*; euenient ſcilicet cuncta ex votis. Itaque iuxta horum ſententiam ſecundam Sulamiti precatur fortunam ſponſus, ſub his nominibus, *Auſtri, Zephyri*, aut *Fauonij*. Aduerſam verò & reflantem auertit, ſub nomine Aquilonis; ita enim euenire ſolet, vt aliquam eximiam pulchritudinem conſpicientes continuò admirabũdi, omnia bona, omnemque felicitatem & fortunam illi precemur, & in ſubitas benedictiones erumpamus; ſic interpretanda ſunt verba Pſal. 44. quæ in ſponſum ſpectatores coniecerunt: *Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna.* Quaſi dicat; tam decora ſpecies, & tam eximia pulchritudo tua compellet nos, vt formam tuam imperio dignam ducentes, omnem tibi proſperitatem & felicitatem precemur.

Ego verò, qui ſuprà Aquilone brumam, Auſtro ver primum ſignificare dixi, ſic locum iſtum ediſſerendum puto. Bruma quidem ſeniles annos & effœtam iam ætatem, ver autem primus iuuentam & ætatis luxuriantem florem adumbrat, & quidẽ ſenectam vitæ hiemem, iuuentutem verò eiuſdem æſtum appellari, explorata res eſt. Ita docet D. Maximus *ſerm.* 31. ex Eraſthenis, Diogeniſque ſententia, & nil penè apud ſcriptores tritius. In ſacris etiam litteris iuuenilis ætas, æſtatis nomine cenſetur. Prouerb. 10. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens; qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* quæ verba de illa ætate capienda eſſe ſuadet tranſlatio Septuaginta, quæ pro *æſtate adoleſcentiam reſtituit*: ſi autem æſtas adoleſcentiam ſignificat, hiems certè ſenectuti aſcribi debet, illa florida eſt, hæc verò omnia & floribus ac fructibus ſpoliat. Ergo ſponſus adumbratum illum & typicum hortum, ſcilicet ſponſam contemplans, & floridam illius pulchritudinem iuniores annos & illi ætati congruentem formam, optat illi, ne ſcilicet vnquam ſenectutis hiems & glacies floridam illam ætatem marcidam efficiat, ſed ſic ipſi perſeuerans, perpetuóque vernans, adoleſcentia & pulchritudo, *ſurge*, inquit, *Aquilo*, id eſt, amolire hinc ſenectus frigida, fuge longiùs. *veni Auſter*, id eſt, ſemper veni, ſemper aſpira iuuentus callens, *perfla hortum meum*, hoc eſt, ſponſam horti in morem florentem, *& fluent aromata eius.* Iuniores fœminæ ſolent ſe pigmentis & vnguentis excolere, anus curam iſtam abiiciunt, & cultum aſpernantur. Precatur igitur ætatem illam vernantem diu illi adeſſe, vt diu etiam perduret cultus ille, ac regno adepto in æuum potiatur.

Cæterùm, ni fallor, perſtat Salomon in eadem ſententia, & qualiter ſponſæ, quæ in gynæceo & domo fœminarum eatenus fuerat, pigmentis & vnguentis ſeſe imbuens atque excolens, iam tunc poſt nuptias in apertam lucem exire, & ſuam pulchritudinem foras oſtentare fas ſit oſtendit. Nam, vt initio præmiſi, hiemalis Aquilo abdit, conſtringitque ſegetes; nec ſinit emergere; contrà vernus Auſter ſoluit & laxat. Ait ergo ſponſus. *Surge Aquilo*, diſcede, inquam, tu, qui glacie tua tellurem coërces, &

prohibes,

prohibes, ne segetes, aut flores erumpant, valeat scilicet præterea vitæ conditio, quæ puellam meam occultabat, & intra penates abditam asseruabat. Veni *Auster, perfla hortum meum.* Adspira, inquam, tu qui terram aperis, soluis & laxas, vt segetes flores fructusque progerminent: noua videlicet conditio & nouus status succedat, qui sponsam è penetralibus, in quibus delitescebat, in lucem educat: & fluent aromata eius, id est, vnguenta & pigmenta, quibus ad nuptias sese excoluit, iam nunc quasi hortus aromata exudans fragrantiam, & odorem suum latè spargat.

Quid plura? non caret etiam emphasi vox *theman*, quæ pro Austro, in primitiuis subest, & id significat quod in dextram manum recedit, vt nuper dicebam, vt proinde dici queat sponsus Sulamiti suæ, non solùm properam fortunam annos multos & liberiorem vitam his verbis precari, sed etiam locum sponsæ ac reginæ proprium illi, veluti inaugurari nomine Austri, vt scilicet ad Regis dexteram in æuum sedeat, iuxta illud, *Astitit Regina à dextris tuis*, &c.

CAPVT QVINTVM.

Vers. 1. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

VENIAT. Septuaginta, *discedat* in hortum suum. Septuag. *in hortum meum fructum pomorum*, Hebr. *delitiarum*; Septuag. *nucum*, quas lectiones suprà in concordiam adduxi.

Communis expositio est facilis, nam cùm sponsus Sulamitem similitudine petita ab horto concluso, muro, & seris munito commendasset, ad mentem illius responsum offerens, ait, *veniat dilectus meus in hortum suum*. quibus verbis venustè facit sui copiam, quasi dicat: Ego hortus, aliis concluſus; sed tibi vni sponsæ reseratus & recluſus, atque adeò integrum erit tibi tuum in hortum inferre pedem, vti iure tuo, atque omnibus, quæ in illo continentur, liberè perfrui.

Ego verò, qui contextum huius sensus historici numquam non curo, & inquiro, de sententia huius loci aliud iudicium fero; nam cùm aliàs non semel dixerim, nuptias istas in horto ac domo hortensi extra vrbem celebrari, ac sponsos per dies nuptiales, ex horto ad vrbem progredi, & ex vrbe ad hortum redire solitos, iuxta patriam consuetudinem, vt in Isagoge huius commentarij *cap. 6. & 7.* fusè probaui, & in toto discursu istius Cantici manifestum fit, sic interpretor. Sponsa, quæ ab sponso suo sub illa similitudine & comparatione horti irrigui, atque omni arborum & aromatum genere consiti, tot magnificas laudes & encomia audierat in hoc versu, sermonem aliò deriuans, & quasi commendationes suas dissimulans, vel ex quadam dissimulatione eludens, sic ait: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Quasi dicat: Dies iam ad vesperam vergit, atque adeò tempus instat, quo sponsum meum ex vrbe ad hortum, vnde primo manè exiuimus, redire oportet, quia nimirum omnem nuptialem actionem huius diei, propriam de more expleuimus. *Veniat*, inquam, *in hortum suum.* Sed quonam modo ipsum venire oportebat? non dubito reditum istum vespertinum ex vrbe in syluas eadem pompa & apparatu perfici solitum, quo progressus matutinus peragi solebat, sponsi nimirum amicis ac sodalibus, satellitium & comitatum præbentibus. Ideò in sequenti versu, illis altera cœna exhibita dicitur, quæ inter nuptiales tertia est, vt statim dicemus. hanc interpretationem comprobant ea, quæ sequuntur verba; nam cùm sponsa dixisset: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, continuò sponsus occurrit: *Veni in hortum meum*, &c. Dubitandum verò non est eundem hortum, quem sponsa *suum*, id est, sponsi esse affirmauerat, ab sponso statim, *meum* appellari. hîc autem de illo horto vero, & minimè adumbrato loqui, in quo nuptiæ agebantur, certo certius est, vt statim patebit.

Quamuis sine iniuria contextus ac sensus historici, fas etiam sit dicere Sulamitem hisce verbis: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, de vtroque horto loquutam fuisse,

dq

de illo ſcilicet typico horto, cuius nomine & comparatione ipſa ab ſponſo cohoneſtata fuerat, illi ſuadens, vt eo, qui aliis omnibus interdictus erat, ipſe perfrui vellet, guſtans, ac reguſtans ea omnia, quæ in ipſo grata & delectabilia videbantur: & ſimul etiam de vero & naturali horto ſermonem feciſſe, eidem ſponſo denuncians, vt ad hortum, domúmque hortenſem quamprimum rediret. & omnes, quos eiuſdem horti tellus afferebat fructus, guſtaret; nimirum pomorum nomine cœnam nuptialem intelligens, accepta parte pro toto, ſicut infrà eandem cœnam, mellis, lactis ac vini nominibus ſponſus deſcripſit, vt paulò pòſt in ſeq. verſ. conſtabit.

Comedet fructum pomorum ſuorum. Quid huius adumbrati horti poma ſibi velint, ſuprà dixi, ad illa verba, *emiſſiones tuæ, paradiſus*, &c. *ſuorum*, id eſt, quos illi acceptos refero, omnia ſcilicet ornamenta nuptialia; nam hæc, ſponſam à ſponſo accipere ſolitam compertum eſt.

Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo: comedite amici, & inebriamini chariſſimi.

Veni, vox præteriti, non imperatiui, Septuaginta emphaticè *introiui*. *Meſſui*, Septuaginta *vindemiaui*, quia Hebræi, cuiuſlibet generis hortos, vineas appellant, & quoſlibet inde fructus, decerpere, vindemiare: vox originalis, *decerpere*, aut *colligere*, in vniuerſum ſignificat.

Comedi fauum meum cum melle meo. Septuaginta, *panem meum cum melle meo*, id eſt, mellitam placentam, aut certè panem melle ruſatum & aſperſum. Symmachus, *depaſtus ſum ſyluam meam*, parum aptè. Hebræa vox יערי fauum ſignificat. Rabbi Salomon; *cannam meam cum melle meo*. id eſt, ſaccharum in canna, aut calamo.

Vinum cum lacte meo. Abenezra pro lacte quoſdam, ait, *candorem* illum accepiſſe, quem vinum deſpumat: meliùs diceret, ſi *vinum cum lacte*, vinum candidum expoſuiſſet. Sic Chaldæus, & ex Rabinis aliqui; ſatius tamen hæc eſt diſtinguere, vt fert communis Patrum conſpiratio.

Comedite amici. Hebraicè רעים *rhaim*, Septuaginta, πλησίοι, id eſt, *proximi*, & quidem רע Hebraicè *amicum* ſonat, aliquando etiam *coniugem*, Hieremiæ 3. *quomodo ſi contemnat mulier virum ſuum*, &c. & quoties amicam ſuam vocat, ſponſus Sulamitem, in originibus eſt רעה *rehah*, vbi pro amica, ſponſam intellige.

Et inebriamini chariſſimi. Symmachus ἀδελφιδοί, id eſt, *fraterni*, Hebraicè דודים *dodim*, alij, *inebriamini amoribus*, aut vberibus. Et quidem pro dicendis infrà, animaduertere oportet, ſodales ſponſi aliàs in hoc Cantico, tam primo, quàm 8. cap. non *rehim*, aut *dodim*, ſed חברים *chabarim*, fuiſſe nuncupatos, quin potiùs illis nominibus *rah*, & *dod*, ludere inter ſe ſolitos, ſponſum atque ſponſam.

Ergo iſta verba, vt alia dimittam, triplicem ad ſenſum vocari poſſunt: primus eſt recentiorum quorumdam, qui ſic habet: Adornârat, inquiunt, ſponſa ad nuptias myrrhas, vnguenta, mellitas placentas, aut fauos melleos, vini & lactis copiam, quod ipſa facile declarat *cap.* 2. cùm ait, *fulcite me floribus, ſtipate me malis*. Vbi non fruſtrà quidam placentas, alij lagenas mero plenas, alij vnguenta conuerterunt, vt ſcilicet ea omnia currui geniali imponeret, in quo ad domum ſponſi traducenda erat, vt ex his turbã oblectaret. Id verò luculentiùs probari exiſtimant verbis Theocriti *in Idyllio* 16. vbi de lecto Adonidis verba faciens, ſic ait: Arſinoë multifariis donis ornat Adonidem, iuxta eum matura iacent quæcumque ferunt arborum apices. Adſunt & molles hortuli incluſi calathis argenteis & aurea alabaſtra, plena Syreo vnguento & ciborum, quidquid mulieres in ſartagine parant. Miſcentes varios flores vnà cum alba farina, quæque fiunt in dulci melle, quæque ex liquido oleo. Hæc ille, quæ de lectica geſtatoria, qua vectus Adonis per vrbem ferebatur, ad oſtentationem genialem accipi debere exiſtimant, quam ſcilicet Arſinoes illis inſtruxerat donariis, vt inde in turbam ſpargerentur, ad oblectationem ſpectatorum. At ne quis putet morem iſtum ex humanis & prophanis litteris tantùm; atque adeò minus ſolidè exquiri, illum confirmari autumant, ex illis verbis Pſal. 76. *Aſcendiſti in altum, cæpiſti captiuitatem; accepiſti dona in hominibus*. quem Pſalmum inter Epithalamia numerandum eſſe affirmant, ac proinde exiſtimant ſermonem eſſe de his donis, quæ ſponſus curru geniali vectus in vulgus mittebat.

His

His autem acceptis locum istum edisserunt ad hunc modum: *Veniat in hortum meum*, &c. id est, hortus iste meus typicus satis fructuum, vnguentorum & aliorum prouentuum, mihi suppeditauit. *Messui* quippe *myrrham meam, cum aromatibus meis.* &c. Sponsa mea tanquam hortus quidam vberrimus fructus, vnguenta, placentasque ex melle, lacte atque oleo confectas, aliaque huiusmodi munera mihi donauit. quæ propterea mea voco, quia mihi dedit, & quia quidquid illius proprium est, meum est: vinum etiam generosum mihi exhibuit, vt hæc omnia amicis & sodalibus impertirer. Huc spectant sequentia verba: *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Sed quomodo hæc ab horto, vel potiùs ab sponsa sub horti similitudine accipi potuerunt? Subiiciunt, quia prædictus hortus omnia aromata afferre fingitur, ex quibus vnguenta condiuntur, mellis etiam & fauorum copiam ex aluearibus, oleumque ex oliuetis, lac ex gregibus, similem denique ex frumentis exhibere dicitur: nam hos omnes prouentus prædium rusticanum reddere solet suis cultoribus, ac proinde illos in sua Sulamite, tanquam in horto, aut prædio feracissimo inuenisse dicitur sponsus.

Sed mirum est quantum abhorream ab hac nouitate, quæ non paruam violentiam affert contextui; & sanè Theocritus in suo Idyllio, non lecticam gestatoriam Adonidis, sed lectum, aut torum tricliniarem ad conuiuium instructum, me iudice, expingit, cui omnes illos arborum fructus mellita, bellaria & vnguenta pretiosa & flores varios ab Arsinoë imposita fuisse dicit, vt his oblectaretur Adonis iuxta morem gentis: quæ, teste Athenæo, eiusmodi fructus vnguenta, flores & bellaria sicca non mensis, sed toris epularibus imponere solebant; vt his promptiùs vescerentur, ac fruerentur conuiuæ. Item verba Psalmi, *Ascendisti in altum*, &c. quamuis in nuptiis, etiamsi propter nuptias dicta sint, dona tamen quæ ibi ab sponso in homines impensa dicuntur, non flores, non poma, non vnguenta erant, sed numismata, vel alia quæ turbæ auidiùs arripiebant in pompis nuptialibus.

Secunda ergo expositio nomine *horti* sponsam quoque intelligit, quæ typicus & metaphoricus hortus existit. Sententiam verò sinceriùs conformat ad hunc modum: *Veni*, inquit, *in hortum meum*. id est, adiui iam, & introiui, aliis clausum, & mihi soli reseratum hortum, & quidquid in horto deliciarum est Libani. *Messui nimirum myrrham meam cum aromatibus meis*, &c. Sed quæ sunt ista? succedant memoriâ ea, quæ superiori capite *vers.* 10. & 11. dixerat sponsus, videlicet vbera sponsæ omni generoso vino suauiora vestimentorum odorem super omnia aromata; labia ad instar faui stillatis obtinere; demum lac & mel sub lingua illius esse. Hæc igitur modò colligit, perstringitque sponsus, & ait: *hortum* meum ingressus, nimirum sponsam adiens meam, *messui myrrham meam*, id est, hausi odorem vestium & vnguentorum fragrantiam: *comedi fauum cum melle meo, & lac similiter ebibi*, hoc est, mellita verba & blanditias è labiis & lingua fluentes degustaui, vinum quoque vberum meraciissimum potaui, id est, amplexus iucundos quamdam amoris ebrietatem adducentes adstrinxi.

Comedite amici, & inebriamini charissimi. Præmissam expositionem reddunt difficilem ista verba; tamen si quis expendat verba primæua & originalia, hanc euincet difficultatem. Nam, vt initio obseruaui, haud ineptè dici potest, in hoc loco de illis amicis & sodalibus non agi, quos aliàs *chabarim* nominat Salomon, qui videlicet in nuptiis sponsum stipabant, & illi semper aderant (hîc enim non *chabarim*, sed *rehim* & *dodim* legimus:) quæ nomina in se inuicem iactare solent sponsus & sponsa; quapropter fas est dicere, hæc verba, quæ planè abrupta sunt, & à superioribus diuisa, esse chori & puellarum ad duos sponsos, quibus suadent vt vter alterutro fruatur iucundè, voluptatem inuicem ad satietatem vsque, captantes ex mutuis colloquiis, & mutuo conuictu. Integrum quoque est, dicta verba sponsæ tribuere. Tunc verò affirmare oportet sumptum numerum multitudinis pro singulari, vt Hebræi de more habent, Quasi dicat: *comede amice, & inebriare charissime*, hoc est, quandiu illa tibi placuerunt comede, & affatim exsatia amoris auiditatem & sitim. Et quidem habet hîc suam emphasim numerus pluralis pro singulari, significat enim liberalem & profusum amorem, quo sui copiam sponso facit Sulamitis, non enim quæ illi placuerant, parcè erogat quasi vni, sed quasi pluribus, & id non auarè, sed ad satietatem vsque. Tum præterea quotquot hîc horti nomine sponsam ipsam intelligendam esse dicunt, (sunt autem plures) hæc verba adimere coguntur sponso, ne videatur suæ Sulamitis profusus erogator.

Præmissa quoque expositio ideo non placet, quia à reliquo contextu aliena est.

Tertiam

Tertiam igitur, & germanam huius loci interpretationem subiicio, quæ sic habet: Recurrat memoria ad ea, quæ de cœnis genialibus singulis nuptiarum diebus, ad vesperam, nocte iam ingruente, in hortensi domo, vbi celebritas nuptialis agebatur, exhiberi solitis, vt in Isagoge *cap.6.* & in repræsentatione textus in singulorum Epithalamiorum summariis non perfunctoriè probauimus, frustrà hîc repetam, quæ toties inculcaui, scilicet omnia Epithalamia vespertina, quæ ad hoc Canticum componendum accedunt, in cœnam desinere, & statim sponsæ somnum insequi, vt in singulis videre est. ergo sponsus, qui in superiori versu à Sulamite audierat illa verba, *Veniat dilectus meus in hortum suum*, quibus illum de reditu in hortum monuerat, quia ita poscebat nuptialis ritus & celebritas, & quia ipsamet sponsa, latere atque oculis turbarum intuentium, sese eripere, iam desiderabat, sic illi occurrit: *Veni in hortum meum*, &c. Quasi dicat: haud necessum est reditum nostrum in hortum maturare; nam quidquid ad cœnam genialem expedire oportet, iam à me comparatum est, &c. Hanc verò cœnam bucolicè describit, sed elegantissimè, ad hunc modum: *Veni*, inquam, *in hortum meum*. id est, ego quidem iam in hortum meum veniens, vel in hortum meum ingrediens, *messui myrrham meam*; quia videlicet hic erat ad sternendos cœnaculi toros necessarius, de quo suprà *cap.1.v.14.* vel certè vnguenta expressi myrrhina ad conuiuas perfundendos: *comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*, id est, fauos ex aluearibus decerpsi, vinum quoque ex doliis generosum hausi, lac similiter emunxi ad conuiuium; nam in horto, quem aliàs non semel vineam appellat, aromata consita, aluearia sita, & vini etiam apothecam defossam cogitare oportet.

Itaque sponsus stylo pastoritio ludens, hæc omnia, scilicet myrrhas, vina, mella & lacticinia iam comparata & adornata esse dicit ad cœnam nuptialem ea nocte exhibendam, atque his rebus omnem conuiuij apparatum, delitias & oblectamenta genialia, quæ Regem decet, complexus est. Cui adsimile est illud Maronis *Ecloga 1.* vbi cœnam & dapes, quas Tityrus Melibœo obtulit, sic bucolicè descripsit,

Hîc tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
Fronde super viridi, sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis, &c.

Hîc verò subintelligere oportet, sponsos & pompam omnem nuptialem ex vrbe ad hortum sub noctem rediisse, amicis & necessariis stipantibus, atque conuiuium, seu cœnam genialem, in hortensi domo iam expeditam, (vt sponsus prædixerat) inuenisse. Hic ergo sic ad conuiuas; *Comedite amici, & inebriamini charissimi*, id est, epulamini, & vini quoque satis est, atque adeò neque epulis, neque vino parcite, sed his potiùs ad saturitatem indulgete, nihil enim gratius esse solet ei, qui conuiuas vocauit, quàm vt hi auidiùs cibos sumant, & calices exhauriant, cogitandum.

Adde etiam caulas defixas fuisse, in quibus capræ, aut oues mulgebantur. verba autem, *comedi* & *bibi*, eo sensu capienda sunt, quo sensu etiam Hispanè dicimus, *catar las colmenas*, id est, fauos ex alueolis depromere, *catar las tinajas*; hoc est, dolia delibare, & deinceps ad hauriendum proponere. Addit statim, *comedite amici, inebriamini charissimi*; suadet autem vt oblatas sibi escas auidè sumant, & vini plurimum exhauriant, fauos nimirum, vinum & lac necessariis & familiaribus profusè donans: *comedite amici, & inebriamini charissimi.*

Vers.2. Ego dormio, & cor meum vigilat.

SONVS ALLEGORIÆ.

HÆc verba plures ex recentioribus sequentibus annumerãt, & inde nouum drama exordium capere contendunt. Gregor. Nyssenus cum antecedentibus coniungit; cui ego libentissimè assentior. *ebrietatem*, inquit Nyssenus, *sequitur somnus his, quorum per concoctionem digesta fuerit ad bonam habitudinem ciborum facultas. Propterea post illud epulum, sponsa tenetur somno.* Et sanè cùm quater sponsæ in hoc Cantico somnus irrepsisse dicatur, semper id fuit à cœna & epulis, vt suis locis videre licet *cap.2. vers.5. cap.3. vers.5.* in hoc loco, ac demum *cap.8. vers.3.* Inde autem intelliges, quàm similes exitus habeant semper Epithalamia vespertina, quæ ad somnos cõciliandos pangebantur, semper enim desinunt in somnos.

Rabbi Salomon extrema illa verba, *& cor meum vigilat*, sponso adscribit, quasi dicat: Ego somno soluta sum, at sponsus meus vigil perseuerat; sponsum autem cor suum appellat, vt est amantibus solenne. Reliqui verò interpretes vtramque partem sponsæ accommodant ad hunc modum: Ego dormio sopore victa, sed animus meus in somnis est, quem videlicet metus, aut curæ in vtramuis, vt aiunt, aurem dormire non sinit, nam metus & curæ somnum irrequietum vigiliæ similem, imò vigilia ipsa grauiorem reddere consueuerunt.

Sed siue de sponso altera pars capiatur, siue vtraque ad sponsam referatur, in eo peccant recentiores interpretes, quòd ista verba cum sequentibus coniungentes sponsam de absentia sponsi solicitam inducunt. Ego enim præsente adhuc sponso verba illa à Sulamite, dicta fuisse arbitror, quam post cœnam & epulas semper inuadebat somnus, cùm sponsus adhuc vigil perstaret, cuius rei argumentum inde sumitur, quia semper illa iam dormiente sponsus puellis canentibus præmissa adiuratione, per capreas ceruosque camporum silentium indicit, & cantilenas in matutinum tempus differre iubet. Quapropter si posteriorem partem illius carminis sponso demus, talis erit sensus. *Ego dormio, & cor meum*, id est, sponsus meus, *peruigilat*, quasi dicat: priorem me somnus inuasit, quàm sponsum. quibus verbis, & sic obscurè, profitetur se in disceptatione, aut pugna epulari superatam fuisse à sponso. Qualis verò esset ista pugna, *cap. 2. vers. 3.* latè exhibui. Nunc verò breuiùs perstringam, in conuiuiis nuptialibus sponsi inuicem mutuis propinationibus se prouocabant, vel lacessebant, hoc modo: Maritus bibens vxori precabatur salutem, illa verò adigebatur ad bibendum, & marito salutes reciprocas precandas. Huius pugnæ meminit Ecclesiasticus cap. 9. *Cum muliere aliena ne sedeas omnino, nec accumbas cum illa super cubitum, nec alterceris cum ea in vino*, &c. quasi dicat: hæc tantummodo cum propria vxore licent, cum aliena omnino interdicta sunt. & *cap. 31.* sic habes: *Diligentes in vino, noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.* vide plura *loco citato*, vbi etiam videbis sponsæ ebrietatem bonum ad sensum trahi posse. Repeto etiam Nysseni verba suprà citata: *ebrietatem sequitur somnus, propterea post illud epulum sponsa tenetur somno.*

Cogita ergo sponsam, ex propinationibus sponsi sui ad ebrietatem adductam fuisse in isto conuiuio, & inde somnum illi irrepsisse. ergo cùm ait: *Ego dormio, & cor meum*, id est, sponsus meus, *vigilat*, perinde est, ac si dicat: In vini altercatione cum sponso meo in conuiuo inita victa sum. Ecce ego vino obruta iam edormire cogor, ipse verò vigilat. Hebraica vox emphasim habet ער *gher*, id est, excitatus est & erectus, non dum corruit vino pressus superauit ille: ego victa manus do, & somno me lubens trado.

Quòd si pars vtraque carminis sponsæ tribuatur, quod non ita probo, dicemus sponsam ideò se dormiente cor suum vigilias agere dixisse, vel quia metus angebat animum, ne sponsus se subriperet, & in syluas discederet, vt greges de more pasceret, & nocturnas vigilias super illos ageret, iuxta ea, quæ diximus suprà *cap. 2. vers. 16.* Vel aliter, quia nimirum ea ratione sponsum continere voluit, ne abiret, dicens, se quidem dormire; tamen ita leuem somnum agere, vt facilè abeuntem sentire posset; nam hunc sensum reddere possunt illa verba, *& cor meum vigilat.* sic videlicet dormio, vt ad instar vigilantis obtineam. id est, ita leuem & minimè profundum somnum capio, vt nihil à vigilia differat.

Explicit autem hîc Quintum Epithalamium vespertinum, quod certè cohibet ea, quæ sponsum ad ducendam & præferendam sponsam, impulerunt, oculos, crinem, vbera, vestes, vnguenta & alia eiusmodi. Rursus etiam continet nuptialem cœnam exhibitam necessariis & familaribus, desinit tandem in somnos sponsæ, sicut reliqua vespertina.

EPITHA

EPITHALAMIVM SEXTVM MATVTINVM, PRIMO MANE quartæ diei nuptialis decantatum.

HOC Epithalamium continet multa notatu digna, quæ in Isagoge animaduertimus, & hic etiam perstringenda sunt. Huius Cantici structura, & nuptialium dierum distributio & partitio, (vt aliàs non semel monui) ad velationem & reuelationem sponsæ præcipuè spectat. Nam virginum nubentium præcipua cura erat, ne subitò pudorem abijcere, & coniugatarum habitus, mores & licentiam assumere videretur; eapropter sponsa pudori consulens suo, cùm illi è domo exeundum est, difficilem se præstat, & faciem reuelare, populóque videndam offerre recusat. Vide quæ diximus suprà cap. 1. vers. 15. & cap. 2. vers. 10. & 14. & cap. 4. vers. 1. & in Isagoge cap. 6. § 5. ex quibus constat, sponsam, die primo nuptiarum, velo, seu pallio crassiori tectam sponso traditam, itavt ne ipsi quidem sponso faciem illius aspicere liceret. Ac subinde secunda nuptiarum die, hoc velo crasso & cæco deposito, flammeum subtilem ac tenuem accepisse compertum est, quo tecta, ab sponso quidem propiùs intuente, facies sponsæ videri subobscurè poterat, alijs verò omnis videndi copia adempta erat; hoc autem flammeo operta Sulamitis tertia die nuptiali ad vrbem, & ad templum progressa est, vt locis nuper citatis ostendi. Ergo quartum diem ingressi, cùm iuxta morem patrium & connubialem ritum ad vrbem redire, velum omnino abijcere, & faciem apertam & reuelatam populo ostentare opus esset, ne id sponte sua cum aliquo pudoris detrimento facere videretur: Salomon huius Cantici auctor, elegantißima parabola assumpta, per quandam quasi poëticam fictionem ita rem narrat, vt nihil contra sponsæ modestiam suspicari fas sit: ait enim illam pallium illud subtile, quo iam vtebatur, non voluntariè deposuisse, sed ab excubitoribus per vim ipsi ereptum, & ita demum factum, vt in turbam fœminarum incidens, ab ipsis sic palàm visa fuerit, vt illam vndique contemplari, & aspectu illius exsatiari liberè potuerint.

Ergo Epithalamium istud continet, primò excitationem matutinam sponsæ à voce sponsi ex syluis & custodias regum redeuntis auribus eius insonante, & postes domus repetitis ictibus pulsante. Secundò obsistit Sulamitis sponso suo ipsam ad exitum ex interiori domo, in qua inclusa erat, prouocanti: obsistit, inquam, non ex ignauia, aut pigritia, sed pudoris gratia, eas scilicet causas ostendens, atque obijciens, quæ illam apud sponsum purgare possent. Tertiò, continet reuelationem sponsæ, non sponte factam, quasi ipsa volens ac libens flammeum deposuerit, sed quia illam ad vestigandum sponsum antelucano tempore ad vrbem progressam, milites excubitores, per vim pallio spoliarunt; sic enim pudori sponsæ melius consultum est à Salomone. Quartò, cùm sponsa manus excubitorum fugiens aperta facie, in turbis fœminarum incidisset, & ab his de sponso suo edoceri voluisset, illis signa postulantibus, luculentam illius descriptionem adiecit. Quintò, cùm à puellis Hierosolymitanis, vbi nam sponsus esset, discere non potuisset, iterum ad hortum & domum hortensem recurrit; cumque sponso suo ad eum modum pallio, seu flammeo spoliata occurrisset, eius formam & speciem, quam iam tunc sine vmbris, aut nebulis intueri licebat, collectis omnibus lineamentis iterum describit. Sextò, in eadem die, sponsa, suadente sponso, facie detecta & conspicua, iterum pompicè ingreditur in vrbem, ad ostentationem pulchritudinis suæ, ita enim consuetudo

ſuetudo ferebat nubentium, vt mariti intra dies nuptiales vxorum ſuarum formam & pulchritudinem turbis ac multitudini exhiberent, vt infrà oſtendam cap.6. vers.9.

Turbæ igitur Sulamitem flammeo ſpoliatam eius faciem apertam membrorum omnium elegantem compoſitionem, & ornatum cominus conſpicientes, illius quoque formam, membra & lineamenta omnia eleganti oratione depinxerunt. Denique Epithalamium iſtud claudit diſceſſus ſponſi ab ſponſa, & pactio concepta de reditu veſpertino, hic enim finis eſt cæterarum cantilenarum nuptialium, quæ Matutinæ *dicuntur.*

Hæc eſt contextura & ſeries huius Epithalamij, quæ tota ſpectat ad reuelationem ſponſæ, & publicam oſtentationem pulchritudinis illius, quam ſic Salomon poëtica quadam compoſitione, ſeu fictione contexit, vt omnia incolumi ſponſæ pudore facta credantur, dum hæc non ſponte ab ſponſa, ſed ex quadam neceſsitate, rebus ipſis ita exigentibus, præter ipſius ſponſæ intentionem ac voluntatem, peracta fuiſſe declarat.

Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

Vox dilecti mei pulſantis, &c. Hebr. דופק *dopek*, Abenezra conuertit, *arctantes ſe ad oſtium*, id eſt, *flores impellentis*, vel, ſi placet, ex conſuetudine amantium dictum eſt, qui ad oſtia amicarum per noctem hærere ſolent. Eſt autem hæc excitatio matutina ſponſæ, à qua initium accepit Epithalamium ſextum, ſimilis ei, à qua inchoatum fuit ſecundum, ſuprà cap.2.vers.8. *Vox dilecti mei: ecce iſte venit, ſaliens in montibus*, &c. Sunt etiam omnino æqualia ea, quæ ſequuntur. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea*, &c. & quæ ibi leguntur. *Surge, propera amica mea, columba mea*, &c. niſi quòd ibi *perfecta*, hîc *immaculata* vocatur; ſed vox originalis eadem eſt vtrobique. Ea propter Pagninus conuertit, *integra mea*, Septuaginta, *perfecta mea*, vt vel ex eo intelligas, quàm idonea ſit iſta diſtributio. Lege plura quæ in eum locum coniecimus.

Quia caput meum plenum eſt rore. Dubium an ros, & quæ ſubinde vocantur *guttæ noctium*, ſint ſynonyma? Rabbi Salomon hæc diſtinguere videtur, nam roris nomine cœli ſudores intelligit, qui ſereno tempore primo manè defluens virentes campos ſuffundit; per guttas verò noctium imbrem intelligit, qui per noctem nubilo cœlo decidit. Sed dices: hęc tam oppoſita ſunt, quàm cœlum ſerenum & nubilum, atque adeò non potuerunt eodem tempore caput & crines ſponſi rore ſimul & pluuiâ infundi. Occurrit Rabinus, affirmans hæc ſucceſſiuè facta, vt ſcilicet priùs rore, deinde imbre, caput & comæ ſponſi perfuſi fuerint: ſed non probo. Hæc autem vocabula ſic interpretor, vt nomine *roris*, vel pluuiam accipiam, quæ nubilo cœlo, vel ſtillicidia, quo ſereno ac ſudo decidere ſolent, & ſponſi caput & comas per illud tempus adſperſerant, vtraque enim ſignificatio in ſacris litteris familiaris eſt. in Cant. Moſis: *concreſcat in pluuiam doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum*; vbi *ros* & *pluuia*, ſynonyma ſunt, & alibi paſſim; per guttas verò eas intelligo, quæ ex capite & cincinnis eiuſdem ſponſi, rore, vel pluuia perfuſi guttatim defluebant in terram, ſic enim ille meliùs exaggerat incommoda, quæ ea nocte ſub dio manens perferebat.

Cincinni mei, Hebr. קבצות *kebāſoth*, id eſt, *cohæſiones*, aut *plicationes* capillorum, non enim inſolens antiquis Hebræis, vt viri capillos fluentes & promiſſos torquerent, atque in crines colligerent, ſicut de Samſone aliàs diximus, quòd Nazaræis potiſſimum ſolenne fuiſſe credo; nam cùm hi comam alerent, & intonſi manerent, ne capilli in faciem & in oculos fluerent, eos quidem complicatos & contortos in caput colligebant. D. Chryſoſt. *Hom.*4 ex variis in Mathæum locis ſponſum Nazaræum fuiſſe ex hoc loco probat, ſed cùm aliàs ipſemet ſponſus dicat: *Bibi vinum*, &c. longè certè abfuit ab hac profeſſione, atque adeò locus iſte ſolùm probat, ſponſi comam floridam fuiſſe, ac proinde cincinnos longos & promiſſos habuiſſe. Adde etiam ſponſum caput apertum afferre, de more gentis ſuæ, ac proinde eius cæſariem ex rore defluente compleri potuiſſe, non enim probo eorum coniecturam, qui affirmant eum fuiſſe habitum obſecrantis & ſupplicantis, quaſi ad eum modum operto capite ad ſponſam obſeruandam deprecabundus veniret.

Miſſam

Missam facio quorundam recentiorum sententiam, qui sponsæ nuptias & amores hinc auspicari volunt, & inde sumi totius Epithalamij cursum affirmant. nam licèt ordine dramatico (inquiunt) hæc sit scena 5. tamen ordine historico prima est; fingunt enim hi Doctores, Sulamitem curru geniali vectam, quem *cap.* 3. descripserat, in domum sponsi moueri, atque dum pompa excurreret, quid sibi à principio amoris euenerit, narratione suaui sponso commemorare. quomodo videlicet ipse sponsus primò domum adierit fores pulsari, &c. imò existimant hanc historiolam narrari cœptam initio capitis 3. cùm Sulamites sponsum à se quæsitum in lecto, & post multum temporis & laboris tandem inuentum affirmat: nunc verò in hoc capite multa subiicere, quæ in ea narratione prætermissa sunt. Et quidem, si verba pendantur, satis ipsa produnt narrationem rei præteritæ continere, quod fortasse prædictos auctores in eam sententiam impulit, quæ, vt aliàs diximus, non paruam violentiam affert contextui.

Rursus illos etiam prætereo, qui cùm verba illa superioris Epithalamij, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ad sequentem narrationem euocent, dicunt sponsam illis verbis significasse sibi inter dormiendum, per insomnium, hæc omnia euenisse, nam spōsum in vrbem ingredi, militibus excubitoribus occurrere, & ab his pallio expoliari, à ratione ab sponsorum grauitate ac moribus alienum ipsis videtur; ea propter hæc, & alia, quæ sequuntur, non re ipsa facta, sed inter somniandum obiecta & repræsentata, ipsi fuisse autumant; sed huic similiter interpretationi nihil defero.

Ergo his prætermissis, de germano sensu huius loci & de contextu illius cum antecedentibus, sic statuo. Dixi nuper in superiori vers. sponsam, conuiuio peracto, sopore victam fuisse, sponsumque ipsa dormiente in syluas de more ad greges pascendos discessisse; inde autem, maturius solito, rediisse, summo nempe manè aurora appetente, cùm ros è cœlo defluus, terram infundit: cur verò sponsus dormiente Sulamite discedat semper, aliàs dixi, ne videlicet, si sponsum & sponsam in eodem lecto componeret, turpe aliquid legenti veniret in mentem, nam liber iste abhorret longissimè ab omni turpitudinis suspicione. vide in Isagoge *cap.* 5. *& cap.* 3. *vers.* 1.

Cæterùm in præfatione huius Epithalamij, id quoque obseruatione dignum adieci, hæc nimirum per quandam quasi fictionem poëticam, satis elegantem à Salomone dictata. Nemo autem nescit, poësim in narrationibus liberiorem esse, atque adeò quædam etiam in his miscere, quæ fidem superant, & quæ licèt re ipsa nequaquam euenerint, tamen affectus, animorumque motus eorum, qui res agunt, insinuant, & orationi splendorem afferunt. Atque adeò necessum non est ad insomnia confugere, vt hæc sponsæ historia concinnè admodum à Salomone conscripta sit, quæ libertas, aut licentia in parabolicis narrationibus frequentior atque vsu familiari tritior est, quod legenti Christi Domini, & aliàs Scripturæ sacræ parabolas compertum erit. Ita ergo historia hæc nectenda est, & textus poëticè ordinandus, sponsus simul fores concussit, & vocem intendit, surrexit sponsa, aufugit ille, fugientem insequuta est, inuaserunt milites insequentem, vexarunt, vulnerarunt, vexata, & vulnerata clamores edit, quibus excitæ fœminæ concurrunt, vt clamanti succurrant. Tunc illæ rogant clamoris causam? quibus occurrit Sulamites, rem totam vt euenerat enarrans, & ab hac narratione sumit auspicium sextum Epithalamium, quod matutinis, seu excitatoriis, annumerandum esse, ipsa verba testantur.

Vox dilecti mei pulsantis. Quasi dicat, cùm somno indulgens iacerem in lecto, crepuerunt fores, pulsante sponso, & talis deinde vox perlata est ad me: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Quàm blanda deprecatio, quàm mellita verba? quibus omnes colligit rationes, quæ ipsam inducere, imò adigere poterant ad fores recludendas. *Aperi* (inquiunt) *mihi soror mea*, id est, sponsa (id enim sororis nomine significari sæpe aliàs dixi.) quid magis debitum, quàm sponsam sponso fores aperire? deinde cùm sororem, id est, sponsam, appellat, adimit illi dubitandi rationem, ne si procum aliquem esse putaret, ex his, qui nuptarum domos de nocte ambiunt, aperire recusaret. *Amica mea*, id est, quam amo, & quæ me amat, amor est impiger. *columba mea*, iam id ad zelum pertinet, est enim columba zelotypum animantis genus: & quidem fœmina, quæ viro suo venienti ociùs fores non referat, aliqualem suspicionis occasionem illi præbet. Propterea ergo columbam appellat, quo nomine satis ostendit, se erga illam columbinum affectum habere, atque adeò zelotypia vti posse. Demum addit, *immaculata mea*, id est, pulchra, & omni labe carens,

vel *perfecta*, cui nimirum nihil deest. Aliqualem excusationem prætendere potuit sponsa, ne ocius aperiret, quia nimirum vellet sese decenter ornare, & excolere, ni si nuda, aut temerè vestita prodiret, sponso displiceret. Admit sponsus curam istam, dum ait, *immaculata mea*. quasi dicat: Vtcumque, etiam inornatè pulchra es, ne solicita sis de ornamento, vtcumque *immaculata* videberis, ne verearis lautos pedes sordibus intingere, exurge iam, *Aperi mihi sponsa mea*. vide plura *cap.2.vers.*11. vbi ipsissima verba occurrunt, quibus adde ea, quæ subinde diximus *vers.*14. ex quibus pleraque huic loco accommodari possunt.

Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Quasi dicat: si alia non mouent, adigat te saltem commiseratio. En caput meum profusum est deciduo rore, adeò vt è cincinnis guttatim cadat. Simili ratione Naso inducere cõtendit ianitorem, qui puellam obseruabat, vt sibi obseruanti fores recluderet.

Ergo amor & moditum circum mea tempora vinum,
Mecum est, & madidis lapsa corona comis.
Arma quis hæc timeat? quis non eat obuius illis,
Tempora noctis eunt, excute poste seram.

*Vers.*3. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

SONVS ALLEGORIÆ.

EXpoliaui me tunica mea. Pro *tunica*, Hebr. כתנת *chathanath*, quæ vox, teste Mercero, & tunicam & pallium sonat. Pallium, inquam, quo virgines Regiæ vtebantur ante nuptias; erat autem talare ac versicolor, de quo 2.*Regum cap.*13. *vers.*18. dẽ Thamar, quam frater ipsius Amon oppresserat, sic habes: *Quæ induta erat tunica talari, huiusmodi enim filiæ Regis virgines vestibus vtebantur*. hanc verò tunicam post acceptam iniuriam conscidisse, dicitur infrà vers.19. *Quæ aspergens cinerem supra caput suum, scissa talari veste, impositisque manibus super caput suum*, &c. quia nimirum, cùm vestem illam virgines solum gestare solerent, postquam à fratre corrupta fuit, illam meritò conscidit. Vtrobique autem reperitur vox *chathanath*, quam Paraphrastes sic restituit: *& super illam erat tunica filiorum, quia sic vestitæ erant filiæ Regum virgines pallijs suis*. Tunicam autem filiorum intelligo eam, quæ filis non spissis, atque adeò indistinctis, sed raris atque modicè separatis, itavt per rimas, aut maculas, oculos admitterent ad interiorem vestem videndam; hanc verò tunicam, *pallium* appellat Chaldæus, atque adeò nihil dissidere existimo à flammeo, quo nouæ nuptæ vti solebant, hæ scilicet, quæ Regibus copulabantur, quod aliàs ex diuersorum colorum liciis ac filaminibus contextum fuisse diximus. Addit

Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? De lotione pedum, quam sponsa præmiserat ante somnos, non pauca hîc interpretes, qui non eodem modo de hac re differunt. Plures dicunt, sermonem fieri de lauatione pedum, qua in deliciis & lætitia vtebantur tum viri, tum fœminæ. nam sordidos pedes habere summæ ducebatur miseriæ, & eorum proprium erat, qui in squalore, & luctu vitam agebant, iuxta illud Threnorum 2. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui*. & 2.Regum 19. sic habes, Miphiboseth, *filius Saul descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsa barba*. Descendit, inquam, suam miseriam & mœrorem repræsentans, vt ad misericordiam moueret Regem. Alij accommodatiùs ad contextum existimant, Salomonem loqui de lotione pedum, quæ præmitti solebat in lautissimis conuiuiis, cuius meminit Scriptura, *Gen.* 18. *&* 43. *Matthæi* 18. *& Ioan.*13. & alibi. Nam cùm tori, aut triclinia, in quibus decumbebant conuiuæ, pulchris tapetibus, aut culcitris insterni solerent, antequam illà inscenderent pedes eluere, aliquando etiam vnguentis perfundere solebant conuiuæ Hebræi, frustrà in hac tam solenni consuetudine comprobanda tempus & verba exteram. Id tantùm dico, sponsam quæ à conuiuio nuptiali superiori nocte exhibito ad thalamum & ad somnum discesserat, è re nata id proposuisse, sponso nimirum lautos & detersos pedes, quos ad thalamum attulerat, ex conuiuio commaculare nolle.

Sed quamuis hæc à reliquo textu non abhorreãt, aliquid dignius his verbis subesse credo, id verò pendet ex alia Hebræorum consuetudine, inter quos calceamenta fœminarum non parum distingui solebant. Nam virgines innubæ ea gestabant, quæ

pedem

pedem & tibias quoque ſurarum tenus contegebant, & à Græcis cothurni appellabantur; nuptæ verò ſandaliis vtebantur, quæ ſubter ſoleas; ſupra verò corrigias, ſeu lora quædam ſic contexta & confibulata habebant, vt pedis forma & pulchritudo conſpici poſſit, vt in pleriſque antiquis ſimulacris videre licet. Quòd autem ſandaliorum vſus eſſet nuptarum proprius, colligitur ex lib. Iudith *cap.* 11. vbi hæc Heroina ornamenta aſſumens, nuptarum propria, & quæ erant viduarum relinquens, ſic deſcribitur, *exuit ſe veſtimentis viduitatis.* & infrà, *induit ſe veſtimentis iucunditatis, & induit ſandalia pedibus ſuis*, &c. Et de his intelligendus eſt Ezechiel *cap.* 16. vbi numerans ornamenta connubialia, addit, *& calceaui te hyacintho*, aut ianthino, quæ de ſandaliis affabrè elaboratis interpretatur noſter Prado. Virgines autem alio calceamentorum genere vti ſolitas, eadem Iudith atque Ezechielis loca facilè probant, quæ dum ſandalia inter nuptialia ornamenta recenſent virgines innuptas aliam calceorum formam geſtare ſolitas, omnino demonſtrant. Sed quænam iſthæc calceorum forma diſſimilis? Ego ita reor, virgines cothurnis vti ſolitas, quæ pedes, imò etiam ſuras tegebant, vt nuper dicebam. Ita ſuadet Maro *Ecloga* 7.

Puniceo ſtabis ſuras euincta cothurno.

& lib. 1. Æneidos,

Virginibus Tyrijs mos eſt geſtare pharetram.
Purpureoque altè ſuras vincire cothurno.

De huius verò virginei cothurni forma ſic Pollux. *Sunt* (inquit) *calcei caui ad mediam tæniam aſcendentes firmo illigati vinculo.* Itaque virgines pudori conſulentes, ſicut faciem velo & pallio, ita etiam pedes & ſuras cothurno tegebant. Quorſum hæc, paulò pòſt ſubiicio, venio ad ſententiam.

Quidam adeò pigram & ſocordem ſponſam eſſe fingunt, vt etiam poſtquam accepit ſponſi vocem, iacuerit omnino præ ſocordia, nec ſe ad aperiendum expedire cœperit, eas excuſationes prætendens. Alij omnino purgant, dicentes illam pudicitiam obieciſſe; indecorum enim rebar honeſtam puellam nudam, depoſita tunica ad aperiendas fores venire. Prima expoſitio hæc verba ſic accepit vti ſonant, affirmans ſponſam ſponſo aditum ad domum & thalamum eius petenti hæc obieciſſe: *expoliaui me tunica mea*, &c. id eſt, tunicam quam iam exiui, iterum aſſumere operoſum eſt, & pedes quos deterſi, commaculare indecorum reor.

Secunda interpretatio aſſerit hæc verba non pigritantis, nec planè aditum negantis, ſed ſolicitæ de cultu atque ornatu omnino fuiſſe; verebatur enim ſponſa, ne ſi nuda procederet, vel ſponſo diſpliceret, vel labem ſibi inureret impudicitiæ. Deinde cùm nondum dies illuxiſſet, ac lumen non ſuppeteret, erat enim tempus antelucanum, non facilè occurrebat ratio, qua tunicam exutam indueret, & calceos inueniret, ne abluti pedes ſordes attraherent; hæc enim ſolent non minimam curam faceſſere ſurgentibus abſque lucernæ, vel diei lumine, cùm nec veſtes inueniunt, nec inuentæ ſatis aptè cadunt, nec calceos deprehendunt. Hanc igitur ſolicitudinem expreſſit Sulamitis illis verbis: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* id eſt, non ſatis inuenio, qua ratione, in tenebris, eam induere queam. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quaſi dicat: non ſatis video, quo tandem modo calceos aſſumere poſſim, ne lautos pedes commaculem.

Nec verò putes ſpõſam dum hæc diceret hæſiſſe in lecto, ſed ſimul veſtes expedire cœpiſſe, & adieciſſe his verbis morarum cauſam, ne cunctatio longa videretur ſponſo. Quod vnica ratione comprobo, quia niſi ſponſa, ex quo vocem dilecti accepit, ſeſe accingere & veſtes ſumere cœpiſſet, iam tunc eum ſubitò perterrefacta fores adiuit, nuda proceſſiſſet, imò ad ſponſum quærendum progreſſa eſſet nuda, & in militum manus incidiſſet nuda, niſi fingas illam cubiculum repetiiſſe, ſumpſiſſe veſtes, & poſt hæc ad quærendum ſponſum progreſſam, quæ moratio vim magnam adimit affectui; quapropter ſatius erit dicere eam iam tunc poſtquam obaudiuit ſponſi vocem, veſtes ſumere cœpiſſe, & tandem veſtitam proceſſiſſe; cùm verò poſtea dicitur illud: Surrexi vt aperirem dilecto meo, ita intelligendum, non quia tunc ſubitò relicto lecto ſurrexerit, ſed quia tunc demum perfecta re, hoc eſt, aſſumpta tunica, & indutis calceis & pallio, aliiſque ornamentis conueſtita ad veſtigandum ſponſum exterrita prodierit; id enim poſtulat ordo dramatis.

Sed quamuis hæc non inerudita, neque incondita ſint, aliam tamen Salomonis mentem eſſe mihi ſuadent ea, quæ ſuprà præmiſi de tunica, ſeu pallio, & de cothur-

nis & sandaliis. Quid enim causæ fuit, ob quam sponsa veniente, & aditum ad domum postulante sponso, tantam tunicæ inducendæ curam susceperit? cur etiam tanta illam calceamentorum solicitudo cœpit, ne pedes sordescerent? in promptu habes certè. *tunica* hîc pallium significat, vel flammeum, vt nuper dicebam, quod nondum deposuerat sponsa, atque adeò sponso ad interiorem domum penetrare volenti, ne illi quidem sine pallio sisti voluit, atque adeò difficultatem illud de nocte assumendi opportunè eidem obiicit, quod non pigritiæ, sed summæ pudicitiæ adscribi debet. Rursus id quoque mihi exploratum est, sponsam nondum cothurnos, quibus innuptæ vtebentur, & pedes surásque tegebant, in sandalia, quæ propria nuptarum erant, permutauerat, cùm hæc diceret: nam hæc flammei depositio, & sandaliorum assumptio simul fieri solita, haud ineptè coniicere licet ex illis verbis *Ezechielis* 16. vbi vtraque non sine lepore coniungit, *& calceaui te ianthino, & indui te subtilibus.* Sulamites ergo id ipsum cauens, ne impudentiæ hoc tribui posset, si discalceata sine cothurnis, detectis pedibus, ad sponsum veniret. ideo dicit: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quasi dicat, calceamenta assumere necessum est, ne lautos pedes commaculem. Iam intelliges quàm tempestiuè, & opportunè hæc protulerit Sulamites, pudori suo consulens, cuius animus non fuit aditum ad internam domum sponso abnegare, sed differre ac morari, donec pallium & calceamenta assumeret, faciem velans, ac pedes tegens, quæ hactenus ne ipsi quidem sponso aperuerat, nec retexerat.

Hæc verò omnia cum sequentibus aptissimè cohærent; nam cùm Epithalamij istius præcipua materies sit vltima reuelatio sponsæ, quæ facie detecta, abiectio flammea, ac pedibus quoque apertis, cothurnis videlicet in sandalia mutatis, fieri oportebat, (vt nuper dicebam) atque id potissimum Salomon contendat in hoc Cantico, vt posteriori ista reuelatio sine aliqua, vel leui iniuria pudoris, atque adeò non sponte, sed coactè, & quasi per violentiam facta videatur, opportunè admodum eandem sponsam inducit de pallio, & de calceamentis valde solicitam, ne his exuta in oculos ipsius etiam sponsi incurreret. Sed de hac calceamentorum permutatione infrà *cap. 7. vers. 2.*

Vers. 4. Dilectus meus misit manum per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

SONVS ALLEGORIÆ.

PEr *foramen* Hebr. חחור *chor*, quæ *foramen* & *feneſtellam* significat. Rabbi Salomon foramen claui peruium intelligit, Abenezra *feneſtram* interpretatur, quæ nimirum in ipsis foribus aperta erat, & per quam qui deintus sunt respondere solebant, vel rimam etiam, quæ inter duas valuas interponi solet, dum non satis inter se cohærent. Septuaginta, *misit manum suam de prospectu*, id est, vnde manus eius prospici poterant. *Intremuit*, Hebraicè המו *hamu*, quod *fremere* propriè significat, & de mari procellis agitato dicitur, à quo transtulit sponsa ad animi motum significandum. *Ad tactum eius*, Hebraicè *super eum.* Non aliter Septuaginta, noster loculenter sensum expressit. Quidam reddunt, *super me*, quasi se ipsam pigritiæ incusauerit sponsa; sed alienum est hoc ab originibus correctioribus, nam etiam Hebræi codices hîc dissident, vt testatur Mercerus.

Quidam hîc tactum non satis purum agnouerunt, quorum sententia mirum est quàm à veritate abhorreat; nam quis credat ab ostio per rimam sponsi manum ad lectum Sulamitis peruenire potuisse. Dimissa ergo ista parum idonea interpretatione, obseruare in primis iubeo de forma huius foraminis plura eruditè disseruisse Luisium Legionensem, qui Rabbi Salomonem sequutus hunc locum luculenter explicuit, cuius sententiam verbaque sic perstringo.

Dilectus meus misit manum per foramen, id est, per id foramen, quo clauis immittitur; id enim significat Hebraicum חחור *chor.* Nam credibile, inquit, est Hebræos in obstruendis foribus eo ferè genere vsos fuisse, quo Arabes Ismaëlitæ apud Hispanos olim vtebantur: fuit autem eiusmodi. Ab interiori parte ianuæ pessulum alteri è foribus affixum erat, ferræ ad instar dentatum, alteri ligneus annulus, in quem insertum pessulum occludebat, exertum recludebat. Qui intra domum erant sine claue sola

manu

manu pessulum aut inserebant annulo, aut eximebant: qui extrà, clauem adhibebant, vt plurimum non elaboratam, sed vastam, quæ dentes affingens dictum pessulum, aut occlusura induceret, aut recluſura educeret ex anulo. Aliquando etiam manus eodem, quo clauis, inducebatur foramine, quæ insertis digitis ianuam reserabat. Ergo Arabes cum manu citra clauem seram trahebant *jhalhor* patria lingua appellabāt, quæ vox ab Hebræa *chor* non longè abit; cùm claue autem vtebantur *iaphtar* dicebant. Igitur per hoc foramen, ait Legionensis, sponsus induxit manum suam tunc cùm venter Sulamitis intremuit: animus videlicet, aut cor conturbatum fuit, hoc enim ventris nomine censeri solet in sacris litteris, Psal. 31. *Conturbatus est in ira venter meus.* Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent*, & sæpe aliàs. Sed cur animus intremuit, aut æstauit pelagi in morem? Quia amor videlicet, & pudor quibusdam quasi fluctibus, animum agitarunt, Sulamitem quodammodo incusantes, quòd propter socordiam & desidiam dilectum sub dio manere tandiu permisisset. Nonnulli etiam commiserationi id tribuunt, quasi animum sponsæ dolor tetigerit, quòd sponsum noctis molestias & incommoda subeuntem videret. quem sensum innuere videtur lectio originalis: *& venter meus intremuit super eum*, id est, commiseratio non parua cepit cor meum, propter iniurias temporis, quas ipse patiebatur.

Cæterùm quamuis alias atque alias expositiones recipere possint verba Hebraica, tamen nostra translatio ad sensus præmissos coactè allicitur; nullus enim satis exprimit vim illarum vocum, *ad tactum eius*. Quapropter ego motum illum animi, qui sponsam impulit, non ex amore, non item ex commiseratione aliqua, sed ex metu magis profectum fuisse reor. Et quidem Legionensis expositio illud habet difficile, quòd fingit ianuas ab sponso foris agente, immissis digitis recludi potuisse. Primò enim incredibile videtur, puellam pudicam ad sui custodiam non addidisse tutiorem seram, quàm quæ à foris reserari posset. Deinde si liberum erat sponso immersis per rimam digitis claustra soluere, cur tandiu rogauit, cur tandiu expectauit sub dio. Demum cur tunc maximè ad aperiendum excitatam fuisse sponsam dicit, cùm sponsus aperire cœperit, siue eam amor, seu pudor, seu misericordia impulerit; imò potius hoc ipsum illi quietem suadebat in lecto, vt ibi expectaret eum, quem aperire fores & posse & velle cognouerat, & iam cœpisse viderat.

Quapropter ego per foramen rimam aliquam intelligo, qua immissa manu fores premere sponsus poterat, vt pressas validè concuteret; sponsam verò eo motu percussam fuisse: quod meliùs vt capias, finge tibi patremfamilias aliquam ædium suarum fores pulsare, domesticos morari, & ipsum diu præstolatum fuisse. Quid tunc is faceret? Certè stomachabundus qua posset apprehenderet fores & valide concuteret, itavt terram admouere videretur. Quid inde? Sequeretur certè domesticorum terror & celeritas ad aperiendum. Id ipsum euenisse sponso crediderim; hærebat ille ad fores domus suæ, pulsabat, expectabat, sub dio noctis iniurias perferens: sponsa contrà nectebat longas moras. Quid putas tunc facturum illum? Nonne fores ex aliqua parte apprehendere, (ad id verò aptissimum erat foramen, aut rima) & valido nixu concutere, vt si posset, seras & repagula effringeret. Quid inde? terror in primis sponsæ, *& venter meus intremuit ad tactum eius*. Hæc autem interpretatio, quam cæteris facilè præferendam censeo, sic æstimari debet, vti sponsa metum istum, non de aduentu, aut ingressu sponsi conceperit, hunc enim impensè desiderabat, siquidem ad ipsum perueſtigandum ocyùs egressa est, sed de subito incursu, ne scilicet ipsam sponsus præoccuparet, antequam pallium & calceos sumeret, ad consuetam pudoris tutelam, itaque validus ille forium impulsus, ideo illam perturbauit, quia verita est, ne portas cardinibus suis excussas ad terram impelleret, atque adeò ad ipsam prius sponsus veniret, quàm pallium & calceos de more sumeret, ac cæteris ornamentis nuptialibus sese componeret; id enim animum eius potissimum angebat, quod ad mysteria translatum optimam significationem sortitur.

Nec longè absum vt existimem, ad hunc sensum allici posse translationem Septuag. quæ à vulgata lectione, & ab originibus longiùs abire videtur. *misit manum suam de prospectu*; id est, sponsus, valida manu fores impulit, vt eas aut effringeret, aut recluderet, ea ex parte, vnde me prospicere poterat: hoc autem perturbauit me, quia oculos tantum, & prospectum eius timebam, ne me inuestem & reuelatam aspiceret, atque inde pudor meus aliquam labem pateretur, subdit, *surrexi vt aperirem dilecto meo*. & quidem vehementiorem illum ianuarum impulsum qui sponsam horrore pertulit,

signifi

significauit, noster interpres illis vocibus: *ad tactum eius*, id est, ad pulsum, seu impulsum illius. Id verò aptiùs fingitur ex natura præstolantis ad fores domus suæ, quasi dicamus per clauis rimam inseruisse digitos præsertim, quia insecutus fuit sponsæ terror, & celeritas ad aperiendum; illud verò ad terrendam sponsam, & inertiam eius acuendam magis idoneè fingitur, quàm hoc.

Vers. 5. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

SONVS ALLEGORIÆ.

IN Hebraico codice attexuntur ista verba על כפות המנעול *hal chephoth hamanghol.* atque adeò plures vertunt, *super manubria pessuli*; & quidem varietas hæc nata est ex varia dispunctione. Noster interpres vocem *hamanghol* traxit ad sequentem periodum; illas verò duas *hal chephot*, vel non nouit, vel certè inutile duxit eas exponere, quia in aliis præmissis includi existimauit: nam vox *chephoth* non manubria, vt videtur quibusdam, sed palmas significat. 1. *Regum* 5. *vers.* 4. 2. *Reg.* 9. *vers.* 35. *num.* 4. *vers.* 6. quibus locis eam vocem noster interpres *palmas* conuertit: itaque si verbum ex verbo Hebraico exprimere quis velit, talis euadet translatio. *Manus meæ stillauerunt, & digiti mei myrrham transeuntem super palmas.* Ergo vulgatus interpres propterea dimisit vocem illam *super palmas*, quia iam id expressum videbatur prioribus verbis; *manus meæ stillauerunt myrrham primam.* à qua repetitione non abstinuerunt Septuaginta, qui sic conuertunt. *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrha pleni super manus.* Non satis assequor, cur Romana correctio aliter reddiderit: *& digiti mei myrrham plenam super manus pessuli*, nec non alij, ἐπὶ θύρας *super ostia.*

Ex his colligo, iuxta nostram lectionem, prius manus sponsæ myrrha perstillasse, quàm fores, vel pessulum attingerent; priùs enim ait, *digiti mei pleni myrrha probatissima.* Deinde subiecit, *pessulum aperui*, quod planè euertit quorumdam expositionem, qui myrrham istam allatam ab sponso dixerunt, vt fores sponsæ, more amantium, vnguento perfunderet, quod fuisse amantibus solemne, testatur Lucretius *lib.* 4. vbi de amatore quodam iuuene sic addit,

Floribus & sertis operit, postesque superbo
Vngit amaracino, & floribus mœrer oscula figit.

Item Persius *Satyr.* 5.

Dum Chersidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto;

id est, ante fores, quæ vnguento maduerant. Ergo sic aiunt sponsum fores myrrha perfudisse, & ab his sponsæ manus delibutas fuisse. Cæterùm cùm priùs vnguentum illud imbuerit sponsæ manus, quàm illa fores, aut pessulum attigisse dicatur, præstat dicere vnguentum istud à sponsa allatum.

Luisius Legionensis putat Sulamitem plenum myrrhæ vasculum tulisse, quo sponsum exciperet & imbueret, sed dum festinat, nec satis sibi constat vase effracto myrrham per manus effusam fuisse; sed quid opus est ista confingere?

Ego quidem, vt meam proferam sententiam, ita existimo, sponsam quæ vestium atque calceorum erat solicita, ne ab sponso reuelata & detecta videretur, quæ scilicet nec voce sponsi, nec valido forium impulsu induci potuit, vt prius ad seras recludendas veniret, quàm pallium, calceos, ac reliquum nuptialem ornatum sumeret, quod ad commendationem pudoris & honestatis pertinet, vnguenta minimè neglexisse, vt extremam manum culturæ imponeret. Sed quid inde? Certè in fœmineo cultu postremum esse consueuit vnguentorum & pigmentorum linitio, quibus pulcherrimæ ac delicatissimæ puellæ faciem & manus perluebant, ipsas etiam perfundebant vestes, sic enim cultui muliebri extremam imponebant manum. Ergo sponsa, quæ nullis terroribus induci potuit, ad sponsum suum inornata & reuelata veniret. Hic demum ait: *Surrexi tandem vt aperirem dilecto meo.* verbum *surrexi*, in hoc loco, vt aliàs non semel in hoc Cantico, non ad thalamum referendum, quasi tunc illum ocyùs dimittens, ad fores venerit; sed ita accipiendum, vt Sulamitis tandem aliquando è triclinio suo, vbi formam excolebat, exurgens ad ostium accurrerit. Sed quando denique accurrit? tunc certè, quando perfecto & absoluto omni ornatu & cultura manus eius ac digiti,

quibus

ſe vnguentis pretioſiſſimis perlueret, myrrha probatiſſima ac ſuauiſſima perſtillabant, nec enim antea exire debuit, ne impudentiæ notam ſibi accerſiret.

Addo etiam præterea dici manus ſponſæ perſtillaſſe myrrham primam, & tranſeuntem, ſeu liquidam, quia fortaſſe ſponſum exceptura cubile ac thalamum reſperſit vnguento illo pretioſiſſimo, antequam ad poſtes reſerandos pergeret, & quidem proprium fœminarum eſſe lectum & cubile ſtillatis aromatibus imbuere, ad excipiendos lautiùs amatores. Comprobat illud *Prouerb.*7. vbi adultera allectans iuuenem ad luxum ſic ait: *intexui funibus lectulum meum, & ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinamomo.* ita vt ſenſus ſit, *digiti mei pleni myrrha probatiſſima*, id eſt, vt ſponſum meum lautiùs exciperem, & ſuauiùs oblectarem, cubile ac lectum meum vnguento pretioſiſſimo irroraui ac reſperſi, atque inde factum, vt manus digitoſque eodem vnguento perſtillantes ad fores ac poſtes afferrem.

Verſ.6. Peſſulum oſtij aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque tranſierat, anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui illum, & non inueni: vocaui, & non reſpondit mihi.

SONVS ALLEGORIÆ.

Peſſulum oſtij. Inſtrumentum eſt, quo fores, immerſa claue clauduntur & reſerantur. Plautus inducit amatorem cum peſſulis domus, in qua amica degebat, ſic alloquentem.

Peſſuli heus, peſſuli vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto atque obſecro.
Gerite amanti morem amantiſsimi.

id eſt, ſponte reſeramini mihi obſequentes; hunc ergo peſſulum ſponſus obſeruauerat an aperire, an effingere poſſet. ex Hebræo ad verbum: *Anima mea egreſſa eſt cùm ſponſus locutus eſt.* Septuaginta: *Anima mea exiuit in ſermone eius. Et non reſpondit.* Septuaginta: *Et non audiuit me.*

Priora verba perſpicua ſunt: *Peſsulum oſtij aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat.* hoc eſt, tunc cum perfecta cultura & ornatu, qui vxorem Regis decebat, pallio tecta & calceamentis aſſumptis ad fores veni, & ſolui repagula, iam ſponſus aliò diuerterat, non tam ſponſæ inertiam vlciſcens, aut incuſans (vt aliis placet) quàm fidem & amorem illius ea probatione experiri volens, & futuræ violentæ reuelationi, quam iam tunc ſponſus meditabatur, occaſionem præbens. Subdit verò, *Anima mea liquefacta eſt, vt ſponſus loquutus eſt.* Alij ſic exponunt. Sponſus diſcedens loqui deſiit, ego verò tunc ſoluta ſum animi quodam deliquio, ob illius fugam, dolore perculſa. Vel aliter, poſtquam ſponſus loqui deſiit, & manu rem agere aggreſſus eſt, fores videlicet concutere, & effringere repagula, tunc quidem me animus dereliquit, fugerunt vires; id verò in cauſa fuit, ne tam citò ad oſtium accurrerem, & locum fugiendi darem. Neutrum diſplicet.

Tertia expoſitio eſſe poteſt: *Anima mea liquefacta eſt*, &c. ita vt ſponſa ſe ipſam ſocordiæ atque deſidiæ coarguat, quod non ſtatim accepta ſponſi voce ad aperiendum ociùs venerit, quaſi dicat, tunc cùm aperui oſtium, & non inueni, ſic aio memet incuſans: *Anima mea liquefacta eſt*, id eſt, ſoluta eſt ſocordia atque deſidia, tunc, cùm primum ſponſus loquutus eſt, precibus mecum agens, ſibi vt poſtes recluderem. Vel, *egreſſa eſt anima mea*, id eſt, mens me fugit omnino, aut mente emota eram, tunc quando loquente & pulſante fores ſponſo moras nectebam, cùm potiùs ſtatim omnibus aliis dimiſſis poſthabito cultu & ornatu accurrere ad ipſum debuiſſem.

Ego verò, vt contexturæ inſeruiam, ſententiam huius carminis ſic conformandam eſſe reor. Sponſa quæ omni cultu muliebri expleto ad fores accurrerat, repagula, quibus ſeræ claudebantur, recluſit, vt aditum ſponſo præberet; ille verò non iratus, non tædio affectus, ſed de induſtria volens ac libens ſe ſubripuerat, vt futuram ſponſæ ſuæ reuelationem & pulchritudinis illius publicam oſtentationem adornaret, tunc illa:

Anima mea liquefacta eſt, vel, *egreſſa eſt*, &c. *vt ſponſus loquutus eſt.* Quaſi dicat: tunc cùm vocem illius audiui, ſtatim vereri cœpi, non prius me ad ianuam venire poſſe, quàm ipſe diſcederet, atque adeò ſic timor cor & animum meum diſſoluebat, id eſt,

exani

exanimabat me. Vel, secundùm lectionem Septuaginta, *anima mea egressa est*, &c. quasi dicat ad illum vocantem, & ad se me venire iubentem, anima quamprimum egressa est; sed anima corpus sequi non potuit, quia puellam inuestem & detectam, ne ad ipsum quidem sponsum meum accedere decens erat. Vel aliter, *anima mea egressa est*, scilicet *ex me*, id est, me dereliquit, mens nimirum, atque consilium fugit me, vt sponsus locutus est. Excusationem aliquam prætendere videntur ista verba, hoc sensu: si fortè sponsi ad me aditum, ex quodam pudoris studio differens erraui, mihi certè culpæ verti non debet, quia statim atque sponsi vocem audiui, subita mutatione animus meus, atque consilium, deseruerunt me; & cum placere ex animo vellem, fortasse nolens displicui. Sed tamen aduerbium *vt*, non significat hîc *cum*, sed *postquam*, hoc modo, *vt loquutus est*, id est, *postquam loqui desiit sponsus*, anima mea deseruit me; dum scilicet suspicio fugæ, aut discessus eandem animam meam incessit, mens & consilium cum ea simul abscesserunt & fugerunt deserentes me.

Quæsiui illum, & non inueni. id est, cùm postibus, vt sperabam, hærentem non inuenirem, omnem circà regionem percurri, & circuiui, vt sicubi lateret, eum reperire possem. Non inuentum autem, & fortasse fugientem voce prosequuta sum; *Vocaui eum*, & mihi responsum non dedit, vel quia audiens, me respondere noluit, vel quia longiùs abscedens audire non potuit. Hunc sensum reddit translatio Septuaginta: *& non audiuit me*, id est, vox mea ad illum peruenire non potuit.

Aliqui interpretes extrema verba superioris carminis cum prioribus huius versus coniungunt, ita videlicet restituentes: *manus meæ stillauerunt myrrham primam super manubria pessuli*; vel super annulos pessuli. quæ translatio sensum nequaquam euariat, nam sponsa expleto omni cultu muliebri, manusque afferens ad fores vnguento myrrhino illitas, pessulum & annulum, quo inserebatur, eodem vnguento perfudisse fingitur. An quia sicut ille alius miles apud Plautum pessulum venerabundus obsecrabat, orabat, &c. sic sponsa eo officio gratulabatur, etiam pessulo, quod ipsius pudorem sartum tectumque seruasset contra oculos spectatorum, ipsum videlicet oleo pretiosissimo liniens. An potiùs, quia fores aperire, & sponsum ad internam domum admittere volens, id prouidit, vt de vnguento, quo pessulum & annulum eius intinxerat, fores aperiens, ipse etiam sponsus domum ingressus, manus quoque suas perlueret, fores claudens, & repagula premens. Sed verius puto, hanc lectionem coactam esse, & ab vtroque textu, tam Hebraico, quàm Græco, plurimum abhorrere.

Vers. 7. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

PRiora verba in originibus Hebraicis, ipsissima sunt, quæ hoc in loco reperiuntur, & quæ suprà *cap. 3. vers. 3.* etsi translatio nostra nonnihil dissideat, atque adeò quæ ibi de militibus ad mœnia excubãtibus dixi, hunc ad locum transferenda sunt. Et quidem, memini me dum illa verba penderem, duo constituisse: alterum est hos custodes, aut vigiles non esse circitores aliquos ex his, qui compita, vicos & pagos obeunt, sed milites excubantes pro mœnibus, vt à nocturnis irruptionibus vrbem defenderent; alterum est, speculatorum & excubiarum locum præcipuum fuisse, portas vrbis, quia custodia maiori indigent 2. Reg. cap. 18. *Speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum eleuans oculos*, &c.

Pro *pallio*, Septuaginta, *theristrum* conuerterunt. Hebraicè רדיד *redid*, quod, testibus Abenezra & Anonymo, peplum significat operis ductilis, passum, candidum, nitidum, ac purum; & quidem pallij nomine certè intelligi debet flammeum, quod erat tenuissimum velamenti genus. de quo suprà in Isagoge *cap. 6. vers. 6. & cap. 4. vers. 1.* plurib⁹ egi; huius enim flammei erat tenuitas & subtilitas, vt pellucidum & diaphanum cùm esset, vultum non omnino tegeret, sed eius suboscurè visendi copiam faceret, per subtilissima texturæ retia, vt ex Ezechiele *cap. 15.* & ex Lucano & Seneca *ibidem* docui. vide ibi multa quæ in hunc locum transferri debent.

Quid tunc postea? certè ex diuersis Scripturæ locis mihi compertum est, inter alios ritus nuptiales Hebræis familiares, illum valde solennem fuisse, vt sponsi vxorum suarum formam, pulchritudinem & ornãtum omnem nuptialem, altera die connubiali

nubiali populo ac turbis ostentarent. *Esther* 2. de Assuero in nuptiis Reginæ Vasthi, huic ritui ac mori satisfactum iri volenti sic habes: *& præcepit septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent Reginam Vasthi coram Rege posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & principibus, pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde.* Nec mihi dubium est Assueri consilium, cùm Reginam ad se venire iussit, id fuisse, vt eam diademate insignitam, atque nuptialibus ornatam & exultam muneribus, celebri pompa, & satellitio stipatam, ad venditationem suæ gloriæ, & pulchritudinis illius per vrbem traduceret, & populo videnda exhiberet. Hanc verò publicam ostentationem, *renuit Vasthi ad Regis imperium ire contemnens.* Quomodo enim cunctis populis & principibus Reginæ pulchritudinem videndum offerre posset, nisi ad eum modum per vrbem, vrbisque fora & compita illam deduceret?

Huc spectant illa verba Prouerb. 4. *Bibe aquam de cisterna tua*, &c. quæ de vxore legitima accipi debere nuper dicebam; & infrà: *deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Nactus scilicet optimam, pulchram & bene moratam vxorem eam primum tempore nuptiarum, vt consuetudo fert, populo ostentare fas erit in foris atque plateis illam producendo. Sed deinceps, nuptiarum tempore expleto: *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Quasi dicat, vxorem pulchram semel in publicum producere, & populo exhibere ad nuptiarum celebritatem integrum tibi est, sed postea exactis nuptiis, eam reserua, & include, ne alij in participationem coniugij tui veniant.

Eôdem pertinent verba *Psalmi* 67. quod aliàs Epithalamium esse diximus, vbi regales nuptias describens Vates, de vxore sic cecinit. *Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia: si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* & subinde: *Currus Dei decem millibus multiplex*, &c. quæ verba de sponsa, quam speciem domus appellat, & de hac pulchritudinis venditatione intelligi debere affirmat noster Sanctius in dictum Psalmum 67. Qui vlteriùs etiam docet omnes Sulimitanas sponsas iuxta morem gentis regio cultu insignitas, per fora & computa vrbis traduci solitas ad splendorem nuptiarum.

Hæc igitur traductio, seu ostentatio pulchritudinis sponsæ incidit in hanc quartam nuptiarum diem, & est propria materies huius Epithalamij matutini; & sanè cùm præcipuus scopus istius Cantici, vt non semel aliàs animaduerti, sit reuelatio sponsæ, quæ quidem iuxta solennem ritum fieri primum solebat, velo virginum in flammeum nuptialem permutato, deinde flammeo etiam nuptiali deposito, itavt faciem ipsius sponsæ detectam & liberam, omnes intueri possent; vt præmissa traductio & ostentatio formæ, & reliqui nuptiales cultus exhibitio perficeretur, necessum omnino erat, vt flammei detectio, detractioque præcederet. De hac loquitur Salomon in hoc loco, qui sponsæ pudorem & modestiam saluam esse iubent, sensum historicum huius carminis ita contexuit, vti non illa flammeum sponte deponeret, vel abiiceret, sed illata vi ipsi repugnanti auferretur. Huc spectat sonus allegoriæ à Salomone elegantissimè confictus, quem iam explicare aggredior.

Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, &c. Noster Sanctius id quoque ad ceremoniam nuptialem refert, affirmans hæc per iocum & lusum in nuptialibus sacris olim fieri solita ab sponso, eiusque sodalibus, vt ad eum modum vexatæ, & iniuriis affectæ sponsæ discerent viris suis parere; itaque auctor iste putat, hæc ab sponso de industria fuisse patrata, vt præteritam sponsæ ignauiam & pigritiam hac vexatione multaret. Ex hac verò interpretatione, (cui non assentior) id tantùm sumo, & probo, quod ait, non ignorasse sponsum, imò potiùs ipso sciente ac volente, hæc à militibus excubitoribus perfecta fuisse, non quidem vt iniuria efficerent sponsam, sed vt sine iniuria & labe modestiæ pallium, seu flammeum nuptialem, quod insigne erat pudoris, ipsi repugnanti, & contranitenti, non sine vulneribus adimerent, atque totius carminis sententia sic instituenda est.

Inuenerunt me, id est, postquam sponsum aut latentem, aut fugientem *vocaui*; & hic nullum mihi responsum dedit, venit statim in mentem illum, è syluana domo, in qua hactenus ego degebam, & à qua ipsum mea cunctatione excluseram, ad vrbem rediisse; tunc ego amore ac desiderio illius videndi inflammata, vt tunc eram nuptiali veste induta, & nuptiali quoque flammeo tecta, è vestigio ad portas ciuitatis accurri, vt ab his, qui illas seruabant, de sponso meo edoceri possem; sed antequam ad illas peruenirem, occurrentes *inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem*, illi scilicet,

qui portas ad mœnia excubantes seruant, plagas & vulnera imponentes mihi, *tulerunt pallium meum custodes murorum*, id est, nuptiale flammeum mihi eripere voluerunt: sed dum repugnare & insigne illud pudoris ac modestiæ meæ defendere pro viribus contendo, ipsi *percusserunt me*, *& vulnerauerunt me*; atque adeò illud non sine vulneribus dimisi; vulnera autem pro pudore accepta ostentare, ac proclamare omnino licet.

Custodes murorum. Sed qua demum ratione (inquies) milites illi, qui ad mœnia excubias agebant, Sulamitem inuenire, atque illam spoliare potuerunt? historia certè ad hunc modum pangenda & concinnanda est.

Cogita Sulamitem vt sponsum abesse longiùs cognouit, ab horto, in quo nuptiæ agebantur extra vrbem, ocyùs occurrisse ad vrbis portam, qua propiùs, & sine errore ire licebat, vt fugientem ad vrbem sponsum assequeretur; ergo cùm ventum esset ad portam, nec clamores intermitteret, insequens vocibus, quem pedibus assequi non poterat, excubitores & vigiles, qui ad portam obseruandam demandati erant, acceptis clamoribus despexerunt è muro. Quid tunc facerent? certè id quod solent, requirunt quæ nam illa sit, intempesta nocte ad muros accedens; negat illa responsum: descendunt è mœnibus, agnoscere curant, illa contrà pudicitiæ prospiciens suæ obuelare se pallio, nec nomen suum indicare voluit. Milites ergo reluctantem & faciem reuelare nolentem, non sine plagis ac vulneribus pallio, seu flammeo spoliant. Hæc est sententia totius carminis, vbi obserua, Sulamitem dum ait: *tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*, non conqueri sibi ablatum per furtum, sed quod erat summæ pudicitiæ, sibi per vim adeptum, vt illam & videre & agnoscere possent; nihil enim magis timebat, quàm oculos, non enim arma, non sæuitiam militum, sed lumina verebatur.

Vtrùm verò suadente ac volente sponso facinus hoc à militibus paratum sit, nec satis assentior, nec valde dissentior, vtrumque enim sententiæ, & interpretationi nostræ obseruit.

Vers. 8. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt renuncietis ei, quia amore langueo.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta, *adiuraui vos*, præteritum pro præsenti: adduntque, *in virtutibus, & in viribus agri*, pro quo noster interpres alibi: *per capreas ceruosque camporum.* Sed neutra forma in fonte Hebræo habetur. Item pro illis verbis, *quia amore langueo*; Septuag. habent, *quia vulnerata charitate ego sum*, verbum originale est חלה *chalah*, quod est *ægrotare*, aut *infirmari.*

Historia & connexio huius carminis cum antecedentibus, sic conformanda est. Sponsa plagis acceptis, & pallio direpto vrbem ingreditur, & quia fœmina non habet alia arma ad vim repellendam, nisi gemitus, lachrimas & clamores, ita certè res postulabat, vt cùm plagas inferrent milites, cùm pallium deriperent, inermis puella gemeret, inclamaret, ac vocibus illius excita multitudo, tum fœminarum, tum virorum ad ipsam conueniret. Hanc ergo turbam alloquitur Sulamitis, & quia fœmina erat,, ad fœminas sermonem intendit. His autem quid euenisset percontantibus, præmissam omnem historiam narrauit: finita autem narratione instituitur sequens dialogismus: *Adiuro vos filia Hierusalem*, id est, obtestor vos seriò, & ex animo, *si inueneritis*, id est, si occurrerit vobis dilectus meus, *vt renuncietis ei, quia amore langueo.* Sed cur tam obnixè erat id renuntiari dilecto suo? Ego ita reor, sponsam non tam fieri notum sponso amorem suum, illi aliàs exploratum, quàm testes adhiberi voluisse diligentiæ & operæ in ipso vestigãdo collocatæ, & cur etiam vlteriùs ad ipsum vestigandum non progrederetur; & id quidem sibi vult, dum ait: *vt renuncietis ei, quia amore langueo*, quasi dicat: sponso sic dicite, me languore quodam animi & deliquio amoris oppressam ab ipso vestigando destitisse. Itaque non plagas acceptas à militibus prætendit, sed amoris vulnera, *quia vulnerata charitate ego sum.* Sed quid causæ est, quia de excubitoribus non expostulat? An fortè, quia suspicata sponsam de industria ad pallium deripiendum milites misisse; propterea de illis conqueri non audet? An quia vulnus amoris quod intus alebat, ad exceptas corpore plagas reddebat insensilem.

An

An potiùs adeò ſe charitate vulneratam dicit, quia plagas à militibus illatas amori adſcribebat, quia propter amorem ſponſi, & ad gratiam illius promerendam perpeſſa fuerat? An quia fortis Heroina vulnera ſibi à militibus inflicta diſſimulare potuit, amoris autem vulnus tegere nequaquam valuit.

Emphaſim habet lectio primitiua, quæ ſic ad verbum efferri debet, iuxta tranſlationem Septuag. *Quid annunciabitis ei.* quæ verba deliberantis, & apud ſe conferentis ſunt, quid potiſſimum ſponſo ſignificare velit; poſt hanc verò deliberationem id demum elegit, vt de plagis militum nihil ſponſo renuntiarent, de amoris autem vulneribus plura ipſi referrent, pauciora & minora dicturi ſemper, quàm quæ ipſi amori ſenſus ſuppeditabat. Vide ſequentem carminis interpretationem. Addunt fœminæ,

Verſ. 9. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

SONVS ALLEGORIÆ.

Dilectus ex dilecto. Hebriacè præpoſitio *ex*, vices ſubit præpoſitionis *præ*, vt ſit ſenſus, dilectus præ omni alio dilecto. Verba ſunt perſpicua, & fictio admodum accommodata, ad inferendas ſponſi laudes; poſtulant enim Solymitanæ fœminæ notas & ſigna, quibus occurrentem ſponſum dignoſcere poſſint. & ſententia verborum talis eſt. Ediſſere nobis fœminarum pulcherrima, quibus notis dilectum tibi ſponſum deprehendere poſſimus, ſi quidem ita ſeriò noſtram adſtrinxiſti fidem.

Qualis eſt dilectus ex dilecto. Epithetum eſt, ſeu denominatio ſponſi, *dilectus dilectus*, imitatus eſt Salomon patris ſui Dauid verba Pſalmi 67. *Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* vbi de Deo tanquam de ſponſo agens, illum appellat Regem; repetitio verò illa exaggerat, & concretum accipitur pro abſtracto, dilecti ſcilicet, pro *dilectionis*, vt ſenſus ſit: *Rex virtutum ac dilectionis dilectionis*; vel quia propter inſignem virtutem, ac robur eximium perquam amabilis exiſtebat; vel quia virtuti & robori, amorem & dilectionem adiungit. is nimirum, qui fortis & robuſtus erat ad pugnandum, dulciſque & ſuauis ad amandum, itavt amor fortitudinem ac virtutem exæquaret; ita enim ſponſum decebat. De vxore autem ſtatim addit: *& ſpeciei domus diuidere ſpolia.* id eſt, non diſſimili modo: ſponſa ſpecioſiſſima, cum decore & pulchritudine ſua, fortitudinem copulat ad vincendum & ad diſtribuenda ſpolia è victis erepta. Quaſi dicat: non tantùm ſponſus fortis & Heros eſt, ſed ſponſa etiam domi incluſa robuſta heroina exiſtit, illa ſcilicet hoſtes debellat, hæc verò ſpolia ab hoſtibus parta diſtribuit. Cui adſimile eſt illud, quod fœmina ſapiens de Siſara vaticinari cœpit Iudicum 5. *Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarum dabitur ei*; quæ nimirum ſpolia ab ipſo direpta accipiat & diſtribuat, id verò non alienum ab vxore officium eſt.

Sed quid inde? Solymitanæ fœminæ Sulamiti obuiam factæ, ita aiunt: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto.* qualis nimirum eſt ſponſus *dilectus dilectus*, qui ſcilicet tam amabilis eſt, & qui tam impensè amat; quem geminato amore tu proſequeris, & qui amorem quoque ſuum geminat erga te, quem tu diligis præ aliis, & qui à te diligitur ante alios, qui ſponſus dilectus, & ſimul etiam Rex & Heros fortis, cuius tu coniux Regina & Heroina exiſtis, atque adeò fortis & valida, quæ cum militibus congreſſa pallio ſpoliata, & vulneribus affecta; non tamen victa, ſed victrix euaſiſti: *& ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Bonæ ſcilicet vxoris, quæ ſpecies & ornamentum domus exiſtit, proprium eſt vincere, ac pro ſpoliis pudorem illibatum, famam & opinionem bonam ex bene actis referre: hæc enim forti mulieri præda cedit. de cuius viro Salomon Prouerb. 31. *& ſpoliis non indigebit*, quia nimirum plurimas in ſingulos dies vxoris ſuæ victorias numerans, in caſtris morari minimè neceſſarium ducet. Ita igitur de Sulamite apud te cogita: cuius fortitudo eximia, partam à militibus victoriam viro ſuo potiundam dedit, ſpoliata pallio, non ſine ſpoliis à pugna diſceſſit.

Quod verò ſpectat ad hiſtoricam connexionem, non nihil animaduerſione dignum eſt in hoc loco. Nam vt ſponſa de ſponſo ſuo eloqui, eiuſque laudes commemorare, & pulchritudinem deſcribere ſine pudore poſſet; id enim nouis nuptis ſatis proprium eſſe ſolet, vt de viris ſuis ad alios eloqui non parum erubeſcant. Elegantiſſimè Salomon, vt huic ſermoni excuſationem prætendat, Solymitanas puellas inducit de ſignis

ac notis sponsi, Sulamitem percontantes. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* quæ interrogatio necessitatem respondendi, ac sponsi pulchritudinem expingendi & exaggerandi sponsæ iniecit. Itaque ait:

Vers. 10 Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

SONVS ALLEGORIÆ.

ELectus, Hebraicè דגול *dagul*, id est, *vexillatus*, aut *vexillifer inter myriades*, quod eôdem recidit.

Incipit Sulamitis venustam sponsi descriptionem, vt signa fœminis edat, quæ illum manifestè prodant. In qua delineatione, illud obseruatione dignissimum est, non describi vulgarem de plebe hominem, sed Regem ornamentis insignitum, & decoratum regiis, quod à conditore huius carminis summa cum proprietate factum fuisse reor. Nam persona, quam sustinet sponsus in toto carmine, quamuis aliquando pastor fingatur, vt stilus seruaretur bucolicus, sed reuera Rex existit, qui humilem, agrestem & syluanam fœminam ad nuptias regias euehit, vt fert communis omnium Patrum atque interpretum conspiratio; ita enim expediebat ad spiritales animæ cum Deo nuptias adumbrandas: ideò oportuit, vt ipsum Solymitanis fœminis insinuare volens sponsa, non à ficta pastoris, sed à germana & vera Regis persona duceret signa, & documenta. Imò non satis alia ratione ille de sponsi forma edoceri potuissent. Verùm hæc signa & notas sicce verbis temperat, vt condita sit descriptio, nec omnino clara, nec omnino obscura, ne stilus huius partis à reliquo carmine nimis discreparet.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Omnes vnanimi consensu interpretes de facie sponsi verba interpretantur, quæ candida cùm esset, purpureo rubore modicè suffundebatur; hæc enim candoris cum rubore temperatio, mirum in modum in facie commendatur. Hinc est illud Statij *lib.* 1. *Achil.*

Niueo natat ignis in ore purpureus.

Hæc autem candoris ac ruboris ad bonam temperiem compositio, non solùm pulchritudinis, sed etiam valetudinis signum est; nam bona & æqualis humorum contemperatio illos duorum colorum flores in facie excitare solet, quo iuuenes eximiè condecorant; atque adeò iuueniles etiam annos significant. Itaque in his verbis, pulchritudo, ætas & bona valetudo sponsi describitur. Ita ego aliquando, sed modò nescio quid aliud boni sensus subodoratus sum, quod non probo omnino quoad aliis priùs probari cognouerim.

Quantum ex sacris literis venari potui diligenti lustratione, Hebræi Reges veste vtebantur, partim purpurea, partim alba; quod spectat ad purpuram nemo ambigit. Nam Hebræorum Reges purpura vti solitos infrà *cap.* 6. sic habes: *sicut purpura Regis*, &c. & dignitati regiæ illudere volentes, milites Christum Dominum chlamyde iuduerunt purpurea, *Ioan.* 9. mitto alia. De candida veste lis est. Sed tamen eam quoque gestare solitos Hebræorum Reges aliqua loca Scripturæ suadent, sic interpretari debent illa verba Euangelij secundùm Matthæum *cap.* 6. vbi de Salomonis veste Regia, sic Christus Dominus. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis quòd nec Salomon in omni gloria sua vestitus est sicut vnum ex istis.* Ex quibus verbis sumi potest aliqua coniectura coloris, nam loculentior euadit comparatio, si color colori conferatur, nimirum vestis alba candenti lilio. Deinde Psalmo 67. *Dum discernit cælestis Rex Reges super eos, niue dealbabuntur in Selmon.* vbi de Regum creatione & inauguratione agi multis placet, (quamnis alij alia sentiant.) Hos autem niuem illam, quæ in Selmonis vertice concrescit, candore suo imitaturus affirmat. Rursus Apocalypsis 24. seniores gestant coronas & albas vestes. Imitati autem sunt Hebræos Reges Assyrij, de quibus Herodotus *lib.* 1. & Strabo *lib.* 16. testantur partim alba, partim purpurea veste vsos fuisse. De Medis item Xenophon in Pædia Cyri *lib.* 1. sic ait: *Medorum tunicæ sunt purpureæ, & amictus candidi.* Ad hæc Quintus Curtius de Persis purpuream tunicam intexto circa medium albo gestasse, scribit. Lege illa, quæ paulò pòst dicam *vers.* 14. ad illa verba, *Venter eius eburneus*, &c.

Sed quæ (inquies) pars Regiæ vestis alba apud Hebræos, quæ item purpurea? Ego ita reor, chlamydem summam purpuream fuisse, reliquam vestem albam, idque

aucupa

aucupari mihi videor ex Euangelio, vbi sic Ioannes *cap.* 19. de Christo Domino: *& milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum.* quod Matthæus ita extulit: *& exuentes eum, chlamydem coccineam, circundederunt ei*; erat autem chlamys, Regum indumentum, vt auctor est Pollux, & summa vestis, Hispanè, *sobreueste*, forma haud dissimilis ei, quæ vulgo dicitur *muceta*, sed longior, quasi ad genua pertinens; hac milites Romani Christum induerunt, ludibrio eum habentes, quasi falsum Regem. Et quidem cùm Ioannes purpuream, Matthæus coccineam vestem illam appellant, (quos colores constat semper fuisse distinctos, vt aliàs dixi, & *cap.* 7. latiùs ostendam) non significant duas fuisse vestes, coccineam vnam, purpuream alteram, sicut quidam meditantur, vt Euangelistas in concordiam adducant, sed vnicam bis tinctam, aut dibapham, de quo vestis genere Plinius scribit lib. 9. cap. 39. *Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio; qualiter nunc penè omnes commodiores purpuræ finguntur.* & infrà: *Votum quoque factum è vitio portentosis ingeniis, & gemina demonstrata via luxuriæ, vt color alius operiretur, alio, suauior ita fieri leniorque dictus, quin & vtrumque miscere, coccoque... tingere, vt fieret hysginum.* & *Exodi* 29. vbi Sacerdos legalis indui iubetur superhumerali *ex hyacintho, purpura coccoque bis tincto.* Pro *cocco bis tincto*, Hebraicè est, *vermiculo cocci*, hoc est, cocco & vermiculo bis infecta vestis. Ergo chlamys, qua Christus Dominus in ludibrium indutus fuit à militibus, *dibapha*, fuit cocco primùm, deinde murice imbuta. Propterea Ioannes purpuream, Matthæus coccineam appellauit. Hæc addita fuit illi, vt quasi Regi Iudæorum falsò illuderent. Adde etiam vestem illam albam, qua ludibrio etiam habitum Christum Herodes induit, & dimisit, vt obseruat Iansenius ad *cap.* 23. *Lucæ.* Regiam Christi dignitatem adumbrasse; existimat enim hic auctor, Reges apud Hebræos veste etiam alba vti solitos, vt proinde ex hac alba, & illa purpurea, vna vestis regia integra constaret.

His constitutis, sententia præmissi carminis luculenta auadit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Incipit sponsa sponsi sui, quē Solymitanis fœminis insinuare volebat, descriptionem à veste, quæ solet esse prior & euidentior nota ad hominem cognoscendum; atque ita ait: Dilectus meus candida vtitur *veste*, atque purpurea chlamyde datus purpura indutus cādida. Fauet huic interpretationi Chaldęus, qui colorem album planè ad vestem retulit: ita enim Paraphrasticè locū extulit. *Illi Deo volo seruire, qui amictus est per diem stola alba sicut nix, & splendor gloriæ Domini erit sicut ignis*, &c. Et quidem æquum fuit, ita à veste ordiri descriptionem. nam de oris & genarum pulchritudine postea subiecit: *genæ tuæ sicut ariolæ aromatum constitæ à pigmentarijs.* qua similitudine candoris & purpuræ commendatam societatem venustè admodum expinxit. Demum, cùm addit, *electus ex millibus*, planè innuit se notam quandam, vel signum exprimere, qua sponsus eminus in magna hominum turba dignosci posset. Ad id verò aptius signum erat sumptum à veste, quàm arboris colore, vestis enim eminus, facies non nisi cominus discerni potest. *Electus*, inquam, *ex millibus*, qui videlicet inter millia millium facilè dignosci posset, quia solus veste vtitur Regia, aliis omnibus interdictum, licet etiam referre ad præstantiam sponsi, quem sponsa omnibus aliis hominibus facilè præferendum esse dicit, nec communi censa cum cæteris numerandum.

Vers. 11. Caput eius aurum optimum.

SONVS ALLEGORIÆ.

ALiter conuertit Rabbi Salomon: *Caput eius sphærula obryzi.* Aliter Anonymus: *Caput eius margaritum pretiosum.* Abenezra *Monile.* Septuag. *aurum cephaz*, hoc est, aurum lapidis, si licet dicere, id est, *solidum* instar lapidis; Aquila, *petrum aurum*, credo mendum esse, & ita castigandum, *petram auri.* in originibus est פז כתם *chitem paz*, de qua voce eruditè multa Martinus del Rio *in hunc locum*, consule, si vacat. Adde etiam Mercerum in suo lexico, qui *margaritum*, & *topazium* lapides pretiosos, & alia huiusmodi reddi posse autumat. Ego autem, aliis dimissis translationibus, vulgatam nostram lectionem explicare aggrediar.

Tres omnino inuenio huius loci expositiones. Prima est *caput aurum* appellari, quia pulchrum & elegans; nam quod in quouis genere pulcherrimum est, aut pretiosissi-

mum aureum dici consueuit: imò vulgo dicimus, vt aliquid laudibus vehamus, *Es como vn oro.* Secunda est, caput auri appellatione insigniri, propter aureolam, vel coronam auream, qua sponsi caput (quem Regem esse suprà decreuimus) redimitum erat, sicut etiam infrà, *manus eius aureæ* dicuntur, propter annulos quos gestabant. Tertiam expositionem denuò inuexit noster Sanctius, qui alludum existimat ad veterem Hebræis solennem consuetudinem, capillos inaurandi, vel auro imbuendi; cuius meminit Iosephus *lib.* 8. *cap.* 7. *Antiquitatum*, vbi ait: *exornabantur autem ascensores equorum, primum decora iuuentute florentes, habentesque magnam proceritatem, longamque diffundentes in equorum... cæsariem ex purpura Tyria veste circumamicti, aurique tincturam quotidie in suis comis adiicientes, vt eorum capita percussa sole auro radiante fulgerent.* Cum Iosepho concinit Anacreon, qui ad Dictorem effigiem Batylli exprimere volentem sic ait: *Nitentes comas facito, intus quidem nigras, in exteriori ac summa parte solares*, id est, rubentes ac rutilas, quales solares radij esse solent, vt proinde hæc interpretatio non aliena sit ab his, quæ sequuntur: *Comæ eius*, &c. *nigræ quasi coruus*, quippe quæ intus quidem atræ essent, in exteriori verò specie auro imbutæ & infectæ. Vel alia ratione ad rubentem colorem translatæ, quod postea succedentibus sæculis imitatus est Commodus Imperator, vt in eius vita scribit Lampridius & Gallienus, vt tradit Trebellius Pollux; itaque *caput eius aurum*, id est, deauratum (inquiunt,) vel auro imbutum, accipi debet.

Ex tribus interpretationibus præmissis, prima minus placet, quia cùm sponsa notam aliquam peculiarem tradere vellet, quæ fœminis Solymitanis sponsum insinuaret, minus aptè diceret, pulchrum, aut pretiosum esse illius caput; nam hæc valde communis erat nota, ex qua difficile esset sponsum deprehendere. Tertia expositio id habet difficile, quia statim tanquam eximiam & propriam aliquam notam subdit sponsa: *comæ illius nigræ quasi coruus.* Quod auri color, flauus & rutilus non patitur, & quia bis eandem rem in vnica descriptione comparare insuetum est Salomoni, in hoc libro. Secundam ergo præfero aliis interpretationem: nam cùm sponsa Regem describat insignibus decoratum Regiis, vt suprà dixi, vbi vestem purpureo & albo colore distinctam esse dixit, subiicit coronam, seu aureolam, quæ sunt præcipua & insignita Regis ornamenta, suadet hoc vox חתם *chetem*, quæ non aurum tantùm, sed aureolam significat. Psal. 55. titulus habet, *Dauidi chetem*, id est, *aureola*, seu *corona aurea.* ita plurimi conuertunt. Itaque etiam hîc conuertere licebit, *caput eius aureola optima*, vel *solida*, supple insignitum, quod agnouisse videtur Symmachus, dum legit: *eius insigne in auro*, & Theodoretus, qui fauet huic expositioni. Erat autem aureola quondam cassis aurea, & ex casside extantes radij erecti: de quorum numero multa Pierius in Ceruo. quod ideò dixi, vt appareat quàm aptè caput sponsi casside indutum aurea, aurum appelletur solidum, seu petra auri, seu globus aureus.

Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

TAm in Hebraicis, quàm in Græcis originibus deficit vox illa *palmarum*, quod non parum negotij facessit interpretibus. Hac de re accuratissimè omnium egit noster Delrius, quæ est illius in examinandis, vocandisque ad trutinam verbis solertia: ille multa ferit; ego ex multis pauca colligam, studens compendio, vt soleo.

Pro illa voce *elatæ*, Hebraicè תלתלים *thalthalim*, ex radice תלל *thalal*, id est, *aceruauit*, itaque aceruum significat, & geminatio illa *thalthal*, fortasse notat, non quemcunque eiusmodi aceruum, sed inclusum in vaginis elatarum. Vocem illam *palmarum*, non agnouerunt Nyssenus, Maximus, Psellus, Nilus & D. Ambrosius; agnouerunt tamen Theodoretus, Philo, Aponius, Iustus, Beda, & quem ipse citat Iulianus Pelagius. Hæc tota litis occasio; id verò in causa fuit, vt plerisque à palmis omnino abstinentes, ductiles, aut crispatos capillos, seu comas in aceruum conflatas conuerterint; ita ferè vulgus Hebraizantium, quibus tunc res è votis accidit, cùm vulgatam lectionem carpere & vellicare possunt. Alij verò, qui palmas agnoscunt, vocem illam *elatæ* adiectiuè sumunt, in quibus est Rupertus, qui ramos palmæ productiores, & in sublime elatos, & contra pondus obnitentes interpretantur.

Græca vox ἐλάτη. Sed quid sunt *elatæ* istæ? Plinius scribit elatam esse arborem, à Latinis *abietem*, ab aliis *spathem*, vel *palmam* nuncupatam, qui apertè errauit, dum *elatem palmarum*, cum ipsa palma arbore confudit, atque pluribus aliis errandi ansam præbuit,

buit, præsertim Ambrosio & Paulino, quorum alter pro palmis *abietes* transtulit. Mitto Bedam, Honorium, Cassiodorum, & alios, qui vt præmissam lectionem sustinerent, nouam quamdam abietis odoratissimi speciem excogitarunt, vt esset digna comarum sponsi cum abiete comparatio.

Propiùs ad rem accessit Theodoretus, qui ita ait infrà ad cap. 7. vers. 8. *Elatæ* (inquit) *sunt Marium palmarum fructus, qui fœminis palmis impositi firmos & maturos earum fructus efficiunt.* Luculentiùs dicam ex Galeno *lib.* 8. *simplicium*, Hesichio *in suo lexico*, Dioscor. *lib.* 1. *cap.* 126. & aliis, qui plantarum naturas accuratiùs disquirunt, *elatem* esse palmæ nouellum germen, quod est ad instar calicis cuiusdam, aut vaginæ teritis, oblongæ, corticosæ, atque aurum colore referentis: hæc autem calore soluitur & fatiscit; ea verò expansa & diffusa prodit vndique floccorum, aut filamentorum, si liceat dicere, numerosa seges, quæ cincinnos cirratos & ductiles imitatur, atque eiusdem palmæ coma dicitur. Plinius lib. 3. cap. 4. *Coma huius arboris in cacumine est.*

Ergo sponsa eleganti comparatione sponsi, densam, expolitam & calamistratam cæsariem, (nam coma longiorem alere gloriosum erat apud Hebræos) cum palmarum elatis composuit, quæ non secus ex casside coronæ & aureolæ, qua caput erat, redimitum vndique deorsum penderet, quam ex vagina sua aurea produntur vndequaque flocci illi, seu filamenta, cùm panduntur palmarum elatæ. Sed quia hi flocci atque relicini, subflaui sunt & subrutuli; ideo sponsa excludens colorem, & retinens similitudinem, addit sponsa comam sponsi, *nigram sicut coruus.* specioso quodam nitore, quem coruorum nigredo præferre solet. Nam nigri capilli, nota pulchritudinis est in viris. Vnde Horatius *lib.* 1. *Ode* 32.

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Et in arte poëtica addit,

Spectandus nigris oculis, nigroque capillo.

Sunt autem nigri capilli, roboris argumentum, flaui contrà. Addo etiam, his verbis, *nigræ quasi coruus*, ætatem sponsi iuuenilem notari, quæ scilicet senectam & canitiem ignoret. Potest etiam in his verbis adludi ad illum veterem morem imbuendi auro, vel aliter inrufandi capillos nigros, ita vt sensus sit, sponsi comam, quæ priùs nigra erat, , post culturam, quam ipsi adhibuerat ad nuptias, flauam & rutilam existere, similem, per omnia, elatis, seu comis palmarum flauis, seu aureis, iuxta illud Anacreontis suprà datum; *Nitentes comas facito, intus quidem nigras; in exteriori verò ac summa parte solares*, id enim ad elegantiam capillorum spectasse credo. & huic sententiæ non modicam lucem affert.

Vers. 12. Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.

SONVS ALLEGORIÆ.

FOns Hebraicus statim prodit comparationem initam à totis columbis ad oculos, non verò ab oculis ad oculos: sicut etiam textus Græcus: vbi habet μειστεραὶ in recto, atque adeò errant qui vertunt *columbarum.*

Super, Hebr. עַל pro *iuxta riuulos.* Septuag. *Plenitudines*, Aquila *effusiones.*

Lacte sunt lotæ, id est, candidæ. quasi diceret, lacteæ, hinc via lactea dicitur, cingulum illud candidum, quod cœlum ambit. huc spectat illud Nasonis 2. *de Arte.*

Signatus tenui media inter cornua nigro,
Vna fuit labes, cætera lactis erant.

Columbæ albæ pulchriores sunt. Vnde Vates Psal. 67. *Pennæ columbæ deargentatæ*, id est, argentum colore suo imitantis, tum etiam magno in pretio habitæ apud Palæstinos, quas violare piaculum putabant: vnde fluxit illud Tibulli,

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes,
Alba Palæstino sancta columba Syro.

Quamuis eum colorem non omnino laudandum esse affirmet Columella, sic enim ait *lib.* 8. *cap.* 8. de re rustica: *In columbis albus color, qui vbique perspicitur, non nimium à quibusdam commendatur, nec tamen vitari debet in his, quæ clausæ continentur, nam in vagis maximè est improbandus, quod cùm facillimè speculetur, accipitur.*

Sed licèt hæc probabiliter dicantur, non tamen erit absurdum dicere, lactis nomine, mundissimam, candidissimam & illimem aquam notari, itavt lacte lotæ perinde sit, ac mundissimis lymphis lautæ. quemadmodum Iob 9. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint vt mundissimæ manus meæ*, id est, aquis niueis, vel candidis. Et quidem columbas aquis mundissimis tingi & ablui solitas comprobat. cui adstipulatur Varro *de re rustica lib.* 3. *cap.* 7. vbi de columbariis verba faciens, ita inquit: *Aquam esse oportet quo influat, vnde & bibere & vbi lauari possint, sunt enim permundæ & volucres.* Quamuis Columella id eis vel ad gignenda oua, vel ad excludendos pullos non expedire affirmet lib. 8. cap. 8. *Vasa* (inquit) *quibus aqua præbetur, similia esse debent gallinariis, quæ colla bibentium admittant, & cupientes lauari propter angustias non recipiant, nam id facere eas, nec ouis, nec pullis expedit.*

Et residentiuxta fluenta plenissima, alij ex fonte *iuxta concauitatem*, vel *iuxta cauernam suam*, vel *iuxta adaptationem*, in originali est מלאת *mileth*. quæ vox plenitudinem sonat ex germano suo significato, deest in originibus *fluenta*, sed additum à nostro interprete, significationis ergò. Venio ad sententiam.

Quidam Luisium Legionensem, & alios recentiores interpretes, qui ex illo hauserunt, incusant, quòd ista comparatione sponsi oculos, cum columbarum oculis componi dixerint, cùm planè textus habeat, oculos illius esse sicut columbas ipsas. Tamen purgari poterit ex eo, quia sicut suprà *cap.* 4. illa verba, *capilli tui sicut greges*, &c. omnes sic exponunt, vt collatio à villis caprarum ad sponsæ capillos ducta sit, licèt illa vox *greges*, sit in recto, & capilli absolutè capris similes dicantur: ad eumdem modum, oculi sponsi, licèt columbis absolutè comparari videantur, vt enunciatio sonat, tamen re ipsa, oculi oculis, & lumina luminibus componunt: & sanè columbas quasdam elegantissimis ocellis præditas esse, præter Legionensem tradit Barradas *tom.* 2. *in Euangelia lib.* 1. *cap.* 16. qui ita ait: *in Epistola, à quodam fide digno sacerdote missa hæc legi. Ex regno Sindæ, quod à Chaule* 130. *leucarum interfitio distat, magnæ ad me allatæ sunt columbæ, Lusitanis maiores, cristisque alaudæ instar decoræ; oculorum verò pulchritudine longè nostras superant; sunt enim formosissimi.* Hanc interpretationem Legionensis comprobat translatio vulgata suprà *cap.* 1. *vers.* 15. vbi de sponsæ oculis sic habes: *oculi tui columbarum.* ibi enim oculos cùm oculis contulisse nemo inficiabitur, & tamen in originibus est, *oculi tui columbæ*; ac proinde quæ ibi de sponsæ oculis columbinis diximus, in hunc locum transferri possunt, & sponsi luminibus adscribi.

Et quidem huic expositioni, subiecta verba accommodare non erit arduum, *super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, vt residentiuxta fluenta plenissima.* Hæc omnia ad oculorum pulchritudinem faciunt plurimum, nempe iuxta fluentes alueos versari, vt mersari, ac se perluere crebrò possint. nam crebra illa mersatio & ablutio oculorum, aciem in primis iuuat, & albugines detergit. Et qualescumque dulces aquas oculis salubres esse, auctor est Plinius *Historiæ lib.* 31. *cap.* 2. vbi laudat mirum in modum, aquas Lulianas, seu Academicas, quæ videlicet in Ciceronis Academia perenni scaturigine fluebant: producit autem celebratum laureæ carmen in hunc modum.

Hinc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse quidem Ciceronis honorem
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope,
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Idem docet Galenus de tuenda sanitate *lib.* 3. *cap.* 4. vbi oculos aqua pura crebrò tingere suadet, ne albugines concrescant, & quidem columbinum fimum oculis noxium, quemadmodum hirundineum, tradit Vallesius de sacra Philosophia, calidissimæ quippe naturæ est, & oculorum temperamento aduersæ. Quapropter sicut hirundines chelidonia sibi medentur, cùm fortè fimus oculis adhæsit, ita credo columbas mundissimis aquis sibi succurrere, cùm à fimo proprio lædantur. Addo etiam obseruationem Legionensis, qui ita affirmat sibi compertum esse eos, qui columbas emunt, probaturi, vtrùm Palæstinæ columbæ veræ sint, aqua eluere illorum oculos, quòd ille luminum nitor sic excitatus, atque auctus magis effulgeat. Hæc dixi vendicans à calumnia Legionensis expositionem.

Tamen si quis malit proprietatem sermonis seruari, & verba ipsa, vt sonant, accipi,

atque

atque adeò comparationem ab ipſis columbis, ad oculos ductam fuiſſe aliam libens ſubnecto expoſitionem, atque optionem pariter do. Per aquarum riuulos intelligo conos, vel angulos oculorum affines naſo, à quibus lachrimæ fluunt, vulgo *lagrimales*. Nam riuorum ad inſtar perſtillare ſolent. Per *plenitudinem* verò, aut pleniſſima fluenta, totam cauitatem, ſeu ſinum, in quo oculorum orbes natare dicuntur; non ſecus atque in pleniſſima ſcaturigine ales aliqua: quo dicendi modo vſus Virgilius Æneidos,

—— *Natantia lumina ſoluit.*

Et Ouidius 6 Faſtorum,

—— *Oculi animique natabant.*

Demum orbes ipſos oculorum, ſeu globos integros, cum columbis conferri dixerim, *lacte lotis*, id eſt, candidis, quia maiori ex parte albi ſunt: nam ſi demas pupillam, reliqua ſunt alba in oculo. Itaque habita ratione maioris partis ab albis columbis, & non aliis ducitur comparatio Ne ſi velis *lacte lotas* dici; id eſt, in aqua mundiſſimæ & candidiſſimæ natantes, & colore cæruleo obſcuro præditas: eiuſmodi enim eſſe ſolet columbarum ſylueſtrium color, earum maximè, quas torquatas vocitant; color autem cæruleus ſubater in oculorum pupillis ante alios commendari ſolet. Habet etiam leporem interpretatio noſtri Sanctij de conſonantia vocis Hebraicæ *ghenaim*, quæ *oculos* ac *fontes* ſignificat, quam ſcholiis noſtris ſic illuſtramus.

Ergo nomen, quo Hebraicè cenſentur oculi, eſt עינים *henaïm*, quod immutatum fontes etiam perennes ſonat. Huic verò non parum affinis eſt vox יונים *ionim*, quæ columbas ſignificat, quam vocem adduci non poſſum vt credam fluere à radice יון *ion*, quod eſt *cænum*, vt quidam inſulsè dicunt, ſunt enim permundæ & ab omni ſorde & tetro odore abhorrentes maximè, ſed à radice יונה *ionah* quod eſt *rapta*, vel *capta*, quia videlicet columba ſit captu facilis & venatoris, vel accipitrum inſidiis facile cadat, vtpote auis dolo & actu carens. Ergo veriſimile eſt ſponſam, vt ſponſi oculos commendaret, commune oculorum vocabulum partim expoſuiſſe, partim in vocem illi affinem migrare feciſſe, quod Hebræis admodum ſolemne eſt, & non parum habet venuſtatis & leporis. Quod enim ait, iuxta riuulos aquarum, ad nominis *ghenaïm* interpretationem ſpectat: vt autem oculos cum columbis, id eſt, cum *ionim*, componeret, nominũ vicinitas vtriuſque vocis in cauſa fuit. Quòd ſi verum eſt quod tradit Origen. *Hom. 3. in Leuiticum*, (& veriſimile videtur,) videlicet columbas, *cùm ad aquas venerint, quia ibi ſolent accipitrum inſidias pati, venientem deſuper inimicum volitantis vmbra in aquis inſpecta deprehendere, & oculorum perſpicacia, fraudem periculi euadere*, quod ex Origine plures alij deſumpſerunt, ſic commentari æquum eſt. Sponſa oculos ſponſi, columbas, iuxta riuos, appellat; partim expoſitio, partim commutatio in vocem affinem vocabulo; hac verò comparatione non ſolùm naturalem eorum pulchritudinem ſignificare voluit, ſed eorumdem etiam mores & ingenium innuit, ſcilicet ſimplices eſſe, ſed tamen prudentes & cautos; quaſi dicat, oculi ſponſi, columbæ ſunt; ſed quia iſtæ *ionim*, id eſt, captu faciles dicuntur, caue ne putes ſponſi mei oculos eſſe eiuſmodi, vt facilè capi, aut deludi poſſint; ſunt enim columbæ ſuper, id eſt, iuxta riuulos aquarum, atque adeò cauti ad accipitris aſtum & fraudes eludendas. Addit, *quæ lacte ſunt lotæ*, id eſt, candidæ. Albas columbas accipitris inſidias paſſi maximè teſtis eſt Columella, cuius verba ſuprà exhibui; atque adeò euadet talis ſenſus, *Quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima*; quaſi dicat. Albæ illæ quidem ſunt, nam hic color aptior eſt ad candidam ſimplicitatem notandam: ne tamen exiſtimes, eas propterea captu faciles, quia candor ille vnxunguium alitum inſidiis exponitur, nam iuxta fluenta pleniſſima degunt, quò ſeſe ab omni aduerſariorum vendicent iniuria. Quaſi dicat: columbini ſunt, candidi ſunt, ac ſimplices, non ſtolidi, nec imprudentes, ſed cauti & aſtu maxima præditi.

Non eſt prætermittenda obſeruatio altera noſtri Sanctij, qui exiſtimat, comparationem iſtam non duci à columbis ſuper aquas puras natantibus, ſed ab earum imagine, quæ in aquis ex repercuſſione reſplendet, cùm ſuper eas volitant, aut in marginibus reſident: quæ imago non ſecus in eiſdem aquis immerſa, tremula & innatans apparet, quàm pupillæ in oculis, cui adſimile eſt illud Ouidij *de Arte*.

Aſpicias oculos tremulos fulgore nitentes,
Vt ſol in liquida ſæpe refulget aqua.

Itaque ſenſus erit: *oculi eius, ſicut columbæ*, &c. id eſt, oculi ſponſi mei non ſtupentes,

non

non hærentes, sed viuidi atque acres sunt, quorum pupillæ simplices ac sinceræ non aliter in crystallino humore innatant, quàm columbarum super aquas volitantium imagines ex aquis promicantes viuæ ac spirantes apparent.

Id tamen difficile in hac interpretatione occurrit, quod à pupillis, seu choris oculorum acceptum signum non satis idoneum videtur ad dignoscendum sponsum, quamuis non ignorem descriptiones poëticas nimium euagari, & pleraque etiam minima exprimere solitas; quæ aliàs superuacanea videri possunt. Sed præferenda expositio superior, quæ oculos & eorum pupillas fontibus ac veris columbis super aquas natantibus assimilat; oculos, inquam, natantes, non nictantes, non nutantes, non annuentes, non conniuentes, hæc enim vitia à simplicitate oculorum abhorrent, vt olim diximus *Prouerb. 6.* ad illa verba, quæ de Apostata serit Salomon; *Annuit oculo, terit pede*, &c.

Ad extremum non est supprimenda interpretatio Hebræorum Salomonis Abenezræ, & Anonymi, qui duas oculorum similitudines in eodem carmine includi existimarunt: altera ducta à columbis lacteis & candentibus; altera à gemmis auro, vel argento inclusis. nam vocem illam *mileh*, de qua suprà, pallam annuli interpretantur, iuxta illud *Exodi 27.* vbi pro illis Vulgati nostri verbis, *inclusi auro erunt per ordines suos* (scilicet lapides rationales,) Hebræa sic habent: *erunt lapides in plenitudinibus suis*, id est, in pallis suis.

Vers. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta, *sicut phialæ aromatis producentes pigmentaria*, alij, *sicut linea sulci*; hoc est, sicut tumuli porrecti, qui distinguunt & terminant areolas. Aromatum vocabulum commune est, & quaslibet odoriferas herbas innuit. Pro illis verbis, *consitæ à pigmentarijs*, Hebraicè est מגדלות מרכחים *migdaloth merchachim*, & vulgus Hebraizantium reddit, *Turres pigmentariorum.* nam *migdal*, turrim significat. suprà cap. 4. vers. 6. *sicut turris Dauid collum tuum*, & alibi passim. Nonnulli etiam, *turres longinquitatum*, non nemo, *circuli pigmentariorum*, vulgatus interpres retinuit sententiam, & verba omisit, premens vestigia septuaginta Interpretum, qui sic extulerunt: *Sicut phialæ aromatum germinantis vnguentaria*, quæ verba facilè declarant similitudinem sumi vel ab areolis per sulcorum lineas dispositis, quæ fragrantes herbas germinant, vt sensit Vulgatus; vel à phialis, seu vasculis, in quibus aromatum germina consita pubescunt, ea enim fuit mens septuaginta Interpretum, alias enim translationes non probo.

Et sanè ab his dissentior, qui per eiusmodi phialas pigmentariorum, pyxides intelligunt, & alabastra vnguentis plena, quæ scilicet amore suo malas significant non graciles, sed venustè turgentes, & succi plenas.

Illos etiam planè reiiciendas existimo, qui circulos, seu catinulos fictiles purpurisso imbutos intelligunt, & ab his ad sponsi genas rubentes similitudinem duci existimant; hæc enim omnia à vulgata lectione, imò ab oratione graui & seria prorsus abhorrent.

Communis ergo interpretatio locum istum de candore, ac rubore genarum edisserit, quæ areolis aromatibus consitis, ideò comparantur, quia, sicut in his candidi ac purpurei flores arte topiariorum mixti pulcherrimè vernant, sic etiam in genis sponsi candor ac rubor ad temperiem compositi pulchritudinem illius augent & amœnant. Hanc verò interpretationem non ideò excludo, vt Salomonem à tautologiæ vitio liberem, quasi idipsum, quod nuper dixerat, cùm sponsum *candidum ac rubicundum* asseruit, nunc iteratò repetat: id enim alienum est, vt ibi ostendi; sed quia dicta comparatio ad eum modum explicata, nec idonea, nec accommodata mihi videtur.

Quapropter in eorum sententiam procliuis discedo, qui hac similitudine areolanam aromatibus pubescentium primum iuuentutis florem, hoc est, primorem barbam, quæ iuuentutis & pubertatis primam significationem continent, notari volunt, de qua Virgilius 2. *Æneid.*

Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuenta.

&

& Martialis,

Dum tibi vernarent prima lanugine malæ.

& alia passim, quæ, ab herbis & floribus ducta similitudine, pubertati adaptantur. nam sicut in fœminis tumor vberum pubertatis index est, vt suprà notabam *cap.4. vers.5.* ita etiam in viris barba pubescens, iuueniles annos designat. Nam quæ aptior aut fingi, aut excogitari possit, comparatio ad significandam barbam aliquam prima lanugine vernantem, expolitam, detonsam & concinnam, addo etiam vnguento delibutam, atque adeò gratissimum odorem efflantem (nam barbam etiam vnguentis imbuere solenne fuit Hebræis, testimonio Vatis Psal.132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*) quam areola quædam aromata germinans noua & suaueolentia, cui dum ars accedit pigmentarij, mirum est quàm bellè illam expoliat & reconcinnet; complet enim vacua, densiora intercipit, depressa attollit, celsiora detondet, aliquando etiam in formas varias conflat, talis esse debet barba elegans, non glabra, non densior; detonsa, concinna, & bonam in speciem conformata.

Nec discedunt ab hac sententia verba Septuaginta, sicut phialæ aromatum germinantes vnguentaria. nam phialæ ibi sunt fictiles quædam vrnæ, aut calatisci, quos hortulos appellitant, in quibus non secus, quàm in hortis atque areis herbæ suaueolentes seruntur, satæ adolescunt, adultæ expoliuntur, conformantur, detondentur. Et quidem ab herbis, floribus, graminibus ad barbam duci solitas plures similitudines, nemo ignorat: vt primula barba, quæ pubertatis significatio est. his nominibus appellatur flos, germen, spica, culmen & lanugo iuuentutis, quæ omnia à re topiaria desumi videntur, atque adeò huius comparationis venustatem facilè declarant.

Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

Lilia. Quidam, vt accommodatior sit similitudo, liliorum quoddam genus esse dicunt rubicundum, quod Græci κρίνον nominant, de quo Discorides *lib.5. cap.97.* & Plin. *lib.21. cap.5.* nam labiis à colore purpureo prima & præcipua laus est. Addunt etiam ipsa extrema foliorum in labri cuiusdam speciem efformata. Myrrhas verò è labiis fluentes referunt ad gratum oris anhelitum, id enim maximè commendari solet. Martial. id olere dicit cuiusdam gratum anhelitum.

Quod madidis nardo sparsa corona comis.

Alij de verbis & suaui sermocinatione accipiunt, quæ nimirum, non aliter ex sponsi ore effunditur, quàm myrrha probatissima, quæ vel ex suo caudice sudat, vel ex pyxide perstillat. Huc spectat illud Martialis,

Quod Atticarum prima mella & rarum, &c.

Quod succinorum rapta de manu gleua.

Lege Clementem Alexand. *lib.3. Pædag. cap.3.* de illis qui mastiche dentibus trita, suauem oris odorem procurant, qui *cap.4.* de fœminis idem affirmat. *Aliæ*, inquit, *de his mastichem deuorantes circumeuntes deductis labris,* &c. vt conceptum odorem exhalent; sic vulgo interpretes.

Sed tamen communem expositionem sic illustrare, integra est. ergo sic statue, *lilij* nomen apud Hebræos quemlibet florem grati odoris in vniuersum notare. Nam licèt vox Hebræa *susanim* candida lilia significet, ex suo genuino significato, tamen sumpta specie pro genere, quemlibet odoratum florem innuit, sicut *myrrha* etiam latiori significatione, ad aromaticas omnes species, imò ad vnguenta omnia notanda assumi solet, vt suprà *cap.1. vers.3.* latè docuimus, & constabit ex his, quæ dicam infrà *cap.6. vers.2.* ad illa verba; *vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*

Ergo cùm ait: *Labia illius lilia,* &c. perinde est, ac si dicat: labia illius, similia sunt floribus.

Ore floridulo nitentes. & Conradus, *Dum figit labijs basia floreis*; sed in his locis quamuis os floridum appelletur absolutè, nec designetur specialis aliquis flos, cum quo labia meliùs congruant; is tamen accipi debet qui rubro & purpureo colore, purpurea quoque labra adumbret, nimirum rosa, quæ est florum flos, cui sponsi labra adsimilari affirmat sponsa. Accinit Martialis,

Et libata dabat roseis carchesia labris.

Virgilius quoque,

——*Thaumantias roseo sic ore locuta,*

& iterum,

—— *Roseaque hæc insuper addidit ore.*

Subdit statim; *distillantia myrrham primam*; id verò vel ad lilia referri potest: si ad lilia referas, myrrha sumenda est, in latiori significatione, pro vnguento in vniuersum, nec intelligas florem aliquem aspersum vnguento, vel vnguentum sponte sudantem, sed talem, ex quo odor effletur similis ei, quem spirant vnguenta: vt sensus sit, labra sponsi, lilia, vel rosas imitantur; rosas, inquam, suaueolentes, quæ scilicet similem vnguentis odorem spirant.

Sed tamen, vt ego coniicio, verbum illud *distillantia*, meliùs & aptiùs cum labris coniungitur, hoc sensu: labra distillantia myrrham primam, non aliter rubent, non secus olent, quàm rosæ pulchræ, & suauem odorem spirantes. Hunc verò odorem non refero ad oris anhelitum, seu animam suaueolentem; nam sponsa, signa & documenta Solymitanis præbet, quibus ille de sponso edocerentur: huius autem signi, videlicet suauis anhelitus periculum facere haud poterant illæ sine iniuria sponsæ. Loquitur ergo de vnguento, quo barbam inungere solebant Hebræi, vt suprà dixi: & à barba in labra deriuari necessum erat; vel certè, quia labra ipsa vnguentis etiam imbuebant vltores in deliciis, sicut de naribus testatur Tibullus,

Et crocino nares myrrheus vngebat onyx.

Atqui nemo nescit labra oleo, vel vnguento imbuta colorem natiuum splendidiùs prodere solitos. Oleum enim pinguedine sua detergit, læuigat, & omnes colorum flores exacuit. ergo sic sponsa: Labra (inquit) sponsi mei oleo myrrhino madentia rosas imitantur, quia pulcherrimè rubent, & suauissimè olent, hîc enim duo in rosa cum primis pollent: de colore rubenti frustrà hîc plura. de odore grato, subest illud Martialis,

Fragrauit ore, quod rosarium Pæsti,
Quod succinorum rapta de manu gleua.

Vers. 14. Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.

SONVS ALLEGORIÆ.

TOrnatiles, Hebraicè גלילי *Galile*, id est, *orbes*, aut *sphærulæ aureæ*. sic communiter Hebraizantes. Septuaginta *tornatæ*, concinentes Vulgato.

Plenæ, Abenezra, *ornatæ*, ac *cælatæ*, hoc est, cælatis hyacinthis adornatæ.

Hyacinthis. Hebr. *tharsis*. Sed de significatione huius vocis incredibile dissidium apud Doctores, de qua multa D. Hieronymus multis locis; plura Pagninus in Lexico, & ad ipsum Mercerus, quæ studens compendio missa facio. Idque tantùm ex communi sensu, mihi sumo vocem istam *tharsis*, sæpiùs mare, aut plagam mari vicinam, aliquando etiam lapidem pretiosum significare in Scriptura. Sed quis iste lapis? Abenezra *onychem*, aut *iaspidem*, ea voce notari voluit. Anonymus retinuit ipsam vocem, atque adeò sic extulit: *Similes sunt oculationibus auri confecti ad includendum tharsum.* Sed Vulgatus noster eandem vocem *Danielis* 10. & Exodi 28. *Chrysolithum* conuertit, quem sexta editio secuta est in hoc loco, *plenæ Chrysolithis*. Sed præferenda est lectio vulgata, quæ hîc *hyacinthum* transtulit. Ego enim ita reor, lapidem istum *tharsum* appellari, quia cæruleus est, & ipsum mare, eo ore imitatur. Aliqui etiam eo nomine *turcosiam* dici autumant, coloris cyanæi minimè pellucentis, quæ à nostratibus appellatur *turquesa*, & apud Mauros maximo in pretio est, quia putant eos, qui ipsam gestant in equitando, fortunatos euadere.

Duas inuenio huius loci interpretationes. Prior est Legionensis & Delrij, qui ita edisserit: *Manus eius tornatiles*, id est, succi plenas, ac terites, propter digitos, ad perfectam rotunditatem æquabiliter porrectos, perinde ac si torno elaborati essent. *aureæ*, id est, *nitidæ plenæ hyacinthis*, quoniam vngues in digitorum finibus inclusi hyacinthos auro inclusos imitari videantur. Et sanè haud inepta esset isthæc comparatio, si pro hyacinthis *onyches* subiicere liceret, cum Abenezra: isti enim lapides, quia vngues colore suo imitantur, *onyches* appellantur, ac proinde cum illis aptè conferri possunt. Sed tamen hîc Rabinus aliter comparationem instituit, nam in declaratione dramatis sic habet: *Impleti hyacinthis, hoc pertinet ad pilos, qui sunt super manus eius*; quasi dicat: Manus quidem & digiti tornati sunt ac terites, in quibus pili inter duos

articu

articulos excreſcentes nihilo differunt ab hyacinthis,qui annulorum paſis incluſi ſunt. Sed vim infert verbis hæc comparatio. Meliùs fortaſſe illi, qui hyacinthos cæruleos auro incluſos venis accommodare audent,quæ in manibus plures coëunt hyacinthos colore imitantes,& quo nitidior, atque candidior eſt,cutis manuum plus ſe produnt, nec paruum illis decorem afferunt.

Cæterùm eam interpretationem cæteris anteponendam cenſeo,quæ priorem verſum ſic partitur. Priora illa verba : *Manus eius tornatiles*, de naturali manuum perfectione ac venuſtate ediſſerit,non ſolùm, quia quidquid eximiè perfectum & elegans exiſtit,tornatum dicitur,vt de ſuis verſibus cecinit Propertius,

Incipe iam anguſto verſus includere torno;

ſed etiam, quia illis verbis, manus & digiti ſignificantur ſucci pleni, atque adeò teretes, quaſi ad tornum circinati, quam laudem Ouidius *de Arte*, in pulchram fœminam coniecit.

Et teretes digitos, exiguumque pedem.

Sed luculentiùs Philoſtratus *lib.* 2. *Iconum*, vbi Anthei brachium ſic deſcripſit.*Circumactum & veluti torno confectum,æquè atque humeri erat brachium.*

Illa verò poſteriora verba,*aureæ plenæ hyacinthis*, de ornamento manuum, ac digitorum, hoc eſt, de annulis aureis hyacinthis inſignitis accepit; iſtam verò interpretationem, quæ aliàs communis eſt, ad hunc modum illuſtro, de annulorum vſu in nuptiis, fruſtrà hîc multis; exploratum enim eſt,non ſolùm ſponſæ dari ſolitos à maritis, ſed maritos etiam accipere, ac geſtare. Vide plura in noſtris commentariis, ad illa verba Prouerb.cap.7. *Liga eam in digitis tuis*, &c. vbi Salomon iuueni præcipit, vt ſapientiam ſponſæ loco habeat, atque adeò eius nomen, aut effigiem in annulo impreſſam & exſculptam gerat, vt ſponſi ſolent, vbi ad eum ſenſum traduximus verba Iſaiæ 62. *Eris corona gloriæ in manu Domini.* Hebraic. *circulus gloriæ, & diadema regni in manu Dei tui.* Vbi de annulo & corona regia ſermonem eſſe plerique cenſent, de annulo, inquam,ſponſalitio, in quo Deus Hieruſalem, tanquam ſponſam deformatam gerebat. Nam ſubdit ſtatim, *& gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.*quæ verba per comparationem ediſſerenda ſunt: ſic nimirum gaudebit ſuper te Deus tuus, ſicut ſponſus gaudet ac geſtit ſuper ſponſa ſua. Item cap. 45. eiuſdem Iſaiæ ſic habes : *In manibus meis deſcripſi te*,id eſt, in annulis quos manibus & digitis inſertos gero, deformaui nomen tuum, vel ſpeciem tuam, quæ ſimilem ad modum de annulo nuptiali accipi debent.Subdit enim Propheta : *quia his omnibus veſtieris,& circumdabis eos tibi quaſi ſponſa.*Ex prophanis ſuppetunt plura teſtimonia, quem maritus ſponſæ donabat. de eo verò, quem vir accipiebat,ſubeſt illud aliud *lib.6. Epigrammatum Græcorum*,

Manum vinciam auro legato ad ornamentum.

Rurſus annulus regię dignitatis inſigne nunquam non fuit. 1. *Machabæorum cap.*6. Antiochus Philippo regnum ſimul cum annulo detulit,& Pharao *Geneſ.*41. dato annulo, regiam poteſtatem tranſtulit in Ioſeph. lege multa in noſtro Bullingero de Imperatore *lib.*2.*cap.* 10.de annulo aureo Imperatorum ac Regum, vbi diſcrimen aſſignat inter annulum ſigillaritium, quòd aſſignandas ſanctiones & diplomata gerebant, hic enim erat Regiæ dignitatis nota, & alium quoad claudendas res,quas maximè tutas, ſaluaſque eſſe iubebant,vtebantur. de quo *Danielis* 14.Sacerdotes Bel, ſic ad Regem: *Claude oſtium, & ſigna annulo tuo*, & infrà : *& egreſſi clauſerunt oſtium,& ſignantes annulo Regis abierunt*; & Rex iterum ad templum rediens, ſic ad Danielem : *Salua ne ſunt ſignacula Daniel?* qui reſpondit : *ſalua.*Itaquè, non vnum annulorum genus Regibus in vſu erat; imò triplex.nam ſponſalitium,tanquam mariti : ſigillatorium & obſignatorium, tanquam Reges geſtabant. Omnes iſti annuli aurei incluſis lapidibus pretioſis cælatis & inciſis. nam in ſponſalitio nomen, aut ſpeciem ſponſæ incidebant in ſigillatorio aliquod ſtemma cuique Regi proprium cælabant, in obſignatorio ſimiliter notam aliquam inſculpebant, quam imitari fas non eſſet. Addo etiam id quod aliàs non ſemel dixi,ſponſum in hoc Cantico & Regis perſonam ſuſtinere,& tanquam Regem deſcribi & expingi.

Ex his autem germana huius loci expoſitio fluit,quæ ſic habet. *Manus eius tornatiles.* (habes ſuprà horum verborum ſententiam.) ſubnectit : *aureæ plenæ hyacinthis. Aureæ*, inquam,id eſt, aureis annulis inſignitæ,& ornatæ, ſicut ſuprà caput ſponſi *aurum optimum* dicitur, id eſt, aurea corona redimitum. *Plenæ hyacinthis*, qui nimirum in

ipsorum annulorum pallis inclusi erant, nec inclusi solùm, sed etiam, vt ait Abenezrha, cælati atque incæsi. Sponsus autem manus aureas habere dicitur, & plures quoque hyacinthos in his gestare, propter diuersas formas aureorum annulorum, quos gerebat tanquam sponsus, & tanquam Rex, scilicet nuptialem sigillaritium & obsignatorium hyacinthis inclusis sponsæ nomine, aliisve notis, seu stemmatibus in eisdem exaratis & insculptis.

Nisi velis cum septuaginta Interpretibus, retinere vocem *Tharsis*. *Plenæ* scilicet *Tharsis*, annulis, scilicet, diuerso gemmarum genere insignitis ornatæ. nam vox *tharsis* plures lapidum pretiosorum species significat, scilicet hyacinthum, sapphirum, onichen, turquesiam & alios, vt suprà dicebam.

Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

Septuaginta aliter conuertunt: *Venter eius pyxis eburnea super lapidem sapphirinum.* Plures Abenezrham sequuti *sapphirum*, lapidem rosei, vel crocei coloris esse dixerunt, tamen falluntur; certum enim est cœli sereni colorem exhibere. Exodi 24. *Et viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum cùm serenum est.* De quo sic Marbodeus Dactilothecæ *cap.* 52.

Sapphiri species digitis dignissima Regum,
Egregium fulgens puroque simillima cœlo,

sic fert Nysseni, Theodoreti, Pselli, Philonis, & Cassiodori sententia.

Ergo præmissus Abenezrha, priora verba sic extulit. *Viscera eius nitor eboris.* Hebr. נוי *heseth.* Hebræi non habent vocem aliquam propriam, qua colorem album significent, atque adeò quæcumque alba & candida sunt, per similitudinem exprimunt argenti, niuis, byssi, & eboris, vti aliàs ex Pagnino & Mercero obseruaui, & hîc peculiari animaduersione dignum est. Rursus idem Rabinus explicans illa verba, *distinctus sapphiris*, quasi Paraphrasticè sic ait: *viscera, seu venter eius circulus medius, in quo sunt similitudines siderum*, de qua paraphrasi infrà aliquid subscribam.

Nodus quidam hîc se se offert ad expediendum difficile, cuius solutio inseruiet, tam huic loco, quàm aliis, quæ *cap.* 7. occurrunt, vbi sponsus sponsam describendam suscepit. Quidam enim hæc verba de ornatu aliquo externo capienda censent, ne (quod pudori horret) interna sponsi, vel sponsæ membra cogantur perscrutari. Et quidem in hoc loco, in quo sponsa signa præscribit Solymitanis fœminis ad sponsum cognoscendum, absurdum esset dicere pro nota & signo ventris candorem insinuasse, quem explorare ipsæ non poterant. Deinde non facilè explices qui venter *sapphiris distinctus* appellari potuerit, si ad ventris internam cutem perueneris. Ad hæc quod spectat ad *cap.* 7. qui descriptionem illam fœminis tradunt, ineptè dicunt eas vmbilici feminum ac ventris intima delineasse, cùm ea numquam vidissent; qui verò sponso accommodant, indecoram rem animo concipiunt, si sponsum hæc vel obiisse oculis, vel etiam visa describere affirment. Sed tamen dicti interpretes dum comparationes istas de externo ornatu interpretantur, satis eruditè inducunt, nescio quæ ornamenta & ornamentorum nomina: itavt ventris vmbilici ac feminum vocabulis aliqua propria horum membrorum ornamenta significari autument, quæ eisdem *ventris*, *vmbilici* & *feminum* nominibus censentur.

Cæterùm, mea quidem sententia, dum pudori aliter prospici non posse credunt, spirituales sensus euertunt; nam certum est, omnium Patrum & interpretum conspiratione sponsæ corpus spiritaliter esse corpus Ecclesiæ mysticum ex membris compactum pluribus, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Hæc ergo, quæ Paulus vocat membra Ecclesiæ compacta per omnem iuncturam, sunt quidem diuersi illius status, qui per suas functiones distinguuntur; singula verò describuntur in hoc libro. Quomodo ergo constabit corpus istud ex suis membris per omnem iuncturam compactum, si pro membris vestes, vel alia ornamenta, intelligamus? vereor ne pro vero corpore per abusionem metaphoricum ac fictum, & ex fictis & ementitis membris coalescens efficiamus & componamus.

Ergo

Ergo neque cum iis sentio, qui membra interna perscrutantur, vt pudori prospiciam, neque cum illis, qui ita trahunt omnia ad externum ornatum, *vt ventris, vmbilici, feminum*, & aliorum membrorum vocabulis meras vestes, aut vestibus addita ornamenta intelligant. Sed certè, existimo his nominibus ipsissima corporis membra notari; sic tamen, vt exteriùs apparebant, & per vestes elegantes, atque decoras sese prodebant; nam ea ratione pudori consultum erit, nec adimetur vis spiritualibus intelligentiis. Quomodo verò id fiat, ex dicendis constabit.

Prima interpretatio, quam bonæ notæ auctores sequuntur, sic habet: *venter eius eburneus*, &c. id est, suapte natura candidus instar eboris, ac præ nimio candore diaphanus est, itavt venæ sanguineæ per transparentem cutem sese prodentes, ad instar Sapphirorum obtineant. quæ interpretatio concinit cum altera illorum verborum, *Manus eius tornatiles, plenæ hyacinthis*. Sed, me iudice, speciali nomine explodenda est. nam sponsus manus detectas gerebat, atque adeò fœminæ, quibus hæc signa insinuabantur, earum pulchritudinem oculis obire poterant: at verò interiorem ventrem, eiusque candorem, ac venas aspicere fas non erat, nec etiam describere, & delineare sine aliqua impudentiæ labe, quæ à puriſſimis istis nuptiis omnino aliena est. Rursus ventrem internum externa vestis occultare, & oculis eripere solet, ac proinde pro signo ad sponsum dignoscendum Solymitanis fœminis deseruire non poterant.

Ergo secunda expositio, vt hanc difficultatem declinet, per ventrem aliquod ornamentum supra ventrem pendens, aut vestem ipsam, quæ ventrem tegebat, intelligit, quæ nimirum ebur candore suo imitabatur. Id verò Hebræis solenne fuisse, non aliunde colligunt, nisi, quia familiare illis est, vestes quasdam de ipsorum membrorum, quæ ab illis exornantur, nomine censere. Vide plura quæ in hanc sententiam congerit noster Sanctius *Prolegom. 8. in Cantica*, à quibus vel ideò abstineo, quia huic interpretationi, ob rationes nuper datas, parum defero.

Atque eodem nomine tertiam interpretationem excludo, quæ ventris vocabulo *balteum*, id est, cingulum intelligit gemmis ornatum. nam licèt propiùs ad germanam expositionem accedat, in eo certè defuit, quia his ornamentis ventris nomen inditum fuisse asseuerat, quod à mente Prophetæ omnino alienum est.

His ergo explosis, ad genuinum huius loci sensum eruendum, aliqua prælibare opus est. Primò id tanquam certum & exploratum suppono, sponsam his verbis ipsam naturalem corporis partem, quam ventrem appellamus, describere, non quidem nudam, aut inuestem, (absit enim, vt hoc mihi persuadeam) sed vestitam, tectam, & regio ornatu conspicuam, qualem vestes ipsæ prodebant. Nam, vt in hac sponsi descriptione sæpe, ac sæpiùs notaui, Sulamitis, non priuatum hominem, sed Regem ornamentis regiis insignitum expingit.

Rursus illud etiam verosimilius est, quod noster Martinus eruditè obseruauit, nomine *ventris* in hoc loco, non solùm eam partem corporis significari, quæ sic propriè & germanè appellatur, sed per metonymiam, parte pro toto accepta, totum corporis truncum notari, à collo vsque ad imum ventrem, vel, si placet, ad vsque crura ipsa. de quibus statim addit, *crura eius coronæ marmoreæ*, nam his duobus hemistichiis integrum corpus complexa est, ita scilicet, vt omnia sponsi lineamenta absolutissima descriptione collegerit Sulamitis.

Vlteriùs sic statuo, interiorem tunicam, seu thoracem, quam sub chlamyde purpurea Reges gestabant, ex vsu Hebræorum candidam fuisse, vt suprà *vers.* 10. ad illa verba, *candidus & rubicundus*, non perfunctoriè probaui. His autem, quæ de sacris literis ibi produxi, aliquid etiam hîc ex prophanis addere collibitum est. Bullingerus *lib. 2. de Imperatore*, hæc recitat ex Corippo, qui regiam, seu imperatoriam vestem describens, chlamydem purpuream, & subiectam chlamydi albam tunicam, eiusque mensuram sic describit.

Nobilibus gemmis, & viuo lucidus auro,
Balteus effulgens lumbos, præcingit heriles,
Substrictoque sinu vestis diuina pependit
Poplite fusa tenus pretioso candida limbo,
Cæsareosque humeros ardenti murice texit,
Circumfusa chlamys, rutiloque ornata metallo.

Hæc ille; quibus verbis, (missum facio, balteum gemmatum, de quo infrà) tunicam candidam substricto sinu Imperatori tribuit, cuius mensura talis erat, vt à collo

[1] *Salazar in Cantica.*

vsque ad poplites demitteretur : huic autem tunicæ chlamydem purpuream imponit auro intextam. Et infrà ex eodem Corippo,

Egreditur, tunicáque pios induitur artus,
Aurata se veste tegens, qua candidus omnis
Enituit, lumenque dedit.

Quid illustrius ? Illud etiam peruulgatum quod de Persica Regum veste scripsit Xenophon in Cyropædia lib. 8. *Cyrus* (inquit) *apparebat in curru, rectam thiaram habens, tunicamque purpuream medio albo distinctam*, (*nam aliis circa medium albam habere non licet.*) quod vestis genus Persas ab Hebræis, vel à Persis sumpsisse veritati simillimum est. Constat enim plerosque ritus & mores vtrique genti communes fuisse. Xenophontis autem verba sic accipe, vt tunica purpurea supremam chlamydem, aut paludamentum designet ; medium verò, quod album fuisse dicit, id omnino significet quòd purpureæ chlamydis alæ detectum relinquebant ; ita enim Corippus & Xenophon cohærentia dicunt. vide plura *loco citato.*

His autem, quæ de tunica alba substricta dixi, addere opus est, vsum baltei Regibus quoque solemnem. huius meminit Scriptura Iob 12. *& balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Erat autem balteus zona, quæ obliquè dicebatur ab humero dextro, ad latus sinistrum, ex quo ensis suspendi solebat, quem hodie voce mixta Arabica, vocamus *tahali*, & Hispanica *talabarte*, qui initio proprium ornamentum Regum fuit. deinde succedentibus sæculis, militibus quoque datum. 2. *Reg. cap.* 2. de Ioab supremi exercitus Regij ductore sic habes : *Posuit cruorem belli in balteo suo, qui erat circa lumbos eius*, &c. Eiusmodi autem balteum, siue bullatum, siue gemmatum, gestabant Reges. Nil certius. Adest nobis Corippus nuper allegatus,

Nobilitas gemmis, & viuo lucidus auro,
Balteus effulgens, &c.

Claudianus in Panegyrico Honorij Imperatoris,

Membraque gemmatæ trabeæ viridantia cinctu,
Et fortis humeros & certatura Lyæo
Inter Erithræos surgentia colla smaragdos.

Et idem in eodem Panegyrico,

—— *& cingula bullis*
Aspera, gemmataque togas virideque smaragdos.

Et de Gallieno Imperatore sic Trebellius Pollio, *gemmato balteo vsus est, & caligas quoque gemmatas annexuit.* Caligæ autem tum hîc, tum aliàs calceamenti genus significant, vt paulo pòst dicam. Herodianus etiam de Macrino sic scribit : *Fibulis & balteo ornatus processit, multo auro & gemmis variatis.* Adde etiam *lib.* 1. *Cod.* vbi baltea gemmata priuatis vetantur, quia nimirum solis Imperatoribus permissa.

Quid plura ? non solùm balteus gemmatus, & bullatus, erat insigne Regum, sed etiam zona, aut cingulum, quo renes præcingebant bullis & gemmis conspicuum. Corippus suprà laudatus,

—— *Auratas vestes premuntque feruntque,*
Et capitis diadema sacri, &c.

Mitto alia testimonia his similia, & locum istum facili, ac luculenta expositione sic dono.

Venter tuus eburneus. id est, totum sponsi corpus à collo vsque ad imos poplites candida tunica indutum (hæc enim erat regia vestis, qua Reges vtebantur) totum, inquam, corpus (vt Regem decet) eburneum est, candore scilicet suo ebur facilè superans. nec candidum solùm, sed etiam Sapphiris distinctum, propter balteum gemmatum, & cingulum quoque gemmis insutis conspicuum, quæ propria & insignita Regum ornamenta erant, atque adeò venter sponsi albus, his præcinctus supra modum decorus ac splendidus est ; nam Sapphirorum cœlestis color supra candidam ac lucentem tunicam aptatus plurimum refulgebat, adeò, vt ipsum cœlum Zodiaco & stellatis figuris in ipso inclusis præcinctum imitari videretur ; vt notauit hîc Abenezrah. huic verò interpretationi satis concinnè aptatur translatio Septuaginta ; vel ad instar eburneæ pyxidis, vt legunt Septuaginta, quam non candore tantùm, sed etiam tumore modico imitabatur. nam & suus etiam pyxidi venter est, quo tumere vndequaque videtur.

Vers. 15.

Vers. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.

SONVS ALLEGORIÆ.

REgia pro *cruribus* habet *coxas*. *Marmoreæ*, Hebr. שׁשׁ *sheſe*. quam vocem Vulgatus alibi conuertit *byssum*, *Prouerb.* 31. *ver.* 22. *Geneſ.* 41. *verſ.* 32. tamen Esther 1. verſ. 6. *marmoreum* transtulit, sibi similis in hoc loco. Crediderim vocem esse ambiguam & ancipitem, & album candidumque notare. Sed interpretis fuit pro loci exigentia huic, vel illi materiæ accommodare. Rursus *marmoreum* vulgo pro albo sumi consueuit. Virgilius 4. Georg. *marmoream ceruicem* dixit. Ouid. lib. 2. amor. eleg. 11. *Pedes marmoreos.*

Littora marmoreis pedibus signare puellæ.

Ergo similitudo venusta est, qua forma, robur & candor tibiarum & surarum aptissimè adumbrantur. Sed statim quæres, an sponsa hîc nudas describat tibias sponsi sui, an tibialibus tectas. Pro certo habeo veteres Hebræos nec femoralibus, nec tibialiis vsos fuisse; nam de femoralibus id mihi suadet locus *Exodi* 20. vbi Sacerdos iubetur *feminalia* assumere, ne dum gradus altaris editos scandebat, reuelaretur illius turpitudo. nam si hæc Sacerdos de more gentis gestaret, frustrà iuberetur denuo sumere; vt eo loco obseruat Lyranus, quamuis Abulensis in oppositam sententiam inclinet, *ibidem quæst.* 99. & planè antiquum fœmoralium vsum Sacerdotibus concedat, turpe putans omnino feminalibus caruisse. Sed cùm vestis Hebræorum esset prolixior, ad genua pertingens, & deinceps, nulla erat turpitudo feminalia non gestare. At, inquies, *Danielis* 3. de tribus pueris Azaria, Misac & Abdenago, ita haberi; *& confestim viri illi vincti cum braccis suis & thiaris & calceamentis & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, nam iussio Regis vrgebat.* Ergo Hebræis braccæ atque feminalia non omnino insuetæ fuerunt. Respondeo pueros illos habitasse in regia Nabuchodonosor, atque adeò deposita veste Hebræa Persicam induisse, vt coram Rege comparerent: Persas autem braccatos, & crura feminalibus velare solitos, tradit Pollux *lib.* 7. *Onomasticon cap.* 13. Plutarchus in Alexandri vita *lib.* 1. de eiusdem fortuna, vbi inter indumenta Persica thiaram, candym, & feminalia recenset; & tamen ab his abstinuisse Alexandrum, dixit Dio Chrysostomus *Orat.* 72. vnde Ouidius Persicam braccam, & Medos braccatos appellauit. Tandem Xenophon Cyrum, vestibus indutum regiis producens, sic ait, lib. 8. Pædiæ. *& circa crura periscelidas purpureo flore infectas, & eundem Oloporphyron.* Lege Brissonium de regno Persico *lib.* 1.

De tibialiis certius est, eorum vsum priscis cognitum non fuisse, vt obseruat Salmeron *Actorum cap.* 12. vbi sic Angelus ad Petrum: *calcea te caligas tuas.* Nomine autem caligarum calceos accipi debere, concors fert opinio interpretum, & eruditè probat ibidem Salmeron. lege (si vacat,) nec non Ioannem Lorinum, hæc accuratissimè edisserentem.

Ergo cùm constet, veteres Hebræos, nec feminalia gestasse, nec tibialia, illud compertum esse debet, vestem fuisse longiorem atque laxiorem, & ad crura saltem pertigisse, ne quid turpe fateri cogamur; sed tamen crure tenus reuelatas fuisse tibias. Has igitur tibias robustas & candidas, teretes, & valde pulchras, quas detectas & reuelatas afferebat sponsus, marmoreis columnis similes esse affirmat sponsa, qua comparatione nihil illustrius. Cæterùm cùm nomen Hebraicum, quod pro cruribus subest, reliquam corporis partem, quæ à collo vsque ad imos pertinet, notari constet, vt obseruant hîc vulgo Hebræi, cumque pro marmoreis sit vox illa שׁשׁ *sheſe*, quæ candorem sonat, vt iam animaduerti, affirmare licet Sulamitem complere reliquam partem regij ornatus, (vt suprà dicebamus,) qui totus internè sub chlamyde purpurea candidus erat, itaque hic versus sponsum à collo tenus describit, & includit etiam suras, atque illum ad pedes vsque candidum etiam esse dicit, vtpote veste indutum regia; includens etiam surarum elegantiam teretem & candidam, quas columnarum nomine pereleganter ornauit.

Quæ fundatæ sunt super bases aureas. Eadem penè similitudine vsus est Ecclesiasticus ad fœminæ constantiam adumbrandam, cap. 26. *columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris*, (adeóque communis est basis cum pede comparatio,) vt ipsi pedes vulgo bases appellari soleant. Quibusdam placuit, nec mihi, isplicet aureis basibus colatos fuisse pedes, propter calceos auro & gemmis

tectos, quos apud antiquos in vsu fuisse nemo negat. Sed in nuptiis præcipuè adhibitos comprobat Catulli carmen *de nuptiis Iuly atque Manly*,

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedis.

id est, aureis calceis tectos, vt explicat Franciscus Teobortellus Philostratus in Iconibus, Veneri aurea tribuit sandalia. Idem etiam Orpheo deauratos calceos tribuit. Addo etiam, non sponsis solùm, sed Regibus etiam familiare esse aureos calceos gestare. Callisthenes enim apud Bullengerum *lib. 2. cap. 4.* in vita Alexandri, de Dario sic scribit. *Darius oppidò triumphabat, diadema ferens ex capillis pretiosis, vestem autem sericam, & purpuram auream aureis calceis gemmatis.* Plutarchus etiam in Demetrio sic fatur: *Redimitus & amictus superfluè auro tectis purpuris, sed soleas pedibus aureas & meram purpuram subactas; eratque ei tunica texta diu multumque, opus superbum, simulacrum cœli & stellarum*; quæ verba, paraphrasim Abenezrhæ non parum illustrant. Plinius etiam *lib. 9. cap. 35. & lib. 32. cap. 2.* aureorum & gemmatorum calceorum meminit. Lampridius id ipsum affirmat de Heliogabalo, Eutropius de Diocletiano, Vopiscus de Canninio. Itaque sicut suprà alia sponsi membra, non nuda & vacua, sed propriis ornamentis condecorata depinxit sponsa, his maximè, quæ sponsum Regem esse demonstrabant, caput scilicet cum corona, manus cum annulo, ventrem, & pectus cum balteo, &c. Ita etiam nunc pedes cum aureis calceis describit, quos Regibus quoque gestare solemne fuit, & maritis etiam nubentibus non insuetum, vt nuper dicebam.

Species eius vt Libani, electus vt cedri.

Pro *specie*, Hebr. est מראה *mare*. significat autem totum vultum, & corporis habitum; *electus* בחור *bahur*, id est, *procerus*. De Saul 1. Regum cap. 9. *erat electus & bonus*, ideſt, procerus & pulcher. statim enim subdit rationem textus: *ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.*

Communis sententia fert, sponsam cum Libano totam sponsi pulchritudinem composuisse, quia sicut Libani decor ex magna arborum fructuum ac germinum collectione componitur, sic etiam sponsi elegantia ex omnium membrorum & partium concinna compositione constabat. sic communiter interpretes. Ego verò duas interpretationes, & optionem do. Altera ex antecedentibus pendet, vbi non semel asseruimus Regum Hebræorum tanquam peculiari & sibi proprio ornamento candida tunica vsos fuisse. lege quæ diximus *vers. 10. & vers. 14.* vbi de hac thesi multa contulimus. Ait ergo Sulamites, *Species eius vt Libani*; Libanus Hebraicè *candidus* interpretatur; ratio verò nominis est, quia cùm editissimus sit mons hic, concretis niuibus opertum, verticem semper ostentat. Ergo postquam sponsa ventrem eburneum, id est, album, crura marmorea, id est, candida esse dixit, ne alia membra persequi opus esset, sic addit, *aspectus eius totus*, videlicet corporis habitus, sicut niualis Libanus similem candorem præ se fert. Simile est illud Psalmi 67. *Dum discernit cœlestis Reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon*, id est, quamuis Reges sint, & dignitatem regiam candore vestium præ se ferant, Selmonem montem præaltum & niualem imitantes, eos nihilominus puniet, atque vlciscetur Deus, cœlo, quia populo suo perniciem molliri non desistunt.

Posterior facilior ac procliuior expositio, ad staturam sponsi refertur. nam in Regibus proceritas commendari solet. De Saule est illud nuper adscriptum: *ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* & Virgil. de Anchesi 8. *Æneid.*

—— *sed cunctis altior ibat.*

& de Turno, *lib. 7.*

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.

Hæc autem corporis proceritas & pulchritudini & robori deseruit; nam hi qui pusillo sunt corpore, nec pulchri, nec robusti sunt, vt docet Aristot. *lib. 4. Ethicorum cap. 3.* Lege nostrum Cerdam multa de proceri corporis laudibus ibi ferentem.

Ergo Sulamites hanc laudem in sponsum coniicit, hoc modo, *species eius vt Libani.* Nam sicut Libanus supra alios montes ipsi coniunctos verticem attollit, sic etiam sponsus meus specie ac statura Rege digna, altior & eminentior cæteris est. *Electus vt*

cedri.

cedri. De proceritate etiam intelligunt vulgo interpretes, quasi non aliter sponsus cæteris hominibus altior sit, quàm cedrus excelsa reliquis arbustis antecellit. Ego verò qui illis verbis, *species eius vt Libani*, altitudinem ac præstantiam staturæ sponsi notari nuper dixi, eiusdem comparationem cum cedro, sic institui debere existimo: *Electus vt cedri*, id est, sicut cedrus, arbor est neque gibbosa, neque nodosa, neque flexibus detorta, sed recta, directa, & enodis; sic statura sponsi, non procerior tantùm est, sed directior, & ab omni gibbosa deformitate, inclinatione ac deflexione turpi, aliena est; itaque hac similitudine, omne staturæ vitium excludit, omnem laudem includit. Plures cedrorum species enumerat Plinius, ex quibus aliæ humiles, aliæ proceræ, quas maiores appellat, ab his sumitur comparatio, de quibus sic scribit lib. 3. cap. 5. *Cedrus in cypro maxima nasci traditur, centum triginta pedum largitudine, crassitudine ad quinum hominum complexum.*

Vers. 16. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus, & ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem.

SONVS ALLEGORIÆ.

GVttur illius suauissimum, Hebr. *suauitates*. Septuaginta, *guttur eius dulcedines*. Abenezrha: *Palatum eius dulcedines*. D. Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. *Gustus eius dulcedines*. D. Ambrosius: *Faux eius dulcedines*. *Totus desiderabilis*, Hebr. *Totus desideria*. Septuaginta de singulari: *totus desiderium*. Hieronymus loco citato, *& totus concupiscentia.*

Talis est dilectus meus, &c. Septuaginta: *hic fraternus meus, hic proximus meus.*

Huius loci expositiones, non aliunde, quàm ex diuersis translationibus depromi debent. Sunt qui de habitu & suaueolenti aspiratione interpretantur, quæ gutture efflatur; sed non assentior. Alij de suaui sonitu vocis, quæ gutture efformatur, quæ non aspera, non stridula, sed suauiter auribus insonans, easque mirificè demulcens. Non probo.

Rursus qui pro gutture, palatum & gustum reddiderunt, non ita exponunt, vt in sponsi laudibus ponatur, quòd gustu polleat ad percipienda & discernenda dulcia & amara; sicut de Christo cecinit Propheta: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*; sed quia verè sapiat, nam à sapore sapientia dicta est, quia nimirum sapientissimus sit, omnisque scientiæ atque doctrinæ salutaris saporem ac gustum habeat; vel aliter, de his, qui leporem ac salem in dicendo habent. vulgo dicimus, *que son hombres de buen gusto.* Ergo eodem sensu donare licet hæc verba, id est, gustus eius, aut palatum eius dulcedines: ita nimirum sermones suos leporibus ac sale condit, vt meras dulcedines & gustet ipse, ac cæteris gustandas propinet.

Et sanè cùm Sulamites sponsi sui pulchritudinem ornatumque describens, eius videndi & contemplandi desiderium in Solymitanis fœminis excitasset, id quidem non satis ducens: eius quoque audiendi, imò alloquendi vota illis immittere voluit, his verbis, affirmans illum vsque adeò fœcundum & sapientem esse, vt omnes sales, omnes lepores, omnesque suauitates & dulcedines gutture, atque ore effundere soleat, vt proinde nihil iucundius, nihilve gratius sit, quàm ipsum audire, ac cum ipso sermones conferre. *Guttur illius suauissimum.* Nam pulchritudo & ornatus, si muta sint, & elinguia, vix placere possunt: sermo verò iucundus & conditus venustati coniunctus voluptatem in admirationem vertit, quando non tantùm oculus, sed mens etiam fruitur & potitur. Addit,

Totus desiderabilis. Quasi dicat: nihil in illo est quod eius desiderium & concupiscentiam non moueat. Septuaginta: *totus desiderium*, vel *desideria*: vel actiuè, vel passiuè, quia vel totus ad desideria natus, (vt ex Græcis aliqui interpretantur,) quippe qui ea omnia afflictim desiderat, quæ sponsæ conuenientia & iucunda sunt, vel quia omnium desideria & vota, ad ipsum intenduntur, cùm nihil in illo sit non amabile, non appetibile. Ergo, quia euenire sæpe solet, vt singularia membra per se sumpta, non indecora sint, tamen totum corpus, quod ex illis coalescit, pulchritudine careat. Id cauet sponsa dictis verbis, affirmans sponsum suum, totum esse desiderabilem, id est, non tantùm singulorum membrorum, sed totius etiam corporis, ex ipsis constantis, elegantiam & venustatem ad suum desiderium & admirationem, oculos & animum

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

conuertere. Hæc fuit mens Nyſſeni, in hunc locum. *Quàm beata*, (inquit) *ſunt illa membra, per quæ totum nihil, niſi deſiderium, efficitur, quæque per abſolutam in omni bono perfectionem efficiant, amabilem quandam ex omnibus temperatam venuſtatem, ita vt vniuerſum non modò quod oculos attinet, quod manus, quod cincinnos: ſed etiam propter pedes, crura, guttur, denique deſiderabile, neque membrum vllum, in hac pulchritudinis excellentia deteriori ſit conditione, quàm cætera.*

Talis eſt dilectus meus, &c. Hæc verba continent totius anteactæ narrationis, ſummam acclamationem, quæ Epiphonema dici ſolet. Talis (inquam) ac tantus Rex, tam formoſus, tam elegans, tam ornatus & inſignitus eſt ſponſus meus, dilectus meus, quia ego illum peramanter amplector, & ipſe eſt amicus meus, quia nimirum ipſe me ardentiſſimè diligit, atque adeò mutuus & reciprocus amor etiam abſentes & locis diſſitos nos coniungit ac copulat; atque adeò non mirum, ſi ipſum tam ardenter depereo, tam ſolicitè diſquiro.

*Verſ.*17. Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quò decliuauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

SONVS ALLEGORIÆ.

Dilectus tuus. Septuaginta, *frater tuus.* Symmachus, *de quo auulſus eſt.* eodem ſenſu: *Quò declinauit.* Septuag. ἀπέβλεψεν, id eſt, *quò reſpexit.* Græca vox ſic efferri poteſt, , *aliò oculos conuertit, videre te deſiit.* cuius energiam poſtea dabo.

Felix admodum fuit Sulamites in perſuadendo, quandoquidem oratione exornatoria ſponſi ſui Solymitanis fœminis tantum illius videndi & alloquendi deſiderium iniecit, vt continuò in hæc verba proruperit.

Quò abiit dilectus tuus? Neſcio certè, an his verbis ſponſum incuſare, an ſponſæ zelotypiam iniicere voluerint Sionitidæ puellæ, vtrumque ſenſum capit iſte locus. nam ſic comminiſci fas eſt. In quem locum, ſeu regionem, & quo infelici conſilio, vel acerbiori animo abs te, quæ tam ardenter eum adamas, ſponſus diſceſſit, aut quî fieri potuit, vt auerſis oculis te deſpiceret, quem tu tantopere ſuſpiciebas; non enim redamare amantem, non occurrere quærenti, periculis & iniuriis exponere caſtam & fidelem ſponſam, certè culpa non vacat. Vel aliter, *Quo abiit dilectus tuus*, &c. id eſt, ediſſere nobis, ô pulchra ante alias virago, ſi ita noſti, quò nam abiit, & quò nam oculos conuertit ſponſus tuus: hoc eſt, ſi quam aliam fœminam aſpicit, & amat is, quem tu diligis à prioribus? Ita enim coniectari integrum eſt, illum in eo loco eſſe, in quem alterius amor à te diſcedentem tranſtulit; quomodo enim te inſequentem deſereret, oberrantem dimitteret, periclitantem deſpiceret, ſi oculos abs te, ad aliam aſpiciendam & colendam non auertiſſet; hanc enim energiam habet vox, ἀπέβλεψεν vt nuper dicebam, quæ verba zelotypiæ faſces cordi Sulamitis immittere videbantur.

Sed tamen ſimpliciorem interpretationem amplector, ac Sionitidas fœminas, quæ Sulamitem de ſponſi ſui ſignis ac notis differentem audierant, tantam illius pulchritudinem admiratæ, ad ipſius videndi deſiderium excitatæ ſunt. Addo etiam ſponſæ ſpoliatæ, vulneratæ, iniuriis affectæ, & ab ſponſo deſertæ, commiſeratio eaſdem cœpit. His ergo inductæ, ſic eamdem ſponſam alloquuntur. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* Quaſi dicat, ſi vera nobis ſponſi tui ſigna edidiſti, certè ſpecioſus forma præ filiis hominum exiſtit, & tu quoque ante alias fœminas pulchra; par ſcilicet pari, & ſimilis ſimili reſpondens, & ſi certò, vel ex coniectura aliqua cognoſcis, quò abierit, aut quò diſceſſerit, aperi nobis. Nam ne ſola vageris cum detrimento aliquo pudoris, ne rurſus iniuriis afficiaris cum periculo ſalutis, & vti aſpectu & ſermonibus ſponſi tui admodum expetitis oculos & aures exſatiare nobis liceat. *Quæremus eum tecum.* id eſt, te quærentem cominus inſequemur ſatellitium noſtrum & laterum noſtrorum oppoſitus tibi offerentes, ne quid triſte, vel acerbum tibi contingat.

CAPVT SEXTVM.

Vers. 1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis,& lilia colligat.

SONVS ALLEGORIÆ.

DESCENDIT. Hierosolymæ erant in edito loco, & ab his in alias circum circa regiones erat decliuis descensus. *In areolam.* Septuaginta, *ad phialas*, vox Hebræa *sulcos*, & hinc inde in areolis extantes tumulos significat. Cum lectione vulgata concinit translatio Symmachi,& Aquilæ,qui ἀλλαντίας conuertunt.

Vt pascatur,Hebraicè est, לרעות *lirghoth*; complectitur autem actiuam & passiuam significationem. Septuaginta ποιμαίνειν,id est,*pascere*, actiuè, oues nimirum ad pabulum ducere. Symmach. & Aquila,*ad pascendum* ambiguè; cùm ergo illa vox *pascatur*, quę est in vulgata editione,& passiuè & actiuè capi possit,adhæreo Septuaginta interpretibus, & actiuè capiendam esse malo (vt aliàs memini me dixisse super cap. 2. vers. 16.) *In hortis* notissima est acceptio propositionis *in* pro *inter*.in sacris literis ad Rom. 1. *in quibus estis & vos*,id est,inter quos.& Psal.98.*Moises & Aaron in sacerdotibus eius*. id est,inter sacerdotes, & alibi passim. Ergo illud *in hortis*, sic accipio,id est,inter hortos,vt sensus sit, sponsus aut in hortum descendit, vt flores & lilia demetat,aut inter hortos manet,vt ibi greges pascat,*& lilia colligat* florum & aromatum, quodlibet genus liliorum nomine intelligi debet (vt alibi non semel animaduerti.)

Nexus verborum ac contextus dramatis hoc postulat, vt memoria recurrat ad ea, quæ sæpiùs diximus, has scilicet nuptias in horto, ac domo hortensi, in quam prima traductio sponsæ facta fuerat, agi ac celebrari,& quoties in hoc Cantico ab sponsa recedit sponsus, non aliò diuertere, aut declinare, nisi ad gregem pascendum; è pascuis verò redeuntem,hortum repetere, vt notauimus suprà *cap.2.vers.6.& 17.* lege ibi plura.

Ergo cùm Solymitanæ fœminæ sponsam ad vestigandum sponsum vrgerent,ac incitarent se se illi adiungentes, atque de loco, in quem sponsus diuerterat, edoceri postulassent, subdit illa dilectum sibi coniugem quantum coniectura assequi poterat, de more suo è pascuis ad hortum rediisse aromatibus consitum, vt videlicet ibi greges pascat,& aromata demetat; pastor enim esse fingitur, & horti cultor: illud verò *in hortis*, perinde est,ac si diceret, ad hortos,vel circa hortos greges pauisse, vt nimirum vicissim alendis pecoribus & colendis hortis operam daret, nec altera alteri cura officeret. quod perinde est ac si diceret, sponsum non alibi quærendum nisi in horto,aut circa hortum, quia vel greges pascebat in nemore,ad horti vicinia,vel aromata & flores colligebat in horto ipso,cuius areolas bonus cultor colebat & curabat, atque adeò non alibi reperiendum fore.

Vers. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi,qui pascitur inter lilia.

SONVS ALLEGORIÆ.

PAscitur. Theodoretus ex Symmacho,*qui pascit flores*. Septuaginta, *qui pascit in liliis*. Similitudines apiculæ flores depascentis ac delibantis, his verbis accommodant aliqui interpretes; sed tamen idem iudicium ferendum est de verbo *pascitur*, quod attinet ad significationem actiuam & passiuam, quod in superiori versu notauimus.

Hæc verba ipsissima occurrunt suprà *cap.2. vers.1.* vide ibi plura quæ diximus de temporibus, quæ sponsus pascendis gregibus diu noctuque impendere fingitur in hoc Cantico,& de consuetudine eius, tam eundi ad pascua, quàm redeundi ad hortum, seu domum hortensem,vbi nuptiæ celebrabantur, quæ omnia in hunc locum transferri possunt & debent; ex his enim facile constabit sponsæ mentem in hoc versu,

sit, non esse aliam, nisi vt puellis Solymitanis suadeat eius sponsum haud longo tempore reperiri posse, quippe qui destinatis temporibus à pastu ad hortum, & ab horto ad pastum ire ac redire soleat, atque adeò eo ipso tempore, primo manè, (nam hæc omnia matutinis horis patrata extra dubitationem est,) certo certius sperandum, illum è pastu redeuntem in horto inueniendum esse. huic interpretationi obseruit eorum translatio, qui etiam in hoc loco, sicut suprà *cap. 2. vers. 16.* addunt illud hemistichium, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Itaque illa verba, *dilectus meus mihi*, &c. hunc sensum reddunt: Ego quidem & dilectus meus conuenire solemus certis horis, cùm oues pascua intermittunt, quas nimirum ille in liliis, id est, in pascuis vberrimis ad pabulum ducit, atque adeò cùm saturæ citiùs ad caulas redeant, ipsi mihi diutiùs immorari licet.

Rursus aliter comminisci fas est, sponsa Solymitanis fœminis eam suspicionem ex animo euellit, quam fortasse de sponso conceperant, illum scilicet, qui tam seuerè à Sulamite discesserat, alienis amoribus alibi detineri, vt suprà notauimus, ad illa verba: *Quò declinauit dilectus meus.* expendentes translationem septuaginta Interpretum. Itaque prædictis fœminis seriò affirmat, nihil tale de sponso suspicari posse; quia nimirum ipsa sponso, & sponsus ipsi totus addictus erat; id enim sibi volunt illa verba, *dilectus meus mihi, & ego illi.*

Ad hæc, sponsa, consuetudinem sponsi, intermissis ouium pascuis ad se veniendi pactis, seu destinatis horis eisdem fœminis proponit, vt certitudo & facilitas ipsum inueniendi, illas excitaret, vt libentiùs ipsi comites additæ ad vestigandum sponsum, cum illa pariter procederent.

Sunt qui dicant sponsam, quæ ad sponsum vestigandum ab vrbe excesserat, & ad syluas deuenerat, illo tandem aliquando inuento, in hæc verba prorupisse: *dilectus meus mihi*, &c. Quasi dicat: è sententia animi hoc euenit; adsum enim ego dilecto meo, & dilectus meus adest mihi: *Qui pascitur inter lilia*; illum scilicet in syluis, ac nemoribus inueni, in vberrimis pascuis greges suos nutriens. Sed libentiùs primam & secundam interpretationem amplector.

Contextus verò dramatis sic conformari debet. Aliqui existimant Sulamitem his verbis se se expediisse ab illis fœminis, quæ illam ad inquirendum sponsum seriò inuitabant; duo enim voluerant fœminæ, alterum, vt de loco, in quem sponsus se recepisset, edocerentur; alterum, vt vnà cum ipsa ad vestigandum pergerent: *Quò abijt dilectus meus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum?* Vtrique occurrit Sulamites: locum enim vbi sponsum esse putabat, iam inde aperuit, dicens: *Dilectus meus descendit*, &c. Quod verò spectat ad sponsum inquirendum, non ita (inquit) expedit, vt mecum veniatis; iam enim ego & sponsus ex pacto decreuimus, vt statò tempore conueniamus: *dilectus meus mihi, & ego illi.* ille scilicet ad me venturus est. ego illi etiam domi adero. *Qui pascitur inter lilia*; nimirum in loco vberi, atque adeò non morabitur. nam intermittentibus maturiùs pabula pecudibus ociùs me reuiset; atque ita salutatis fœminis domum repetiit, vt sponsi aduentum spectaret.

Meliùs tamen ac cohærentiùs dicamus, Solymitanas fœminas reuera cum sponsa simul ad inquirendum sponsum progressas, nam hoc postulant ea, quæ sequuntur verba, vt ibidem *vers. 3.* ostendam. Vt autem ea ratione explicentur præmissa verba, suadent plura, quæ partim dixi *cap. 2. vers. 16.* partim dicam *vers. 10.* partim hîc subiiciam. Elucet enim mirum in modum structura carminis in hoc loco. Nam certum in primis est, hæc omnia, quæ hactenus retulimus, absente sponso dicta fuisse, nimirum quidquid Solymitanis fœminis sponsa commemorauit. Deinde si verba pendas quæ sponsus statim addit, planè supponunt eum rem totam vt euenerat didicisse; appellat enim sponsam *terribilem, vt castrorum aciem ordinatam.* & alia quædam ferit, quibus rem totam sibi exploratam esse significauit, scilicet vulnera, à militibus accepta, direptionem pallij, & alia eiusmodi, de quibus paulò pòst dicemus. Sed desiderabis fortasse, narrationem historiæ præmissæ; debuit enim sponsa commemorare, sponso quæ sibi post illius discessum, à custodibus & ab aliis euenerunt. tum etiam querelas suas exponere de subita fuga sponsi; hæc enim sunt amantium maximè propria; sin verò mecum cogites Sulamitem, Solymitanas fœminas secum assumpsisse, & cum his ad sponsum pariter venisse, facilè intelliges sponsum redeuntem ex agro, rem totam didicisse ab eisdem fœminis, quibus sponsa retulerat, & quibus notas illustres, signaque præscripserat, ex quibus facilè venientem agnoscerēt, & agnitum alloquerentur.

Nam

Nam cùm hæc omnia ad ſponſæ laudes pertinerent, certè eorum narratio longè aptiùs tribuitur fœminis ipſam comitantibus, quàm ipſimet ſponſæ de ſe enuncianti ne laus in ipſius ore vilior fieret.

Verſ. 3. Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Hieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

SONVS ALLEGORIÆ.

HIc verſus conſtat tribus hemiſtichiis, quæ ſic partiri opus eſt: *Pulchra es amica mea, & ſuauis.* & deinde; *decora ſicut Hieruſalem.* & tandem, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* De ſingulis verò ſeorſum dicam; priùs quæ ad Grammaticã pertinent, poſtea quæ ad ſententiam hiſtoricam ſpectant.

Suauis, Hebraicè כתרשה *che thirſa*, id eſt, *ſicut ſuauitas*, abſtractum videlicet pro concreto, vt de more habet Scriptura. Septuaginta, *ſicut beneplacitum*, eodem ſenſu, plures ex Hebraizantibus vocem originalem retinendam eſſe volunt, ad hunc modum: *Pulchra es amica mea ſicut Thirſah*, & quidem *Thirſah* eſt proprium vrbis, quæ poſtea ſedes fuit Regum Samariæ, dicta *Thirſah*, quam lectionem ideò perferunt, vt duabus vrbibus eximiè decoris ſponſa conferatur, quod elegantiæ plus & ſplendoris habere videtur. Et hinc eliciunt adagionem minimè ſolidum de fœmina valde formoſa, *Thirſa pulchrior.* Suadet etiam his originalis lectio, quæ habet *che thirſa*: eſt autem illud *che*, nota ſimilitudinis, ſeu comparationis. Hanc verò lectionem cum vulgata noſtra interpretatione, in concordiam adducere fas eſt, ſi dicamus ab interprete noſtro per figuram notationis vocem Hebraicam expoſitam, vt ſæpe aliàs ſolet propria vel virorum, vel locorum vocabula latinitati donare, tunc maximè cùm ad ſententiam id facit. cuius rei exempla innumera colligi poſſent. Lege *cap.* 4. *lib.* 1. *Paralip.* qua ratione illa vox *ſuauis*, idem eſſet quod *thirſa*, nec non illud Septuaginta, *ſicut beneplacitum*, eſſet perinde ac *ſicut thirſa.* Tamen, quia tempore Salomonis, non dum hæc vrbs celebris erat, nec Regum ſedes. (nam poſt Salomonem ſuccedentibus ſeculis cœpit celebrari) haud digna erat, quæ Hieroſolymæ adiungeretur. Quapropter ſatius reor dicere, nihil hîc de vrbe, ſed abſolutè ſuaues ſponſæ mores commendari, vt ſtatim dicam.

Pro illa voce *decora*, plures conuertunt, *deſiderabilis*, quæ eſt germana ſignificatio nominis Hebraici נאוה *naaua*, quæ vox ad pretiũ & æſtimationẽ referri ſolet. Thren. 2. *Manum ſuã miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia.* & ad omnia pretioſa; Oſeæ 9. *Deſiderabile argentum eorum vrtica hæreditauit.* & 13. *diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.* Addo etiam vocem illam *decora*, quæ eſt in noſtro textu, pro *pretioſa re* accipi ſolitam. Zachar. 11. *decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis*; magna videlicet, vel pretioſa merces; frequentiùs tamen pro *re grata & amabili* ſumi conſueuit.

Terribilis. Septuaginta maluerunt abſtractum φόβος, id eſt, *pauor*, ſeu *horror*, *vt caſtrorum acies*, Hebr. *vt vexillata.* vox primitiua eſt מדלות *magdaloth*, à דגל *degel*, cum ſex punctis. nam radix *dal*, in vſu non eſt, quæ ſuapte natura, vt auctor eſt Rabbi Dauid in libro radicum, ſignificat *velare*, aut *tegere*, & ſanè ſicut vexillum à velo dicitur, teſte Iſidoro *lib.* 18. *cap.* 3. vbi ait, *vexillum nomen trahit à veli diminutione, quaſi velillum*, quia ſignum militare, quod *vexillum* dicitur, nihil aliud eſt, niſi velum non magnum ex haſta pendens, ſub quo milites ſedent, & nomina ſua bello adſcribunt. Idem autem iudicium ferendum eſt de voce *degel*, quæ velum quoque paruum propriè adſignificat in altum ſublatum: Septuaginta ὡς τεταγμέναι, id eſt, *vt ordinatæ*, ſupple acies, ſumitur ſignum pro re ſignificata, vexillum pro acie: vt vulgo dicimus, *muchas vanderas*, id eſt, *muchas capitanias.*

Cogita ergo ſponſam reliquis ſtipatam fœminis ad ſponſum veniſſe de ſpoliatione & vexatione militum excubantium, & de acceptis vulneribus, non querulam, non auſteram, non ſeueram, non iratam, ſed hæc omnia modeſta diſſimulatione & alacri vultu tegentẽ: hanc ergo ſic alloquitur ſponſus. *Pulchra es amica mea & ſuauis.* Pulchra nimirum es, tamen pulchritudo non reddit ſuperbam, non immitem, ſequitur enim plerique formam ſuperbia, & ſuperbia immites, & ad iram procliues efficit fœminas. Inde videlicet cum ſumma elegantia ſuauitas morum cohæret, quam ſcilicet militum plagæ & veli nuptialis expoliatio, aliaque incommoda in vrbe accepta, nec prouoca-

runt

runt ad iracundiam, nec immitem & seueram reddiderunt. *Pulchra* nimirum *es*, *& suauis*, vel, vt est in primitiuis, *sicut suauis*, id est, pulchritudo & suauitas morum in te æqualia sunt. Vtrumque enim ex bona humorum contemperatione oriri solet. Sicut enim humores ad æqualitatem temperati & compositi faciei, colores ac flores omniumque membrorum venustatem suapte natura efficiunt; sic etiam faciles & suaues mores homini ingenerant. Addo etiam ipsam oris pulchritudinem ab ira corrumpi. Lege plura in hanc sententiam, in nostris commentariis ad *cap.* 11. *Prouerb. num.* 218. ad illa verba Septuag. *vir iracundus, non est formosus*. Contrà verò, mansuetudo & suauitas, faciem, atque omnia corporis membra ad venustatem componunt. Itaque sensus est, *pulchra es sicut suauis*, id est, verè pulchra es amica mea, quia ira, & acerbitas, venustatem tuam non violant; imò suauitas & mititas pulchritudinem tibi conciliant. Septuaginta habent *pulchra es sicut beneplacitum*. vel alij restituunt, *sicut concupiscentia*, id est, pulchritudo tua ita placet, vt omnem concupiscentiam expleat, & nihil vlteriùs optare, aut desiderare liceat. Quasi dicat: Hactenus cùm formam tuam flammeo nuptiali velatam contemplabar, aliqua placebant, plura desiderabam; iam verò postquam flammeo spoliata est, atque adeò formam tuam liberè intueri fas est; *pulchra es sicut beneplacitum*, *vel tanquam concupiscentia*, id est, tantopere placet pulchritudo tua, vt nihil vltrà concupiscere liceat. Hæc germana sententia.

Subdit sponsus, *& decora sicut Hierusalem*. Numquam adduci potui vt crederem his verbis Sulamitis pulchritudinem & formam commendari; non enim satis apposita similitudo formæ ducitur cum vrbe murata, quamuis verba multa insumant interpretes, enumerando moles ædificiorum, mœnium venustatem, turrium elegantiam, templi decorem, ac ciuium frequentiam incredibilem. Quibus adductus Hieremias in Threnis cap. 2. *Hæccine* (inquit) *est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ*. Ego verò plus credo sponsum his verbis quanto in pretio haberet suam Sulamitem significasse; vt enim suprà ostendi, pro illa voce *decora*, in originibus est, desiderabilis, & vtraque vox pretiosam & æstimatam rem notat. Ergo cùm ait: *decora*, vel *desiderabilis sicut Hierusalem*, Regibus satis solemnem formulam vsurpat; id est, tanti apud me est, quanti tota vrbs Hierosolymitana, imò quanti totum regnum, quod nomine regiæ vrbis significari potuit; sicut Dauid dicitur non semel *Rex Hierusalem*, qui tamen duodecim tribubus imperauit, sumpta nimirum Metropoli pro toto regno. Quæ verò magis propria Regis vox, quàm illa: *Mas te exstimo que a todo mi reyno*. Cui affine est illud Herodis ad filiam Herodiadis pronunciatum. *Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei*, &c.

Potest etiam hæc sententia referri ad amorem sponsi; illud enim est vulgo tritum, & vbique decantatum à Prophetis: Hierusalem tanquam sponsam suam à Deo impensiùs adamari, ita vt quoties à Deo recedens ad idola se recipiebat fornicari, imò adulterari diceretur, quasi fidem viro suo fallens. Nil tritius apud Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, Oseam, & alios. Quò spectauit etiam D. Ioannes *in Apocalypsi*, cùm ait: *Vidi ciuitatem Hierusalem nouam ascendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo*. Ergo sicut Paulus Apostolus ad *Ephes.* 5. vxores à viris suis eo amore prosequendas esse dixit, quo Christus Ecclesiam complectitur; ita etiam apud veteres Hebræos percrebuit, & solenni prouerbio ferebatur viros non secus vxores suas adamare debere, quàm Deus adumbrat Hierusalem. Ita docet Rabbi Dauid *in lib. radicum*, ad vocem *salam*. Ergo si id ita se habet, dum sponsus ait: *desiderabilis sicut Hierusalem*; perinde erit, ac si diceret: Ita amabilis mihi est sponsa mea sicut vrbs Hierosolymitana amabilis atque expectabilis est Deo suo. Quasi diceret, vulgo iactatur eo amore complectendas esse vxores à viris, quo Deus complectitur Hierusalem: ego igitur tibi pro Deo, tu mihi pro Hierusalem. quam expositionem nostræ etiam lectioni accommodare licet, si coniungantur illa duo: *suauis & decora sicut Hierusalem*, id est, tam mihi tu suauis & grata accidis, tam decora videris sicut Hierusalem Deo, cuius sponsa nuncupatur.

Vel certè aliter dicendum, Reges ipsos tanquam sponsos reipublicæ, cui imperant, censeri. Ideò enim cùm initiantur & inaugurantur, annulum accipiunt, quia rempublicam veluti sponsam sibi adiungunt. Nil certius. Hinc natus modus ille loquendi Ioannis: *vidi cœlestem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo*. ergo cùm sponsus Rex esse fingatur, imò Salomon ipse, qui imperabat Hierosolymis, nec non Hierusalem, quæ regia erat, pro toto regno ac republica

Hebræ

Hebræorum ſumatur, ſic ſponſam alloquitur: Tanti apud me es, tanti te facio, quanti vniuerſam rempublicam Hieroſolymitanam, hæc enim vera ſponſa eſt, cui tamquam Rex nupſi.

His autem aliam interpretationem adiungere licet, quæ mihi ante alias probatur, & verba iſthæc de pulchritudine ſponſæ, nouo lepore ediſſerit ad hunc modum: *decora ſicut Hieruſalem.* Nihil magis ſolenne eſt ſcriptoribus, non ſacris ſolùm, ſed etiam prophanis, cùm vrbem, aut rempublicam oculis, ac menti repræſentari volunt, quàm illam figuratè per proſopopœiam, tanquam matronam, aut viraginem ſpecioſam, imò & tanquam ſponſam nuptialibus ornamentis decoratam expingere, & ante oculos ponere; ſic interpretari debent verba Apocalyp. ſuper citata; *Vidi cœleſtem Hieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* id eſt, cœleſtis illa Hieruſalem, ſub ſpecie ſponſæ ſpecioſiſſimæ viro ſuo adornatæ & excultæ, mihi ob oculos poſita eſt. & infrà: *oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.* Simile eſt illud Ezechielis *cap.* 16. ab illis verbis: *& tranſiui per te, & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam,* &c. vbi Propheta ciuitatem Hieruſalem ſub forma ſponſæ pulcherrimæ omni mundo muliebri, cultuque nuptiali ornatiſſimæ longa oratione deſcribit. Id ipſum videre licet apud Iſaiam *cap.* 18. *& cap.* 61. & alibi. Ex prophanis eſt illud Claudiani, qui Romam ciuilibus bellis afflictam ad Rubiconem fluuium in ſpecie matronæ ſibi obiectam elegantiſſimè cecinit, ab illis verbis,

Ingens viſa duci patriæ trepidantis imago, &c.

Senſus igitur huius hemiſtichij, ſic inſtitui debet: *& decora ſicut Hieruſalem.* id eſt, non minus pulchra & decora mihi videris, ô ſponſa, quàm cùm vrbs Hieruſalem ſub ſpecie ac forma ſponſæ omnibus ornamentis nuptialibus inſignitæ & excultæ exhiberi ac repræſentari ſolet per proſopopœiam; ſicut enim in hac forma & ſpecie Hieruſalem, nihil non pulcherrimum & ornatiſſimum concipimus, &, ſi placet, non formoſam tantùm & pulchram, ſed etiam fortem & armatam illam mente componimus; ſic enim vrbium imagines figuratè exprimi conſueuerunt, ſicut de Roma Lucanus,

Turrigero canos effundens vertice crines, &c.

Ita etiam ſponſus ſuam Sulamitem ab excubitorum certamine quaſi è bello redeuntem, pulchram ſimul & fortem ea comparatione declarat decorem eius ac robur, cum imagine, ſeu idea Hieroſolymitanæ vrbis pulchritudinem ſimul & fortitudinem ornatu ſuo oſtentantis elegantiſſimè componens.

Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Variè exponuntur iſta verba. quidam cum ſuperioribus ita nectunt, vt ſponſus Sulamitem ſibi ſuauem & gratam, procis verò & riualibus terribilem eſſe dicat. Alij ad ipſum ſponſum referunt, quaſi ille debellatum ſe ab eius amore omnino fateatur, tanquam ab inſtructa quapiam militum phalange. Non nemo de geniali pompa & frequentia mulierum ſponſam ſtipantium accipi poſſe exiſtimauit, quæ haud diſſimilis erat denſiſſimis militum cuneis inſtructis ad bellum, in quo fœminarum ſatellitio ſponſa ad inſtar ſigniferæ agmen ducebat, ideò vexillata, aut vexillifera nuncupatur.

Sed ego aliter ſentio, nimirum ſponſum, vt quid rei ſponſæ cum excubitoribus accidiſſet, perſpectum eſſe demonſtraſſet. *terribilis*, inquit, inſtructiſſimæ ad inſtar aciei fuiſti; tunc videlicet, cùm excubitores milites perinde exterruiſti, quaſi magna militum manus in vrbem de nocte irrumperet. Terribilis, inquam, vt caſtrorum acies ordinata, cùm inuadentium impetus eluſiſti, fregiſti vim, audaciam compreſſiſti. Quid plura? tunc verè *vexillifera* eras, cùm velum, ſeu pallium ab his defendiſti, qui diripere volebant, nec priùs dimiſiſti, quàm vulnera accepta, & vis illata coëgerunt, fortiſſimi ad inſtar ſigniferi, qui non prius vexillum dimittit, quàm vulneribus occumbat.

Quæ verba planè cohærent cum his, quæ ſuprà diximus de ſignificatione vocis Hebraicæ דגל *deguel*, & de lectione illa, terribilis *vt vexillata*, quã ex originibus hauſtam amplectuntur hebraizantes, & de etymologia nominis *vexillum*, quod à *velo* quaſi velillum dicitur, quod poſt vulnera multa ab ſponſa erepta diximus, &c. Cum quibus cohæret tranſlatio Septuaginta. *Pauor ſicut ordinata*, id eſt, quæ non ſecus pauorem militibus incuſſiſti, quàm acies militaris fortis, & non perturbata, ſed ordinata. *Como vn eſquadron cerrado militar.*

Vers. 4. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

SONVS ALLEGORIÆ.

Auerte, Hebraicè סבב *hasibi*, à verbo *sabab*, quod significat *gyrare*, aut *circundare*. Item *diuertere*, aut *conuertere*, anceps enim est significatio, *à me*, in Hebr. est, מנגדי *minegdi*. Septuaginta ἀπεναντίον, id est, *de contra me*, vt habet Complut. alij, *è regione mei*, eodem sensu, vt statim subiiciam.

Quia ipsi me auolare fecerunt, Heb. הרהבני *hirhibani*, à verbo *rahab*. Quidam, *ipsi me insolescere, aut superbire fecerunt*. vel, *ipsi extulerunt me*. Propriissimè, *ipsi eleuari fecerunt me*. Septuaginta, (quorum vestigia pressit noster Vulgatus) sensum expressérunt, nam pro *eleuari euolare* (quod idem est) conuerterunt. Item *fecerunt*, pro *facient*, præteritum pro futuro capiendum esse, quidam volunt, quod in hoc Cantico & alibi Scripturæ admodum solemne est.

Ex dictis in superiori capite *vers.* 7. & sequentibus, constat sponsam flammeo nuptiali ab excubitoribus spoliatam, (hoc enim non aliter, nisi per vim eripi ipsius Sulamitis poscebat pudor) vide plura de huius historiæ venusta conformatione, suprà *cap.* 5. *vers.* 7. hîc verò vlteriùs sic accipe. Sponsus cui sponsæ faciem, id est, oculos, genas, capillos & dentes flammeo tenui contectos, apertè & liberè, sed subobscurè per eiusdem veli retia hactenus videre integrum non fuerat, vt sæpe aliàs animaduerti in hoc Cantico; atque adeò hæc membra sic descripserat in superiori pictura, vt partim oculis, partim opinioni & coniecturæ tribueret. sic enim non semel fatetur suprà, cùm non semel dicit, *absque eo quod intrinsecus latet*, vide ibi *cap.* 4. *vers.* 1. Nunc demum postquam direpto flammeo liberè operto, & sine aliquo impedimento ipsam conspicere licuit, ea quæ priùs dixerat, seriò confirmat; id propriæ laudi ducens, quod non falsas, aut commentitias, sed veras & germanas oculorum, capillorum, dentium atque genarum laudes tunc vsurpauit, cùm necdum ea intueri liberum fuerat, ac primum de oculis sic fatur.

Auerte oculos tuos à me, &c. Gregor. Nyssenus sponsæ tribuit ista verba, & licèt ab aliis seriò reprehendatur, tamen mihi non admodum reprehensione dignus videtur. Ego sanè cum plerisque sentio, verba ista ad sponsum pertinere; tamen si sponsæ accommodentur, non absurdam sententiam reddere postea ostendam. Communis expositio fert, sponsum vt Sulamitis suæ oculos laudibus efferret, fateri tantum esse illorum splendorem, tam acres radios vibrare, vt illorum aciem sustinere non possit: ideo dicit, *Auerte oculos tuos à me*, id est, aliò diuerte, ne ampliùs rectà in me oculos intendas, *quia ipsi me eleuari*, vel *auolare*, vel *superbire fecerunt*, vel *facient*, tanta scilicet est illorum vis, vt me extra me abire, seu auolare cogant. Simile est illud Pindari apud Athen. lib. 12. *Qui micantes oculorum Theoxeni radios & scintillantes cernit, nec amore eius & cupiditate vndabundus fluctuat, atra eius anima ex ferro & adamante fabricata est*, quin potiùs insolescentis elati, aut furiosi in modum bacchari faciant.

Meliùs fortasse dici posset, quia me auolare fecerunt, aliò videlicet detorque oculos tuos, quia me violenter ad se rapiunt, quasi dicat: hi oculi tui, quorum altero vulneratum me esse iam dixi, & quorum aspectu mirum in modum delector ac recreor, fuerunt in causa, vt qui multo manè, vel, anteacta nocte ex limine, in quo diu expectaui, figuram in syluas, inde otiùs auolarem ad te reuisendam. nam eorum memoria continuò me pungit, inflammatque; ne igitur ampliùs in me oculos fige, si modò vis, vt vacem rei meæ, vt scilicet greges meos pascam. Itaque reddit rationem, qua inductus fuerat ad reditum maturum ex agro, quem petierat. Præstat superiori hæc posterior interpretatio.

Rursus cum his, quæ sponsa de fuga sponsi sui subiratam fingunt, sic comminisci fas est. Ponendum est id, quod natura rei postulare videbatur; Sulamitem nimirum dolorem ex fuga sponsi concepisse, atque irarum non nihil, vt est amantibus solemne. nam irasci tantisper, amoris est condimentum, vt ait Seneca. Ergo accedente sponso, quidquid doloris & iræ conceperat, id toruo vultu, & oculis modicè incensis, ostentabat; quod certè necesse fuit, ne stolidam Sulamitem fuisse dicamus, quam videlicet iniuria accepta à militibus sponsi causa nihil tangeret. Si igitur verba isthæc sponso tribuamus, talem sensum reddunt: Auerte oculos tuos, ô sponsa, à me, id est, *de contra me*, vt habent Septuaginta, quæ verba accipio vt sonant, id est, oculos mihi

con

contrarios aduersarios, iratos amoue, fac procul, quia ipsi me auolare fecerunt, hoc est, *facient* (præteritum pro futuro, vt suprà obseruaui) nimirum oculi isti irati & incensi, me hinc rursus auolare, & loco cedere adigent. Itaque minatur discessum suum sponsus, nisi sedetur sponsa, & stomachum deponat.

Quòd si eadem verba sponsæ demus cum Nysseno, non insulsa euadet sententia ad hunc modum: Sulamites vt conceptum dolorem, iramque prædictam demonstraret, cùm sponsus oculos in ipsam coniecisset, & blandiùs cœpisset alloqui, *Auerte* (inquit) *oculos tuos à me*. Vulgò diceremus: *no me mireys alacara*. quem modum loquendi ad iras effundendas sæpiùs à fœminis vsurpari neminem latet; *quia ipsi me auolare, vel insolescere facient. que me enoiare, omeire*; & quidem nescio quid sensus boni & emphatici habet hoc carmen, si sponsæ tribuatur. Nam constitue sponsum ablato atque direpto velo attentiùs species Sulamitis contemplari; tunc illa ex quadam iracundia: *que me mira?* quorsum respicis me? amoue oculos, nec ampliùs me respice, quia ipsi me insolescere, vel auolare, id est, irasci, vel discedere faciunt. Sponsus verò ad sponsam: *capilli tui*, &c. Quasi dicat: petis vt oculos auertam, nequaquam id fecero, quinimo respiciam capillos tuos pulchros, & venustas genas, denteſque expolitos, &c.

Sed quamuis hæc non ineptè dici queant, tamen sinceriùs & cum reliquo textu cohærentiùs affirmare licet sponsum, cui Sulamitis, pallio spoliata tunc occurrebat, atque adeò oculos & cætera membra, quæ hactenus pallium tantisper celauerat, liberis oculis aspicere potuit; de oculis sic pronunciasse, *auerte oculos tuos à me*. Cogita spõsam non quidem ira perculsam de acceptis vulneribus querulã venisse, sed potiùs de flammeo erepto verecundã, quia nimirum, quæ necdum faciem omnino detexerat sponso suo, iam tunc apertam & liberam eidem obiicere cogebatur. Sed quid inde? ita certè putandum Sulamitem pudori, vt solebat, plurimum tribuentem tunc, cùm ad sponsum deuenit, faciem & oculos auertisse, ne ab ipso liberiùs conspiceretur. Quod non reprehendit, imò potiùs probauit ac boni consuluit sponsus, dicens: *Auerte oculos tuos à me*. Quasi dicat, quòd pudore suadente oculos & faciem à me auertis ne videam; ita facere oportet, quia ipsi me auolare fecerunt, quia tanta oculis tuis ineſt vis, vt me planè extra me abire, seu excedere faciant. quo loquendi genere vsus est Salomon suprà *cap.* 4. *vers.* 9. cùm ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum*, &c. vel vt est in originibus, *excordasti me*; id est, cor & mentem eripuisti mihi: eodem sensu. Ergo sic ait: ne impotentiùs ferri, vel audaciùs vocari mihi contingat, expedit planè, vt oculos tuos à me diuertas. sic Ausonius in Epist. ad Cydippem

Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hæc, oculique tui quibus ignea cedunt
Sydera, &c.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Vers. 5. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter illas.

Vers. 6. Sicut cortex mali punici, ita & genæ tuæ absque oculis tuis.

SONVS ALLEGORIÆ.

HÆc verba ipsissima occurrunt suprà *cap.* 4. *vers.* 1. 2. & 3. vbi fusè à me explicata sunt. Nunc verò ideo sponsus iteratò repetit ea, quæ tunc de capillis, dentibus, ac genis flammeo nuptiali coopertis, & per eiusdem flammei tenuissima retia subobscurè conspectis pronunciauerat, nunc aperta & reuelata denique facie comprobat, & cum voluptate confirmat, atque adeò quæ ibi vberiùs diximus, in hunc locum transferri debent.

Ad hanc sententiam pertinent extrema illa verba, *absque occultis tuis*, de quibus sic addubitari fas est, an scilicet eadem sint, & eundem sensum reddant cum illis, quæ suprà *cap.* 4. *vers.* 3. sic habent: *absque eo quod intrinsecus latet*. Septuaginta, *extra taciturnitatem tuam*. Hebraizantes, *intra velum*, vel *cincinnos tuos*. Symmachus habet σκεπόφρυι καλύμματι, id est, *tectæ velo*, seu *pallio*. Et sanè exploratum est in primitiuis eadem verba hîc subesse quæ leguntur *loco citato*, ideò reliqui interpretes eodem modo, tum hîc, tum ibi conuerti debere existimarunt. Vulgatus verò aliter extulit hoc

modo: *absque occultis tuis.* hanc lectionum diuersitatem peperit vox decomposita מבעד *mibaghad*, est enim עד *ghad*, id est, *super*, pro *donec*, &c. & בעד *baghad*, id est, *insuper*, vel *intra*, &c. atque מבעד addita littera ב negante, quasi *deintra.* Vnde septuaginta Interpretes, tum hîc, tum alibi legunt *extra.* Vulgatus passim conuertit *absque*, vel *sine.* Et sanè sine iniuria vtriusque textus coniectari licet litteras ב & ב quæ perquam similes sunt, alteram quidem reperiri suprà *cap.* 4. *vers.* 13. alteram verò in hoc loco: ita vt ibi sit מבעד *mibaghad*, hîc verò מבעד *michaghad.* atque adeò illic restituendum sit intra velum, hîc verò absque velo. Sed quorsum hæc? Certè Vulgatus verba originalia, quæ *cap.* 4. *vers.* 3. & hîc, eadem omnino occurrunt, diuersimodè transtulit, quia nimirum vtrumque sensum capiunt. Ibi enim sic restituit, *absque eo quod intrinsecus latet.* quorum verborum sententiam ibidem dedimus; hîc verò ait, *absque oculis tuis*, id est, *genæ*, atque adeò cætera, quæ hactenus descripsi membra, sublato velo, & sine occultatione aliqua clarè, & apertè visa, longè pulcherrima sunt. quasi dicat, quod nuper de membris istis, flammeo tenui velatis, asserui, nunc de iisdem reuelatis ac retectis certiùs prædico & asseuero.

Vers. 7. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

Vers. 8. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genetrici suæ.

SONVS ALLEGORIÆ.

Sexaginta, & *octoginta* numeri definiti pro indefinitis. *Et adolescentularum.* Septuaginta: *& adolescentulas quarum non est numerus*, eodem sensu: *electa genitrici suæ.* Septuaginta, *electa est ei, quæ peperit ipsam.*

Reginæ, & *concubinæ.* Suprà *cap.* 1. commemoraui sententiam eorum, qui affirmant, tum hîc, tum ibi quaslibet nuptas fœminas idiomate Hebraico *Reginas* appellari; atque eo honestissimo nomine propterea censeri, quia domesticis imperant, & quia mariti eodem modo & titulo *Reges* dici consueuerunt; sed tamen, vt sæpe aliàs animaduerti, sponsus tanquam verus Rex, Regisque personam sustinens, inducitur in hoc dramate, atque adeò Reginæ, non vtcumque vxoratas fœminas, sed Regis veri, veras & legitimas vxores adsignificant in hoc loco. Rursus illud etiam suprà *cap.* 4. *vers.* 8. longa obseruatione dignum duxi, Hebræos Reges, qui ex permissione legis plures vxores sibi adiungebant, non omnes æquali honore prosequi, sed vnam cæteris corona & regia dignitate præferre solitos. vide ibi plura, quæ in hunc locum transferri debent. Denique illud etiam in notis ponendum est, hanc vxorum disparitatem & inæqualitatem, non solùm inter Reges, sed etiam inter priuatos obseruatam ab Hebræis; nam cùm his licita esset polygamia, non omnes vxores æquali loco numerabant: quædam enim dignitate præstabant, quæ absolutè, coniuges & dominæ appellabantur; aliæ conditione inferiores, quæ *concubinæ*, imò ancillæ dicebantur, nam *concubinæ* tunc, non pellices, aut scorta erant, sed iustæ vxores solius prolis causa ascitæ. Abraham quippe habuit Saram & Agar iusto coniugio sibi copulatas, tamen illa coniux, hæc ancilla nuncupabatur. Iacob Liam & Rachelem duxit, quibus additæ deinde Zelpha & Bala iusto connubio; sed priores duæ, vxorum nomine censebantur, posteriores ancillæ dicebantur, vel concubinæ. Erant igitur concubinæ nuptæ & coniugatæ; sed tamen inferiores conditione vxoribus.

Addo etiam, apud Reges Hebræorum, non tantùm vnam cæteris anteponi solitam, quæ Regia dignitate & corona gaudebat, sed reliquas etiam vxores, quæ huic parebant, inæquales fuisse; aliæ enim reginæ, aliæ ancillæ, seu concubinæ nuncupabantur. 2. *Regum* 11. de Salomone sic habes: *Fueruntque ei vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.* quæ verba cum superioribus sic necti debent, *vt filia Pharaonis cæteris præferretur*, regali honore & corona insignita, & sub hac septingentæ Reginæ censerentur; his verò subditæ essent trecentæ concubinæ ex inferiori conditione. hæc omnibus sacrarum litterarum cultoribus explorata sunt.

Vlteriùs etiam in memoriam reuocare oportet ea, quæ in Isagoge huius commentarij fusè tractauimus de sensu Prophetico huius Cantici *cap.* 5. §. 1. & 2. vbi de nuptiis Christi & Ecclesiæ non pauca longa oratione præmonuimus. Sed illud in primis

mis ſtatuimus, nuptias Hebræorum propter polygamiam & libellum repudij à ſignificatione coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ omnino deficere. Vnde Auguſtinus ex tribus nuptiarum bonis, quæ ſæpe ſæpiùs enumerat, ſcilicet *bonum prolis*, *bonum fidei*, & *bonum Sacramenti*, antiquorum Patrum coniugia hoc poſteriori bono carere affirmat. Per Sacramentum autem intelligit ſignificationem coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, vt videre eſt *in lib. de bono coniug. cap. 8. & ſeqq.* Addo etiam Chriſtianorum ſecundas nuptias de ſignificatione dictæ coniunctionis inter Chriſtum & Eccleſiam plurimum detrahere, atque eam ob cauſam polygamos à ſacerdotio arceri, vt ibidem latiſſimè probaui.

Sed quamuis hæc perfectiſſima & abſolutiſſima imago vnitatis Chriſti & Eccleſiæ non reperiatur in matrimoniis antiquorum Patrum, tamen aliquam minus exactam & accuratam ſimilitudinem, quæ cum polygamia componi poſſet, in his inueniri, nemo inficiari poteſt. Nam, vt nuper dicebam, Regum matrimonia apud veteres Hebræos ſic conſtabant, vt vnica eſſet princeps vxor, cui reliquæ ſubiacebant, quæ ante alias corona & ſupremo honore fulgebat. Infra iſtam principem vxorem erant aliæ digniores coniuges, quæ Reginarum nomine cenſebantur, & ſub his concubinæ numeroſæ in coniugium quoque legitimum aſſumebantur à Regibus, vt nuper dicebam. Hæc autem Reginarum nuptiarum antiqua forma ad propheticum ſenſum tranſlata, ſic adaptari poteſt, vt princeps vxor coronata primariam Eccleſiam Romanam ſignificet, quæ cæteris orbis Eccleſiis præeſt, aliæ verò, quæ Reginarum nomen ferunt, Patriarchales & Metropolitanas Eccleſias notant, quæ Romanæ ſubiiciunt, & aliis ſibi obnoxiis Eccleſiis impetrant, quas cum illis vxoribus conferre licet, quæ concubinæ appellantur; ſed de his in prophetica interpretatione vberiùs dicemus. Nunc verò iuxta ea, quæ præmiſſa ſunt, ſenſum hiſtoricum duobus modis conformare licet.

Sexaginta ſunt Reginæ, &c. Hæc verba aliquos induxerunt in eam ſententiam, vt crederent, ſponſum in hoc libro eſſe Salomonem Regem, cui 3. *Regum cap.* 11. vxores quaſi Reginas ſeptingentas, concubinas trecentas attribuit ſacer textus. Ego verò, quamuis ex Salomonis rebus quædam typicè ſponſo accommodari credam, in hoc nuptiali carmine tamen potiùs ex hoc loco oppoſitum deduci arbitror, non ſolùm, quia numerus alter cum altero non concinit, ſed quia ſententia nullo modo id patitur. Eſt autem eiuſmodi,

Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, &c. non ita vt dicat, hoc numero mihi vxores ſunt, quædam præcipuæ, quædam inferiores, tamen præ vnica Sulamite omnes contemnò, non, inquam; ita: ſed hoc ſenſu. Alij quidem Reges, Reginas ducunt ſexagenas, id eſt, vxores multas, concubinas octogenas, id eſt, plures; adoleſcentulæ item, ſeu virgines, quas alunt, excolunt, præparántque in gynæceis, vt ex his, quas maximè velint, coniugio ſibi copulent, innumeræ ſunt. Non ita ego (inquit ſponſus,) *ſed vna eſt columba mea.* id eſt, vnam ego duxi vxorem, ſolam videlicet, & vnicam; *columba mea*, id eſt, quæ mihi ad inſtar eſt columbæ, erga quam etiam ego columbi maris mores gero; nam, vt illi compares volant, coniugij torique fidem ſeruant, vnus vnicæ ſatis, & vnæ item vnicus, ita viciſſim nos: *Perfecta mea*, numeris omnibus abſoluta, vel *immaculata*, quæ ſcilicet omni næuo & imperfectione caret.

Vna eſt matri ſuæ, electa genetrici ſuæ, id eſt, vnica cùm ſit, mirum in modum à genitrice ſua diligitur. Rurſus placet quorumdam coniectura, qui credunt, omiſſam hic ſimilitudinis notam, more Scripturæ vulgato, & ſupplendam eſſe hoc modo: *Tanquam vna matri ſuæ, electa genitrici ſuæ*, quia videlicet ipſam tanto amore complector, quanto mater vnicam filiam proſequi ſolet, qui amor eſt ardentior, atque impenſior: vel aliter, ſicut illa ſuæ genetrici vnica eſt filia, quia nimirum hæc plures non peperit, ita mihi ſola, & vnica erit vxor; non enim aliam ducam. Quem ſenſum apertè reddunt verba, ſi addas ſimilitudinis notam hoc modo: *Vna es columba mea, perfecta mea, ſicut vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Et quia dixi totam iſtam orationem ad ſedandum commotum ex zelotypia Sulamitis animum fuiſſe comparatam, haud ſcio, an aliquid à ſponſo dici potuerit quod magis illi cordi eſſet, tum, quia ſponſus ſic teſtabatur, amorem ſuum totum in illam colligendum iri, qui diſtractus in plures langueſcere ſolet; tum etiam, quia rarò plures vnius viri vxores concordem vitam agebant, vt produnt Liæ atque Rachelis iurgia, necnon aliarum.

Sed quamuis hæc interpretatio, me iudice, præferenda sit, de qua non perfunctoriè egimus loco citato in Isagoge *cap.* 5. §. 2. tamen nec excludo, nec repudio aliam, quæ cum secunda suppositione congruit, ad hunc modum: *sexaginta sunt Reginæ*, &c. numerus scilicet definitus pro indefinito, quasi dicat: Mihi scilicet sexagenæ, id est, multæ admodum vxores præcipuæ eueniunt, & octogenas, hoc est, plures concubinas, legitimo etiam coniugio mihi adiunctas habeo, & virginum, quæ in tricliniis ad nuptias adornantur, numerus in summam redigi non potest: *sed vna est columba mea*, &c. id est, inter omnes & præ omnibus te vnam mihi vxorem sociaui, quæ honore, & dignitate reliquis antecellis, quæ scilicet columbam fœcunditate imitaris, in qua omnes perfectiones collectæ conspirant, & à qua omnia vitia, omnes næui, & cunctæ denique maculæ longè absunt. *Perfecta mea, vel immaculata mea.* quæ nimirum, cùm sis vnica filia matris tuæ, ab eadem vnicè diligeris, & omnium bonorum illius hæres existis. *Vna est matri suæ, & electa genetrici suæ*, &c.

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

Filiæ. Quas suprà *adolescentulas* appellauit, modò *filias* dicit; nam filiæ absolutè dictæ Hebræis pro virginibus sunt & innuptis. *Concubinæ & reginæ*, id est, coniugatæ vtriusque conditionis, de quibus sat dictum est carmine præcedenti.

Quidam præteritum pro futuro, etiam hîc accipi voluerunt, hoc est, *videbunt, prædicabunt, laudabunt*; referunt autem ad sequentia; cùm enim ab illis verbis, *reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te*; & deinceps Solymitanas fœminas loqui existiment, vbi multa de sponsæ laudibus ferunt, præscia, seu præsaga mente id diuinasse sponsum existimant. Itaque ait paulò pòst, *te videbunt Sionitides*, tam nuptæ, quàm innuptæ fœminæ, & nulla erit quæ te felicem non prædicet, & laudibus in cœlum vehat. Ego verò, quia meliùs & aptiùs series contexitur, temporis præteriti sensum seruare, & hunc locum de anteactis interpretari satius reor. At enim semel & iterum sponsa publicè à fœminis visa, hactenus dicit: primò cum ingeniali illo ferculo, seu lectica, quæ *cap.* 3. describitur, ad ostentationem gloriæ nuptialis processit: nam ea pompa ad id spectabat, vt sponsus vterque ab omnibus conspiceretur, vt ibidem latè dixi. Deinde cum fugiente sponso incidit in manus militum, tunc enim fœminarum turba ad ipsam conuenit, cum quibus colloquia produxit, quasque adiurauit, vt sponso, quid eius amore perpessa fuisset, renunciarent, illis verbis: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt renuncietis ei, quia amore langueo.*

Cæterùm verius puto de posteriori occursu sermonem esse cùm Sulamitis in milites incidit; mandauerat enim sponsa fœminis, vt sponso renunciassent, quid eius causa perpessa esset. Igitur mandata isthæc à fœminis fuisse perfecta sponsus luculenter asserit, dum ait: *viderunt eam filiæ Sion*, tunc videlicet, cùm militum manus, saucia euasit, *& beatissimam prædicauerunt.* Hebr. ראשרוה *ieaseruah*, id est, *bearunt illam, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam*; quasi dicat: Omnes tam innuptæ, quàm vxoratæ fœminæ, à quibus visa dicitur, quid tunc actum fuerit viderunt, & laudibus eam apud me extulerunt in cœlum vsque, robur illius commendantes quo excubiarum vim, impetúmque fregit, & sine iniuria pudoris ab eorum manibus elapsa, pallium, seu flammeum nuptialem in manibus eorum reliquit. Nam pudor, non inuadendo, aut irrumpendo, aut spolia diripiendo, sed fugiendo, elabendo, & spolia inter manus hostis dimittendo, nobiliores victorias sibi acquirit.

Huic aliam interpretationem adnecto, quæ à reliquo etiam textu non abhorret. Inter alios ritus nuptiales, alter erat vt noua nupta, quæ Regi tanquam primaria coniux tradebatur, atque adeò cæteris vxoribus dignitate & corona præferri debebat, ipsis proponeretur & exhiberetur, vt scilicet aliæ minores coniuges ipsi honorem debitum deferrent, eiúsque principatum agnoscerent. Id verò non obscurè colligitur ex *Psalm.* 44. ab illis verbis: *Ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo, astitit Regina à dextris tuis.* vbi Rabini corticem allegoriæ explicantes aiunt ab auctore huius Psalmi Regem describi vxoribus suis præcinctum; nam quos in hoc versu *Reginas* appellat Salomon, ibi *filias Regum* vocat Psaltes, *Reginam* verò dicit eam, quam loco, dignitate, ac reliquis ornamentis ante alias Rex honestauerat: *Astitit Regina*

gina à dextris tuis in veſtitu deaurato, &c. Cogita ergo hanc repræſentationem, ſeu exhibitionem primariæ coniugis ad eum modum inſtitui, vt ipſa Regi propiùs à dextris adſtaret; reliquæ verò minores vxores, tum Regem, tum ipſam Reginam & Principem coniugem adorabundæ obſeruarent. De his ergo ſic Salomon in hoc loco, *viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Quaſi dicat: id mirabile prorſus ac nouum, quòd cùm aliàs inter plures vnius viri vxores inuidiæ, liuores, iurgia & diſſenſiones euenire ſoleant, atque ea potiſſimum reliquarum inuidiæ obnoxia ſit, quæ aliis præfertur, tanta erat Sulamitis præſtantia, tanta venuſtas & gratia, vt reliquæ ſponſi vxores, ſiue reginæ, ſiue concubinæ: ex quo eam videre licuit aperta & conſpicua, velóque ſpoliata facie, ſine inuidia, & ſine diſſenſione bearent potiùs, ac ſummis in cœlum vſque laudibus efferrent. Sed quid aiebant?

Verſ. 9. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens; pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?

SONVS ALLEGORIÆ.

Progreditur. Noſter Sanctius de progreſſu pompico intelligit, quo ſponſa traducebatur in ſponſi domum, & quia de nocte traductio fiebat, ideo *auroræ & lunæ* collatam fuiſſe dicit; ſed quid erit, quia *Soli* etiam comparatur diurno ſideri? nocturnus, inquiunt illæ, duorum coniugum progreſſus, cum facibus longè, latéque fulgentibus, ita refert ſpeciem orientis Solis, vt ſol ipſe exoriens ſponſo geniali pompa ex thalamo procedenti comparatur Pſalmo 18. *& ipſe* (ſcilicet Sol) *oriens tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.*

Acuta certè, ſed non ſolida interpretatio; in primis enim traductio ſponſæ iam inde facta ſupponitur; imò nuptiarum celebritas longiùs iam proceſſit, vt multis locis (quæ hactenus explicui) luculenter euincitur. Deinde cùm Sol, tanquam ſponſus de thalamo ſuo procedere fertur, cùm nocturna traductione, aut progreſſu, collationem nequaquam iniri verba ipſa teſtantur; dicitur enim *è thalamo procedere*, hoc eſt, è geniali, ſeu maritali toro: at ſponſus, niſi poſt factam traductionem peractis nuptiis, expleta cœna hunc thalamum conſcendere non poterat, nedum ex illo procedere; locus ergo iſte de alia proceſſione pompica exponendus eſt, quæ interdiu fiebat ad venditandam nuptialem gloriam in vrbem, ſecundo, aut tertio nuptiarum die, primo manè, de qua *cap.* 3. *verſ.* 6. multa diximus, vbi etiam huius Pſalmi verba expendimus.

Ergo ſatius eſt de progreſſu, ſeu incremento venuſtatis ac pulchritudinis iſta verba accipere, ad hunc modum. *Quæ eſt iſta*, quæ talibus progreſſibus, aut incrementis augetur, vt modò auroram, deinde lunam, tandem ſolem referre videatur. Poteſt autem accipi ſucceſſiuus hic progreſſus, hoc modo, vt quo propiùs illa ad fœminas accederet, vel ipſe ad illam, maiora pulchritudinis incrementa caperet, ſic videlicet, vt à longè aurora, propiùs lunam, proximè ſolem imitaretur, vel, quod verius exiſtimo, de reuelatione ſponſæ ſermo eſt; nam priùs craſſiori pallio tecta, & vno tantùm oculo liberato, ſponſo tradita fuit ſuprà *cap.* 1. *v.* 15. Deinde pro pallio dicto, flammeum nuptialem tenuiſſimum accipit *cap.* 4. *verſ.* 1. tamen ſpoliata flammeo, faciem apertam & conſpicuam, omnibus exhibuit, *cap.* 5. *verſ.* 7. his ergo progreſſibus, aut incrementis pulchritudo ſponſæ fœminis reginis ac concubinis propalata & propoſita fuit; atque adeò illam priùs cum aurora, deinde cum luna, tandem cum ſole meritò conferendam exiſtimarunt. Clauduntque orationem illis verbis: *terribilis vt caſtrorum acies ordinata, vel tanquam vexillata*, cui nimirum velum pro vexillo denique fuit, vt tanquam pudoris & honeſtatis ſignifera aliarum fœminarum acies circumferret. Sunt verò illa figurata orationis incrementa, quæ tunc venuſtatis habet plurimum, cùm per gradus quoſdam creſcit, & per ſingula verba, quod ſequitur verbum, incrementi aliquid accipit.

Cæterùm, vt iſta cum præteritis cohæreant, cogitandum eſt, ſponſum, qui Sulamitem à fœminis mirificè commendatam dixerat, quibus verbis ipſam extulerint, nunc exprimere. Nectenda ſunt autem verba verbis, hoc modo: *viderunt eam filiæ, & beatæ eam reginæ & concubinæ. laudauerunt eam, dicentes: Quæ eſt iſta*, &c. venuſtus qui-

dem modus laudanti per admirationem laudis exprimere, quam res magnæ & nouæ mouere solent: *Quæ progreditur quasi aurora consurgens*, id est, *exortens*; parum diximus, *Pulchra vt luna*, quæ plena nitet, nondum satis est: *electa vt sol*, cùm primo manè appetit. quæ accipi debent comparatiuè cum aliis fœminis, facta collatione, ad eum modum, quo lusit Naso de Herse.

Quantò splendidior, quàm cætera sydera fulget
Lucifer, & quanto quàm Lucifer aurea Phœbes;
Tanto virginibus præstantior omnibus Herse,
Ibat, eratque decus pompæ comitumque suarum.

Et Theocritus in Epithalamio Helenæ, apud quem sic puellæ ad verbum,

Quater sexaginta puellæ sumus de muliebri iuuentute, ex his nulla vitio caret, si cum Helena conferatur. Sicut aurora exoriens decorum ostendit aspectum, sacra cùm nox abyit, hieme candidum ver laxante, sic & aurea Helena elucebat inter nos.

Deinde si tempus obseruemus, quo Sionitides puellæ in Sulamitem hæc verba iactarunt, vt comparatio cum tempore congruat; sic comminisci fas est. hæc scilicet verba eo tempore dicta fuisse, cùm sponsa militum manus euaserat, & à fœminis circunstari cœpit, quod accidit circa auroram, vt suprà *cap. 5. vers. 2.* obseruaui; vbi sponsus cincinnos matutino rore madentes adstruit; ros autem aurora exoriente defluit, imò *aurora* dicitur, quasi *aurea rorans*. Itaque orationis illa incrementa, cum lucis incremento comparare licet, hoc modo; cùm primùm Sulamitis visa fuit (vidimus autem eam circa auroram subobscurè exigua & fusca luce) auroram ipsam forma sua imitari videbatur. Deinde illucescente iam die, quia pulchritudo magis se prodebat Lunæ fulgenti, & pleno orbe radianti, similis apparebat. Iam verò postquam Sol fugatis omnino tenebris speciem illius clariùs videndam exhibuit, Solem ipsum non æquare solùm, sed etiam superare iudicauimus.

Sed tamen præstat omnibus quarta interpretatio, quæ sic conformari debet. Sæpiùs diximus sponsam ter in publicum processisse, semel quidem noctu, cùm vecta currū geniali in domum sponsi traducta fuit, vt moris erat crassiori peplo facie velata. Iterum in secunda die nuptiarum cum tenui flammeo tecta, magno satellitio & illustri pompa lectica pereleganti sublata, in templum deducta est. Ac demum tertia die nuptiarum, cùm iterum reuelata facie in publicum venit, eiúsque formam omnes admirati sunt. Hos ergo progressus filiæ reginæ, ac concubinæ præfatis similitudinibus venustè adumbrarunt, primum cum aurora; secundum cum Luna; tertium cum Sole conferentes, quas comparationes commendat perspicua earum conformitas cum re significata. Nam sponsæ facies obtusiori velo tecta, & altero tantùm oculo liberato auroram imitari videbatur. Eadem verò flammeo tenui ac pellucenti velata Lunæ similis apparebat. Ipsa tandem faciem apertam & conspicuam ostentans, Solis radios æmulari aptè ac venustè dicitur.

Terribilis vt castrorum acies ordinata. Eodem sensu quo suprà sponsus, imò à fœminis, velut mutuo sponsus accepit hæc verba, ea vsurpans, quæ ab illis audierat. Vide suprà *vers. 4.* huius capitis.

Vers. 10. Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

SONVS ALLEGORIÆ.

Poma conuallium. Hebr. *in fructu conuallis descendi in hortum meum.* Septuaginta, *nucis*, significant conuallem torrente aliquo irriguam. Septuaginta *videre in genimine torrentis. Poma* ponuntur pro quouis fructu. Addunt Septuaginta ibi, *dabo tibi vbera mea*, quæ ab originibus & à vulgatis omnino absunt.

Theodor. & apud ipsum tres Patres, & Rab. Anonymus, hæc verba sponsæ tribuunt, reliqui sponso dedunt, quibus subscribo. Hactenus sponsus, vt Sulamitis animum mœrentem & subiratum deliniret, vtque nihil sibi suspicionis contra ipsam subesse monstraret, addidit testimonium fœminarum, quæ sponsam non purgauerant solùm, sed mirè laudibus celebrauerant. Nunc verò, si qua suspicio sponsam etiam tetigerat de ipso, vtpote quam aliquando zelotypia non parum vrebat, (vt ex aliis locis constat,) eam adimit, affirmans, tunc quando ex limine diuertit in hortum con-

cessisse

ceſſiſſe. Primò igitur ponendum eſt, ſponſam non ſuſpiciones, non querelas, ſed impenſum amorẽ, & ingens ſponſi ſui deſideriũ eidem tunc expoſuiſſe, cùm ab excubitorũ congreſſu rediens in illum incidit, vt ſuprà *v.* 2. 3. *&* 4. non perfunctoriè probaui.

Deinde cogitandum eſt, duos fuiſſe hortos, in quibus colendis ſponſus ponebat operas. Alter, in quo erat aromatum prouentus, alter in quo vinea & pomarium omnigenum. vtriuſque horti mentio ſeparatim fit ſuis locis. De horto aromatum ſermo eſt *cap.* 5. *verſ.* 2. ab illis verbis: *Veni in hortum meum. Meſſui myrrham meam*, &c. & in hoc cap. verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum*, &c. De pomario, ſeu horto arboribus conſito, hîc agitur, & ſuprà *cap.* 2. *verſ.* 12. *&* 13. ſub nomine *vineæ*, ſicut infrà *cap.* 7. *v.* 12. Sed cur hîc appellatur *hortus nucum*? Hebr. אגוז *Egen*, quæ vox non reperîtur alibi in Scriptura; ratio autem nominis eſſe potuit, vel quia ibi nux aliqua in horto ſata eſſet, vel quia *nucis* nomen quodlibet fruticis latiori ſignificatione complectitur, ſumpta ſpecie pro genere.

Ergo ſponſa, vt ex primo huius capitis carmine conſtat, dilectum ſuum in hortum aromatum deſcendiſſe exiſtimauit. ſic enim ait: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat*; ideo ad ſponſum veſtigandum in eum hortum contenderat, Solymitanis ſtipata fœminis; quæſitum verò non inuenit. Quid cauſæ fuit? certè id, quod ipſe modò profert: *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium*, &c. quibus verbis oſtendit, non in eum hortum, de quo ſponſa diuinarat, ſed in alium diſceſſiſſe, nimirum in hortum nucum, vbi vinea & fruticum omnigena multitudo conſita erat, vt vineæ floritionem, & malorum punicorum primæuos fructus exploraret. Et quia, vt iam dixi, hæc erat ſponſi dotalis vinea, quam ipſa plurim um adamabat, aptiſſimè ſponſus ad ipſam deliniendam id adiecit, nimirum, tunc cùm diſceſſit ad curandum & excolendum ipſius hortum & vineam deſcendiſſe, vt ea ratione ſponſæ ſuæ genio atque ſtudiis inſeruiret.

Hæc autem interpretatio ſic excitari debet, vt is ſponſus id ſponſæ ſignificare voluerit, eo nimirum tempore, quo ipſam antelucanis horis ad limina hærentem cultus ſui, ſtudioſa reliquerat, non ex aliqua indignatione, vel quia alienos amores ſolicitaret, vel ex alia cauſa, quæ ſponſæ ſuæ iniuriam, curam, aut dolorem faceſſeret, ſed vt alterum è duobus hortis inuiſeret, cùm ſcilicet, qui nucibus & pomis, hoc eſt, omnigenis fruticibus conſitum erat, tam his, qui nuces afferunt, quàm qui poma progerminant. Hiſpanè dici ſolet, *los de gueſo y los de pepita.* hæc enim diuiſio omnes arbores fructiferas comprehendit, & agriculturæ plurimum inſeruit ad plantationem & inſitionem: his autem verbis ſponſus diſceſſum matutinum honeſtauit, ſignificans non alia intentione factum, niſi horti viſendi, atque adeò communes delicias curandi gratia. ſubdit ſponſa,

Verſ. 11. Neſciui: anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuagînta interpretes paulo aliter. *Non nouit anima mea, poſuit mę currus Aminadab*, pro verbo *conturbauit*, vox Hebræa eſt שמח à radice שום *ſom*, vel שמם *ſamam*. Septuag. priorem radicem obſeruarunt, quos ſequitur quinta editio. D. Ambr. *in lib. de Abrah. cap.* 8. & recentiores nonnulli hebraizantes, qui ita conuertunt. *Poſuit me quadrigas populi mei nobilis.* Noſter interpres poſteriorem radicem amplexus eſt, & Symmach. premens veſtigia, vertit *conturbauit*; eſt enim *ſamam, obſtupeſcere*, vel ad ſtuporem adducere.

Aminadab. Aliqui accipiunt vt proprium, in his Honorius, qui cum notari exiſtimaui, cuius plauſtrum ad arcam Dei vehendam aſſumptum eſt: at hic non *Aminadab*, ſed *Abinadab* apellabatur. Lyranus reſpexiſſe putat Salomonem ad Aminadab filium Aram, Iudæ Patriachæ abnepotem, ſoceram Aaronis, quem Hebræi ſcribunt ducem fuiſſe Tribus Iudah in exitu ex Ægypto, & primum poſt Moiſem in diuiduas rubri maris aquas quadrigas iactaſſe, aliis hæſitantibus. Ex Lyrano in ſua commentaria tranſtulerunt Iuſtus Rupertus & Beda. Alij ex fratribus natu maioribus Dauid Regis, alterum qui eo nomine cenſebatur, notari putant; cuius mentio eſt *Ruth* 4. Demum alij nobilem aliquem virum fuiſſe volunt ob quadrigarum celeritatem inſignem tempore Salomonis, cuius alibi Scriptura non meminerit.

Cæte

Cæterùm plures sunt, qui nomen Aminadab proprium esse negant, & appellatiuis adscribunt, sed variè tamen conuertunt. Theodoretus, *currus populi ducentis*, Aquil. *currus populi sponte imperantis*. Recentiores; *currus populi mei nobilis*. Germana etiam est (meo iudicio) Abenezræ translatio: *currus magni & potentis in populo*. id est, ipsius Regis, qui populo imperat. Nec propterea me vel latum vnguem à vulgata recedere existimo: huic enim non parum solemne est retinere voces Hebraicas, non solùm in propriis virorum, sed etiam in appellatiuis. Nil certiùs? Itaque quadrigas istos à quibus perturbata dicitur sponsa, aut populares currus interpretari licet vrbem regiam adeuntes, aut eos, quibus Rex, aut Princeps populi vtebatur.

Hic locus valde diuersas interpretationes peperit; illas verò missas facio, quæ de aliquo singulari homine eo vocabulo insignito edisserunt ista verba: siue is sit Aminadab, Iudæ abnepos, siue frater Dauid, siue aliquis, qui Arcæ Dei vectandæ currum administrauit, quia hæc omnia à contextu historiæ prorsus abhorrent. Venio ad alia.

Noster Sanctius, cùm singularis sit in ea persuasione, vt existimet sponsæ translationem ad domum sponsi, (quæ solenni Hebræorum ritu ascenso curru perfici solebat) nec dum peractam fuisse; sed tamen iam tunc adornari atque expediri cœptam; appositè ad eam sententiam, sic comminiscitur: sponsa ideò turbata fuit, quia verebatur ne sponsus illius inertia & desidia offensus, atque illiberaliter tunc tractatus, cùm fores pulsauit, alienus iam ab his nuptiis alias meditaretur. Itaque ait: *Anima mea turbata est propter quadrigas Aminadab*. Ideò scilicet perturbata sum, quia cùm tempus instaret currus inscendendi, vt in sponsi domum transferrer, vereri cœpi, ne sponsus à me prouocatus quadrigas solueret, & ab sponsione nuptiarum resiliret.

Cæterùm cùm sponsæ traductionem, iam inde factam, & nuptiarum celebritatem longiùs processisse multis argumentis suprà probauerim, præmissa expositio non potest non displicere; si tamen per eiusmodi quadrigas genialem currum accipere velis, quo noua nupta in mariti domum transferri solebat, sententiam huius carminis ad hunc modum conformare licet: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, seu *magni ac potentis in populo*. q.d. tunc cùm à militibus vexata & vulnerata fui, cùm sponsum quærebam, nec inuenire poteram, cumque dolor de accepta iniuria angebat animum, tunc certè mens conturbata, alias quadrigas cogitabat, id est, offerebat mihi alias nuptias, alterius videlicet Principis, qui me magis amaret, qui mitiùs ac liberaliùs mecum ageret, & in cuius domum traducta, nihil amore meo indignum pati cogeret. Sed tamen absit, vt hæc tam leuis cogitatio sponsæ tribuatur. An non satius esset sic comminisci. Sponsa propter *quadrigas magni & potentis in populo*, id est, sponsi sui, qui magnus Princeps, imò Rex asseritur in hoc Cantico, conturbata & exterrita dicitur, quia tunc cùm ad fores venit, & sponsum abiisse comperit, atque illum sequi coacta, in memoriam venerunt quadrigæ inclitæ sponsi sui, quibus subnecta plurimis stipata turbis, & regio satellitio cincta, prima nuptiarum nocte ad hortos in ædes regias translata fuerat, atque adeò ægrè admodum ferre cœpit solam ac peditem sine sociis & sine curru, tanquam humilem & ingloriam fœminam, ad sponsum vestigandum egredi. Nam quas hîc Principis quadrigas dicit, suprà cap. 1. *equitatum in curribus Pharaonis*, appellauit. quem ideò fortasse sibi tunc non adesse dolebat Sulamitis, quia sponsum fugientem assequi cupiens currum velocem quadriga victum desiderabat, eum scilicet, quo prima nocte ad sponsi ædes perlata fuerat.

Sed alias magis accommodatas interpretationes subiicio.

Prima est Rabbi Anonymi: *Nesciui, anima mea conturbauit me*, &c. Præmisit sponsus: *descendi in hortum nucum*, &c. id est, tunc cùm à foribus tuis auulsus fui, in pomarium certè contendi, vt vineæ atque aliorum arborum floritionem & geminationem explorarem. subtexit sponsa, *Nesciui*, prorsus, & animi mei perturbatio tanta fuit, & cupiditas te videndi, vsque adeò audacem me fecit, vt à via dicti pomarij aberrans ad quadrigas populi incliti, quæ nimirum vrbem regiam Hierusalem noctu diuque circumeunt, memet traduxerim, illasque interrita inuaserim, vt meritò cum acie militum ad pugnandum instructa conferri possem.

Secunda interpretatio sic habet, *Nesciui*, prorsus, atque adeò perturbata, & consilij indiga, non semitam quæ ducit ad hortum, seu pomarium carpo, sed viam regiam, seu orbitam arripio, quam quadrigæ ad vrbem inclytam, hoc est, ad Hierusalem contendentes assiduò exterunt, atque adeò in milites excubitores incidi. Vel

paulò

paulò aliter, *Neſciui*, id eſt, non ſatis noui quà greſſus regerem, ſed ipſa viarum diuerſitas perturbauit me propter quadrigas Aminadab, vel *populi nobilis*, id eſt, propter diuerſas orbitas, quas quadrigæ ad vrbem Hieruſalem venientes rotis ſuis aperiunt. Quaſi dicat: multitudo viarum decepit me, atque adeò cùm ad te venire deberem in hortum nucum, ad vrbem perlata ſum, & in militum manus, per errorem incidi, à quibus vexata ad hortos tandem regredi coacta ſum.

Quòd ſi amplectamur tranſlationem ſeptuaginta Interpretum, alia rurſus, & alia interpretatio ſuppetit.

Prior eſt, *non nouit anima mea*, id eſt, ignoraui prorſus, nec id in mentem venit, propterea ad te veſtigandum, non in hortum, ſed in vrbem veni. Reliqua ſic efferunt Septuaginta: *Poſuit me ſicut currus Aminadab*, ſuppl. *anima mea*, hoc eſt, deſiderium tui videndi, & fugientis aſſequendi rotas addidit, (vt ita dicam;) addidit mihi, & volubilis velocíſque ad inſtar currus effecit me. quaſi dicat: Ne putes me inertem & ſocordem hæſiſſe in lecto, velut oſtium in cardine, tunc cùm è limine diſceſſiſti; nam ea profectò velocitate inſequuta ſum te fugientem, qua currus velociſſimis quadrigis implentibus ferri ſolet; currus, inquam, aliquis ex his, quibus ad excurrendum vtitur populi princeps, vel Salomon, vel alius quiuis ex proceribus. Priorem hanc expoſitionem, non parum inſinuant Genebrardus Legionenſis, & ex his alij.

Secunda expoſitio ſic habet: cùm ſponſa audiſſet à ſponſo ordinatè ad inſtar aciei in vrbem irrumpentis, tunc obtinuiſſe, cùm in excubitores milites irruit, & vim afferentes vicit, ſubiecit illa: *anima mea poſuit me ſicut currus Aminadab*, hoc eſt, animus meus ardens tui videndi fortiorem fortiſſimis quadrigis ad irrumpendum me reddidit, amor enim audaces efficit etiam debiles, inualidáſque fœminas.

Verſ. 12. Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta paulò aliter: *Conuertere, conuertere Sunamites; conuertere, conuertere, & videbimus in te.* Pro *Sulamite* Philo Carpathius *Odolamitis*, & interpretatur *teſtimonium in aqua*, à quo tranſtulit Arboreus in ſua commentaria. Sed hæc lectio nec coit cum originibus, neque cum Septuaginta, aut vulgata interpretatione.

Septuaginta habent *Sunamitis*, quos ſequuntur plures ex Patribus. Significat autem *emptam captiuam*, vel *deſpectui habitam*, vnde Symmachus ſuam fortaſſe lectionem. ἡ ἐσκυλευμένη, hoc eſt, *ſpoliata*, à voce *Sunem*.

Præſtat tertia lectio *Sulamitis*, quam hodie habent correcti codices, & Aquila ſequutus eſt, qui ita conuertit, ἡ εἰρηνεύουσα, id eſt, *pacifica*, vel *pacem colens*. & plures etiam ex patribus amplectuntur. Quidam verò Sulamitem dictam volunt, quaſi Solymitanam; alij de mariti ſui nomine appellatam malunt, & à Salomone *Sulamitem* deflecti, ſicut à Ioanne, Ioannam; his adhæreo, ſic enim fit, vt obtineat hic mos ille Hebræis ſolemnis, vti vxores de maritorum nomine dicantur, de quo ſuprà *cap.* 1. *verſ.* 2. nam ſponſus, etſi non ſit ipſemet Salomon, tamen figuratè, Salomonis nomine cenſetur, vt ſæpe aliàs appinxi.

Abenezrha & Anonymus hæc verba per narrationem quãdam ſponſo à Sulamite dicta fuiſſe putant, ad hunc modum, id eſt, tum cùm ego ad te veſtigandum ocior quadrigis omnibus volabam, clamabant ad me Sionitides fœminæ: *redi*, redi, inquam, vt tuam ſpeciem tantopere prædicatam contemplari liceat. quibus ego: *Quid ſpectabitis in Sulamite* (vt ita oportuerit certatim ad ipſam videndam exire) quid, inquam, ſpectabitis, *niſi choros caſtrorum*, &c. quæ ſunt priora verba ſequentis capitis; nam in Hebræis originibus *cap.* 7. auſpicium ſumit ab illis verbis, *reuertere*, &c.

Delrius noſter exiſtimat Sionitides fœminas non tam voluiſſe ſponſam inuitare ad reditum, quàm de reditu gratulari, nec diſplicet.

Tamen illud aptiùs ad contextum dici crediderim, ſcilicet cunctam illam hiſtoriam abſolutam fuiſſe excuſationibus vtrinque acceptis, ſedatis animis, abolitis ſuſpicionibus; hinc verò exordiri quaſi nouum drama, in quo puellæ Sionitides, quæ ad ipſam contemplandam conuenerant, ſponſam ad ſe conuerti, & propiùs accedere precantur, vt in ipſa liceat cominus contemplari, quod pulchrius, quod laude dignius, ad illud decantandum & celebrandum.

Sed

Sed tamen, vt contextus sit luculentior, redeat in memoriam id, quod nuper dicebamus, Sulamitem videlicet pallio nuptiali spoliatam, & à militibus vulneratam ab vrbe reducem stipantibus fœminis ad hortum rediisse, vt spõsum inueniret. Adde etiam id quod in præfatione huius Epithalamij seriò adnotaui in quarta nuptiarum die, matutino tempore, iuxta morem patrium sponsam ab hortis venientem cum pompa & apparatu nuptiali, iterum vrbem ingredi solitam, ad formæ & pulchritudinis perfectam ostentationem; quæ nimirum depositio flammeo, aperta facie, pedibus solenni nuptiarum ritu, sandaliis indutis & reliquo mundo muliebri assumpto fieri solebat, hæc enim erat summa, nuptialis gloriæ venditatio, vt ibidem diximus, & *cap. 5. vers. 3.* non perfunctoriè probauimus.

Sed quid inde? certè verbum illud geminatum, *Reuertere, reuertere*, duplici sensu donari potest: alter est, vt puellæ, quæ sponsæ ad hortos antelucano tempore ad sponsum vestigandum venienti comites additæ fuerant, id postulent, vt quod nuptiali more ac ritu comparatum erat, ipsa perficiat: atque adeò in vrbem ociùs reuertatur, ipsamque pompicè adeat, formam suam ostentans, eamque sine velo & sine pallio, Solymitanis fœminis tam nuptis, quàm innuptis videndam offerens; sic enim accipi debent illa verba; *vt intueamur te*, vt scilicet tam nobis, quàm aliis Hierosolymitanis mulieribus, tuam absolutissimam pulchritudinem contemplari liceat. Cui expositioni obseruit translatio Symm. *reuertere, reuertere spoliata*, &c. quæ nimirum flammeo velo spoliata existis, speciem tuam liberam & conspicuam omnibus offerens.

Secunda expositio supponit sponsæ reditum ex hortis ad vrbem, iam inde perfectum, atque in eiusdem vrbis aditu cum Sulamitis suadente pudore, quem ex flammei detractione conceperat, faciem & oculos aut auertere, aut diuertere curaret, ne in lumina intuentium aperto vulto palàm incurreret, (vt nuper de sponso diximus ad illa verba: *Auerte oculos tuos à me*, &c.) Solymitanæ fœminæ ad eam videndam conuolantes sic ipsum alloquutæ sunt. *Reuertere, reuertere*, vel, vt alij restituunt, *conuertere, conuertere Sulamitis, seu spoliata*, id est, tu scilicet, quæ flammeum iam amisisti, atque adeò faciem apertam & reuelatam geris: *conuertere, conuertere.* ne scilicet diuerte, sed magis conuerte vultum & oculos ad nos, vt quidquid decoris & pulchritudinis in te est, clarè contueri possimus, *vt intueamur te*, vt illud commendare & prædicare possimus; quibus illa,

CAPVT SEPTIMVM.

Vers. 1. Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?

SONVS ALLEGORIÆ.

SEPTVAGINTA: *Quid videbitis in Sunamite quæ vadit vt herba castrorum*, sic habet Complutensis; videtur tamen mendum irrepsisse, & pro χορὸς, additum fuisse χόρτος. Sed licèt lectionem non expungamus, tamen eadem erit sententia; nam χόρτος Græcis aliquando est *iubilus, lætitia*, & *risus*, per translationem, & χορτάζομαι *lætari* significat; sicut enim risus ad herbas, ita vicissim hortorum amœnitas ad risum accommodari solet. Itaque herba castrorum, idem sibi vult, quod iubilus, aut lætitia castrorum exultantium. Chorus Hebraicè מחלת *Mecholath*, à verbo *chalath*, *Chorum* significat, Abenezra *tympanum*, aut *fistulam*. Symmachus vertit *spoliatam*, in *vulnerationibus castrorum*. Sed quid eum mouit? Certè verbum *chalath*, quod *vulnerare* significat, ex germano significato, à quo fluit *Mecholath*, atque adeò pro vulnere accipit, & quidem non insulsa euadit sententia iuxta lectionem istam; cùm enim puellæ Sulamitem laudandam suscipere se velle insinuassent, tunc cùm dixerant: *Reuertere, reuertere, vt intueamur te*, subiecit illa, *quid videbitis, nisi spoliatam in vulnerationibus castrorum*; id est, quid visu, aut laude dignum esse potest in ea, quam nuper milites spoliatam pallio, & vulneratam dimiserunt. Et in hanc sententiam allici potest illa lectio præmissa: *Quid videbitis in Sulamite-*

mite, quæ vadit vt herba castrorum. quid videlicet spectabile, aut laudabile in fœmina, cuius virentem iuuentam sic extriuerunt milites plagis & vulneribus, sicut herba, aut fœnum calcatur & teritur in castris. Mitto alia de herba, quam victoribus victi porrigere dicuntur, hæc enim ineptè ad hunc locum traducuntur.

Sed non erit alienum à sententia huius carminis, si dicamus respectum ad militares coronas, quia nemo nescit milites in castris coronas ex diuersis foliis, aut herbis compactas gestare solitos. lege Tertullian. de corona militis, & nostrum Cerdam, præclarum eius interpretem ibi. Rursus nullus ignorat, vsum coronarum & sertorum in nuptiis, de quo sæpe aliàs loquuti sumus. Ergo sic sponsus. Illud certè in Sulamite visu dignissimum, quod virginibus atque puellis coronatis cincta redimita imitatur castra militum similes coronas gestantium, quod ad celebratione, & ipsa etiam nuptiali corona victoriæ nuper ab excubitoribus partæ referri potest.

Diffidium est inter auctores, cui potissimum hæc verba quadrent. Plures tribuunt sponsæ, vt occurrat puellis, quæ laudes eius decantare volebant. Non desunt etiam qui puellis accommodent, & ab his verbis orsas fuisse sponsæ commendationem, dicunt. Alij demum sponso adscribunt: cum his sentio, quamuis in aliquo sensu sponsæ etiam optimè accommodari posse non abnuo. Quidam ergo castrorum choris collatam fuisse sponsam volunt, vt suauem simul, & terribilem esse constaret, quia non secus delectaret, quàm chorus canentium, non secus terrori esset, quàm militum phalanges. Alij alia. Sed cogitandum in primis est, choros castrorum, cum quibus inita est comparatio, esse veteres illos virginum conuentus, seu comitia, quæ victorias ab hostibus partas sistris, tympanis, cantionibus & plausu concrepabant; quorum sunt perspicua exempla in sacris litteris, *Exodi* 15. fœminæ Pharaonem in mari demersum decantant: *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus*, &c. & 1. *Regum cap.* 18. postquam Dauid percussit Philisthæum cùm reuerteretur, mulieres egressæ dicuntur de vniuersis vrbibus Israël, cantantes Epinicium, choròsque ducentes in tympanis lætitiæ, & in sistris. Mitto alia. Deinde arbitror, nequaquam Sulamitem cum his choris castrensibus comparatam fuisse, sed ipsasmet puellas, quæ laudes illius pangendas susceperant; quid enim choro magis simile, quàm chorus?

Ergo si sponsæ tribuamus præmissa verba, sic sunt edisserenda. Puellæ quidem eius laudes occinere velle nuper insinuarat, dicentes: *Reuertere vt intueamur te*, &c. occurrit ergo sponsa verba earum resumens, & in ipsas luculenter retorquens, vt sibi magis ac magis eas deuinciret. *Quid videbitis*, inquit, *in Sulamite nisi choros castrorum.* id est, quid spectatu dignum, quid venustum est in Sulamite, nisi vos ipsæ ô virgines pulcherrimæ, quæ me cingitis vndique, & chori ad instar castrensis pangitis victoriam meam ab excubitoribus militibus partam.

Quòd si sponso adscribantur verba, aliter dicemus: puellas nimirum Sulamitis laudes canere cœpisse; tunc verò addit sponsus: *Quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum?* Quasi dicat, illud profectò in Sulamite visu dignius est, quod postquam illa instructissimæ ad instar aciei excubitus milites exterruit, & afferentes vim deuicit, ac fudit, puellæ & virgines eius laudes decantare & celebrare incipiunt in aditu vrbis, & progressu pompico, iuxta nuptialem ritum. Nam hoc quid aliud est nisi imitari quodammodo castrenses fœminarum choros, cùm partâ victoriâ epinicium insonant, vel pæana canunt.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.

Filia Principis. Septuaginta, *filia Nadab*, retinentes vocem Hebræam. Philo Carpath. *filia Anab*, alij *filia Aminadab*; sed in vtraque lectione mendum esse non dubito, quamuis postremam amplexi sunt D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinian.* D. Ambrosius *lib. de obitu Valent. & lib. de instit. virgin. cap.* 14. Symmachus, *filia Ducis*, alij *filia munifici*, seu *sponte dantis.* sed omnes istæ lectiones eodem recidunt. Est autem modus dicendi Hebræis familiaris, *filia Principis*, pro Principe fœmina, sicut *filia Regis*, pro *Regina.* Nam *Psalm.* 44. eadem quæ dicit Regina: *Astitit Regina*, &c. breui verborum interstitio, *filia Regis* nuncupatur. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, &c.

Verba sunt fœminarum Hierosolymitanarum laudes Sulamitis pangentium,

qui in hoc loco duas sponsas comminiscuntur, alteram iuniorem, & alteram adultam, qui audiendi non sunt, quia neque rationem, neque aliquem antiquum auctorem ducem habent. Ergo ista verba Hierosolymitanis puellis adscribunt Theodoretus, & tres apud ipsum Patres, Geneb. Rab. Salomon, Anonym. & alij multi. quæ cùm nuper à Sulamite, propiùs vt accederet, postulassent, vt quidquid in ipsa, laude dignum erat, decantare inciperent: venientis ad se, gressus & calceamenta commendant hisce verbis: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.* in pro *cum*, vtrumque videlicet pulchrum, gressus & calceamenta.

Sed tamen, vt loci huius germanum sensum assequi liceat, aliqua prælibare operæpretium est.

Primò notandum est id, quod in præfatione huius sexti Epithalamij præscripsimus, hanc scilicet descriptionem sponsæ non ab aliis, quàm ab ipsis Hierosolymitanis fœminis factam fuisse tunc, cùm pallio nuptiali amisso, vel ablato, vrbem ingressa, palàm ab omnibus videri cœpit, descriptio autem à pedibus auspicatur. Sed quid causæ?

Secundò ergo notandum id, quod suprà *cap. 5. vers. 3.* delibaui, hunc scilicet secundum ingressum, seu processum pompicum sponsæ in vrbem ad publicam formæ & venustatis venditationem, non ita factum, vt Sulamitis ferculo, aut curru sublata Hierosolymam adierit, sed pedibus insistens suis. Suadent hoc ipsa huius carminis verba, vbi sponsæ gressus graues & elegantes commendantur. *Quàm pulchri sunt gressus tui*, &c. Adde etiam fœminis Solymitanis apud Isaiam *cap. 3.* id summæ gloriæ tribui, quòd pompicè & fastuosè in vrbe incederent. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulabant extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gressu incidebant.* Hæc autem pulchritudo & compositio incessus fœminei tunc vel maximè elucebat, cùm nouæ nuptæ ex more gentis in publicum procedebant.

Tertiò animaduertendum est id quod non perfunctoriè in eodem loco notaui, scilicet innuptas fœminas pedes velare solitas olim apud Hebræos. Vide quæ de cothurno virginibus familiari, qui pedes & crura surarum tenus tegebat, ibidem diximus, pro quo nubentes fœminæ sandalia aperta, hoc est, soleas loris desuper adstrictas, pedibus induebant. Adde etiam virgines Hebræas tunicam gestare solitas, quæ ad talos vsque demittebatur, atque adeò pedes celabat. 2. *Regum* 13. De Thamar virgine, quam illata vi corruperat Amon frater eius, sic sacer textus. *Quæ induta erat talari tunica: huiusmodi enim filiæ Regis virgines vestibus vtebantur.* & infrà, *quæ aspergens cinerem capiti suo scissa talari tunica ibat ingrediens, & clamans*, &c. Sed pro hac veste prolixiori aliam breuiorem assumebant nuptæ, quæ pedes eorumque calceamenta, siue sandalia intecta relinquebant. Eiusmodi vestem nuptis solemnem assumpsit Iudith *cap. 16.* de qua ibi: *Exuit se vestimenta viduitatis, & induit vestimenta lætitiæ*, id est, *nuptialem stolam.* Et quia hæc breuior erat, & pedes minimè tegebat, adiecit: *sandalia eius rapuerunt oculos eius*, &c.

Quartò de calceamentorum nuptialium gloria frustrà hîc multis legendus noster Hieronymus de Prado, ad illa verba Ezechielis cap. 16. *calceaui te ianthino*, vbi Propheta inter reliqua mundi muliebris ornamenta, quæ sponsæ ab sponso tradebantur, numerat calceamenta ex ianthinis, aliàs iacinthinis pellibus conformata. Rursus *Isaiæ* 3. Solymitanis puellis sic minatur Vates. *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques.* Erant autem lunulæ calceamentorum, seu sandaliorum insignita ornamenta, de calceo verò lunato Regibus ac Reginis solenni, vide Bullengerum *de Imp. Rom. lib. 2. cap. 7.*

His positis huius carminis sensus sic instituendus est. Cogita sponsam non feretro, aut lectica vectam, sed pedibus suis graues ac compositos gressus regentem Hierosolymam vrbem ad ostentationem pulchritudinis ingressam, non prolixa, aut talari, sed breuiori veste more virginum indutam, atque adeò pedes sandaliis opertos, simul & apertos, ritu nuptarum fœminarum glorioſa ambitione gestantem. Ergo filiæ Sion, quæ descriptionem istam contexuerant, eximiam illius pulchritudinem prædicantes, ad hunc modum affatæ sunt: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* quasi dicat: O qualem & quantam gloriam ostentas & iactas vxor Regis ac Regina felix, cùm pedes grauiter & compositè moues, & eosdem pretiosis ac decoris calceamentis, vel sandaliis conspicuos, iam non tegis tanquam virgo innupta,

sed

ſed veluti coniugata detegis, atque oculis noſtris videndos offers. Ideò verò iſta deſcriptio à pedibus exordium capit, quia nunc primum in hac quarta die & progreſſu pompico ad vrbem pedes detegebat noua nupta; eapropter primam laudem ab illis meritò ducendam exiſtimauerunt puellæ ac fœminæ Sionitides.

Itaque ſic aiunt: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* id eſt, quàm grauis & decorus inceſſus, qualem decet principem fœminam; inceſſus, inquam, prodit indolem tuam, & animi excelſi generoſitatem, cui gratiæ & decoris plurimum addunt calceamenta vel ſandalia pretioſa. Pro *greſſibus* Hebr. eſt פגמים *pegamim*; alij, *pedes in calceamentis* conuertunt, ne pedibus deſit ſua laus; ideò verò inceſſus in fœmina obſeruatur, quia indolem ingeniúmque qualia ſint prodit. Graues enim & decori greſſus, grauitatem animi & pondus inſinuant; contrà ludibundi, mobiles, & inſtabiles, leuitatis indices ſunt. Hinc Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 11. *in inceſſu*, inquit, *non inueniatur magni animi & excelſi dedecus*, id eſt, ne quid committatur quod animum grauem & excelſum dedeceat.

Iuncturæ femorum tuorum ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis.

Septuaginta paulò aliter, *Moduli fœmorum ſimiles torquibus opus artificis. Iunctura*, Hebr. חמוק *chamuk*, id eſt, *circuitus vertebra, aut commiſſura.* Septuaginta ῥυθμοί, id eſt, *moduli*, ſeu *aptitudines*, vel *formulæ feminum.* Hebr. ירכים *ierechim*, femora propriiſſimè; tamen ad ſignificandam imam cuiuſlibet rei partem etiam extenditur. Deut. 25. & 37. *candelabri pedem*, Ionæ 1. *carinam nauis*, hoc eſt, imam, ſeu demiſſam partem. Iſaiæ 14. *profundum laci*, ſignificat: ergo fieri etiam poteſt, vt pro pedis, aut pedi proxima aliqua parte accipiatur, quod eſt maximè imum & demiſſum in homine. Nec alienum eſt id à noſtra lectione. nam *femen* non ſolùm femoris interiorem partem, ſed pedi proximam vertiginem notat, vt obſeruauit auctor Latini theſauri, producens exemplum ex Plauto in Aſinaria: *Nempe eos aſinos prædicas vetulos, claudos, quibus obtritæ ad femina erant vngulæ*, hoc eſt, circa vertebras vaſi proximas, ſignificat etiam tibiarum intimam partem. Cicero etiam *de natura Deorum*, *lib.* 1. dixit, *redundare pedibus, feminibus, cruribus.* Ab imis enim enumerando aſcendens, pedes primùm, deinde femina tanquam pedi vicina, poſtea crura recenſuit. Liuius item: *Quoſdam*, inquit, *iacentes viuos ſucciſis feminibus & poplitibus inuenerunt.* ſucciſos dicit, id eſt, ab ima parte ſubneruatos.

Memoriâ repetenda ſunt illa, quæ *cap.* 5. *verſ.* 14. diximus ad illa verba: *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris*, vbi pluribus argumentis probaui ea, quæ de membris ſponſi, aut ſponſæ prædicantur, non eſſe trahenda ad externa tantùm indumenta, ſed de ipſiſmet membris accipi debere, non perſcrutando intima, vt quidam parum decorè faciunt, ſed vt exteriùs, tecta veſtibus, ſe produnt, & oculis patent, vt corpus ſponſæ, quod corporis Eccleſiæ myſtici ſymbolum eſt, ex omni ſuo membro per omnem iuncturam coaleſcat, vt Apoſtoli verba vſurpem.

Ne deſit ergo, *iunctura* huic corpori, ita puellæ ad Sulamitem *iunctura feminum tuorum ſicut monilia*, &c. Quidam *feminum* nomine veſtem circa femora diſſutam, ſeu diſciſſam antiquo more accipiunt. Nam femora pro ipſorum femorum indumentis, ſumere, non eſt alienum à vulgari ſermone; nam Hiſpani veſtis illam partem, quæ femora contegit, *muſlos* nominant, trito ſermone, quod non abhorret à modo loquendi Scripturæ *Apocal.* 19. Dominus in femore ſuo geſtare dicitur illam inſcriptionem: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* quod ſimiliter de veſte quæ femur tegebat, intelligi debet. Deinde addunt, ſponſæ ſummæ laudi duci, quòd eam veſtis partem, quam aliæ fœminæ diſciſſam & ſolutam indecorè geſtabant, vt teſtatur Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Pædag. cap.* 10. ipſa fibulis aureis, ad inſtar monilium aſtrictam gereret: quod magno illi ornamento erat, & pudicitiæ nobile documentum. Acuta profectò meditatio, auctore ſuo digna, ex qua ego verbis Iſaiæ nuper citatis ex *cap.* 3. lucem afferri poſſe credo; iuxta lectionem Septuaginta, quæ ſic habet: *Propterea quòd ambulauerunt filiæ Sion elato collo, & in nutibus oculorum, & ſimul cum inceſſu trahentes tunicas, & pedibus ludentes.* Cur enim impudicitiæ & dedecori tribuitur cum inceſſu ſimul trahere tunicas, niſi quia fortaſſe incedentes ventilabant tunicæ deſutæ alas, vt femora oſtentarent, quod indecorum fœminis eſſe, teſtatur Clemens *citato loco.* Sed quamuis hæc interpretatio mihi videatur acuta, non tamen eam vſque adeò

probo, quia tota pertinet ad vestem; vestis enim (vt alia omittam) exigua est gloria, & quæ in fœminam etiam indecoram cadere potest.

Nec adduci possum etiam vt credam Legionensi, qui vertebram fœmoris pro toto fœmore accipiendam esse dicit, id verò cum monilibus conferri, quod non exile, & macie exhaustum, sed densum & modicè obesum esset; id verò ne credam suadet pudor, & quia puellæ, quarum ista verba sunt, prædicare non potuerunt id, quod videre ipsis nequaquam licuit.

Ego verò, si *feminum* nomine fœmora capienda esse quis seriò velit, vt seruetur linguæ proprietas, de ipsis certè intelligerem, vt per vestes se prodebant exteriùs; nam mulierum fœmora olim exteriùs signari, & quodammodo videri, distinctè suadent verba Alexis Comici apud Clementem Alexandrinum *Pædag. lib. 3. cap. 2.* quæ sic habent ex Græco fideliter latinitate donata: *Est aliqua parua suber, calceis insuitur, est grandior, soleam tenuem gestat, caput in humeros demittens graditur, hoc ei detrahit de longitudine: graciliora fœmora sunt alicui, hæc assuta subtus veste induit, vt qui ingrediuntur eam, pulchris fœmoribus esse exclament.* Hactenus Alexis Alexandrinus, ex quo duo notatione digna eliciuntur: alterum est fœmora in muliere vestita & ornata signari exteriùs. quomodo id fieret non assequor: alterum aliquam pulchritudinis partem in elegantia fœmorum fuisse positam, si videlicet non gracilia, sed plena & crassiora essent, cùm dicat quasdam fœminas pulchritudinis auidas, fœminum gracilitatem insutis vestibus supplere. Sed tamen verba Clementis attentiùs examinans in eam mentem incidi, vt putarem per fœmora, non iam partē corporis intelligi quæ à trunco demissa supra crura incumbit, sed eam, quam *suram* appellamus, à crure deorsum vsque ad talos, quam vulgò dicimus *la pantorrilla*; hæc enim si gracilis sit, insutis vestibus farciri solet; si autem crassa & succi plena, pulchritudinis non minimam partem continet, sed etiam roboris nobile indicium existit. Adde etiam nomen *feminum*, quod hîc vsurpauit vulgatus interpres, eam corporis partem germaniùs notare, vt proinde mihi exploratum sit Salomonem non de *fœmoribus*, sed de *suris* hîc loqui, quas, vt nuper dicebam, vestis breuior nuptis magna ex parte intecta relinquebat. Quæ verò sit sententia carminis, paulò pòst subiiciam.

Præmittere autem oportet, Hebræas fœminas non tantùm sandalia aurata & gemmata pedibus induta gestare, sed etiam suffragines supra talos monilibus aureis gemmatisque exornare solitas. de quibus sic Clemens Alexand. lib. 12. Pædag. cap. 12. *Talares autem compedes indecorum in fœminis ornamentum vocauit Philemon Poëta,*

Pellucidas vestes quendamque compedem aureum;

Cur ergo hîc à vobis tantopere concupiscitur ornatus, nisi quòd vos velitis ô fœminæ videri esse compedibus adstrictas. Isaias cap. 3. hos compedes, seu monilia talorum inter ornamenta mundi muliebris recensuit. *Auferam*, inquit, *ab eis ornamenta calceamentorum.* Chaldæus sic vertit: *Auferam monilia pedum.* Alij restituunt: *gloriam compedum*, id est, auri monilia, quibus ad instar compedum suffragines circundant? Item Pollux *lib. 5. cap. 16.* ἀμφίδια monilia quædam esse dicit, quibus fœminæ iuncturas pedum ambiunt. Frustrà hîc plura.

Rursus notandum, non suffragines tantummodo monilibus ornare consuetum Hebræis fœminis; sed etiam superiorem iuncturam infra crura, & supra suras, aureis quoque torquibus incingere, quos periscelides appellabant, ex περὶ, id est, *circum*, & σκέλος, id est, *crus*, de quibus Porphyrion ait esse ornamenta pedum circa crura, ad illud Horatij:

——*sæpe catellam,*
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis, &c.

de quibus *Isaiæ cap. 3.* inter reliqua ornamenta, quę se ablaturum minatur Deus, numerantur *periscelides*, quæ non erant nerui, aut impedimenta crurum, vt habet Tiraquellus *ad 3 leg. connub. p. 3.* sed circuli aurei & gemmati supra suras, & infra crura tibias astringentes.

Ad hæc in memoriam reuocare oportet, id quod diximus suprà *cap. 1. vers. 10.* ad illa verba: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*, scilicet, particulam *sicut*, non tantùm esse notam comparationis, sed etiam continentiæ. nam cùm ibi legi oporteret, *sicut turtures*, de numero multitudinis in recto, ac per turtures ornamenta quædam genis aptata accipi debere seriò probauerim, sententiam ad hunc modum instituendam esse dixi. *genæ tuæ* turturibus exornatæ & insignitæ, venustissimæ sunt, idem iudicium

feren

ferendum est de sequentibus verbis, *& collum tuum sicut monilia*, id est, collum tuum monilibus cinctum pulcherrimum est. Simili sensu donari debent ista verba, *sicut monilia*, atque adeò integer locus iuxta obseruationes iã præmissas, sic interpretadus est.

Iunctura feminum tuorum. duæ scilicet vertebræ, seu commissuræ, tam superior, quæ infra crura existit, & poples dici potest, à qua femen, seu sura incipit, quàm inferior, quæ supra talos est, & suffrago appellatur, in quam femen desinit, prior quidem periscelide ornata, posterior verò manili, aut torque præcincta, valde pulchra sunt. Nec pulchra tantùm, sed fortes ac robustæ existunt, hoc est, non exiles, aut graciles, sed crassæ & rotundæ, atque adeò firmæ atque stabiles; sic enim interpretari fas est illa verba, *sicut monilia*, talia videlicet sunt, vt forma sua tornata & rotunda, monilium circulis aptentur, & eorum orbes repleant. hoc enim pulchritudini ac robori simul obseruit, vt proinde de sponsæ fœminibus enunciare liceat illa verba, quæ in fortem fœminam iactauit Ecclesiasticus cap. 23. *Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris*, de quibus alibi diximus. Id verò propterea affirmant Sionitides fœminæ, quia vestis breuior nuptis solennis, (vt paulo antè dicebam) sponsæ suras, atque adeò earum iuncturas videre permittebat. Quam interpretationem accommodare etiam integrum est, illis verbis: *collum tuum sicut monilia*. collum, inquam, tuum non macrum & exile, sed succi plenum, quasi ad tornum rotundatum, monilium circulis adaptatur eorum quo orbis omnino complet.

Missas facio alias minoris momenti expositiones, ex quibus altera etiam concinit cum his quæ diximus suprà *cap. 1. vers. 10.* ad præmissa verba: *Collum tuum sicut monilia. Iunctura feminum tuorum, sicut monilia*, &c. hoc est, sicut monilia habentis; ita enim supplendum ibi notauimus. quasi dicat: Suffragines tuæ atque vertebræ sine aureis compedibus, aut circulis, perinde sunt elegantes, ac venustæ, ac si orbes aurei, compedésque multi aurificis arte pulchrè elaborati per ambitum succingerent.

Vel aliter: iuncturæ capi possunt, non pro vertebris, aut commissuris feminum, sed pro circulis quæ femina ambiunt. Nam Hebraica vox *chamuk*, *circulum* & *circuitum* sonat, à radice *chamak*. hoc est, *circuiuit*; euadet autem sententia eiusmodi, *Iunctura* feminum, id est, circuli, vel compedes aurei, qui suffragines ambiunt, similes manilibus, qui affabrè ab aurifice elaborantur, & collo, seu manuum carpis honestandis accommodentur.

Vers. 2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculis.

SONVS ALLEGORIÆ.

VMbilicus, Hebr. שרר *scherar*, pro vtero accipitur. *Tornatilis*, Hebr. סהר *sahar*, rotunditatem sonat, & lunam cùm orbem clausit. Hinc factum, vt quidam verterint: *Sicut vas lunæ plenæ*, aut *rotundæ*. Itaque tornatile idem est quod torno ad rotunditatem elaboratum. *Non indigens poculis*. Hebraicè ad verbum, *non egens mixtione*. Poculum ergo potionem significat; iuxta illud Maronis *lib. 2. Georg.*

Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Sed desidium de significatione huius hemistichij. Ex quorumdam sententia; *non indigens poculis*, perinde est, ac mero plenum, seu coronatum. Contrà, ex aliorum mente, idem est quod poculis vacuum, seu exinanitum, vel potiùs ineptum ad pocula suscipienda. Ita interpretantur quotquot vmbilici nomine, aliquod ornamenti genus supra vmbilicum pendens intellexerunt, & quidem non egere quis dicitur re aliqua, vel cùm eam iam obtinet, vel cùm ei non est accommodata, aut non est vsui.

Rabbi Abenezra asserit supplendam esse præpositionem hoc modo: *in vmbilico tuo sicut crater*, &c. & aliquid significari vult supra vmbilicum balteo assutum, quod speciem referret lunæ cùm plena est. Nam Isaias *cap. 3.* inter alia ornamenta mundi muliebris *lunulas* enumerat. Abenezram sequuntur recentiores aliqui; sed hi affirmant non adiiciendam esse præpositionem; sed quidquid illud sit, supra vmbilicum appensum, vel gemma pretiosa, vel auri lamina, vel patella, id nomine *vmbilici* censeri; vestes enim atque ornamenta, nomen sibi accersunt ex ea corporis parte, quam ornant: ea verò ratione, & sententiam verborum illustratam, & pudicitiæ satis consultum putant.

Alij verò perscrutantur internas vteri partes. Ex his Delrius, qui vmbilicum crateri similem esse dicit, cui numquam vinum desit, id est, non scabrum, vel situ squalantem, sed mundum, quasi vino mixto, foret ablutum. Legionensis, *Dicitur*, inquit, *venter similis crateri rotundo, ac vini pleno*; quoniam quod ad pulchritudinem attinet, hæc duo spectari in ventre solent, rotunditas, modicusque ac succi plenus tumor.

Sed quia pudor suadet ne vteri interiora perscrutemur curiosiùs, imò fœminæ Hierosolymitanæ (quæ hæc decantant,) quæ vteri esset interior species nosse non poterant, cumque externis ornamentis, hæc tribuere, accommodatum non sit, imò effugiunt quoddam vitandæ gratia difficultatis excogitatum. Existimo puellas de vtero ipso quatenus per vestes se spectandum præbebat, decorè admodum fuisse loquutas. Haud scio enim, an aptior, decentiorque similitudo elegantissimi vteri excogitari posset.

Craterem ergo poculis non indigentem, exinanitum, aut planè ineptum ad potionem recipiendam intelligo, vt suprà animaduerti. Obseruari autem debet in propinationibus eos, qui calices exhauriebant, sicuti hodie, sic olim de more habuisse, vt cùm primum deterserant eos, statim supra patellam deorsum conuerterent, vt vini quidquid infusum fuerat à se ebibitum testarentur. Ad id spectant illa verba *lib. 4. Regũ cap. 21.* vbi pro lectione vulgata: *& delebo Hierusalem, sicut deleri solent tabulæ, & delens vertam, & ducam sæpius stylum super faciem eam.* In originibus ad verbum sic habetur: *Abstergam Hierusalem, sicut abstergit quispiam calicem, & detersum vertit super faciem suam.* Nec alia est sententia Poëtarum Principis in Æneid lib. 9.

Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.

hoc est, exhaustos calices deorsum conuertunt. & Statius lib. 9. Theb. *calicem spumantem ore supino vertere*; id est, haustum calicem supra os versum deponere. Cùm igitur quod attinet ad elegantiam in fœminarum vtero (etiam vt exteriùs se spectandum offert,) laudari soleat modicus tumor aptissima similitudine, id expressit Salomon. Quid enim appositius ad eum tumorem adumbrandum, quàm calix, seu crater ad tornum rotundatus, vacuus & exinanitus, atque adeò super faciem conuersus, & quandiu ita est ineptus ad pocula excipienda.

Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.

Venter, Hebr. בטן *Beten*, *vterum* sonat, *ventriculum*, & quidquid medium in rebus per translationem. Legionensis existimauit hoc hemistichio non aliam describi corporis partem, sed eundem vterum nouo schemate & colore pingi. Ego verò adduci non possum, vt hoc credam, nullibi enim inueni in his Canticis eamdem rem in vna descriptione duplici similitudine adumbratam. Quapropter ventris nomine eam corporis partem accipio, quam fœminæ zona stricta præcingunt, vulgò *cinctura*, supra vterum, vt descriptio semper ascendat. Sicut etiam suprà *cap. 1. vers. 14.* obseruaui ad illa verba, *venter tuus eburneus*, &c.

Aceruus. Septuaginta θημωνιὰ propriissima manipulus, vel fascis, Hebr. ערמה *haramah*, *cumulum* sonat, nonnunquam etiam *fascem* & *manipulum*. Esdræ cap. 13. *Vidi in sabbato portantes aceruos*, id est, manipulos messis ex agris comportantes. Symmachus habet σωρὸς, quæ propria tumulum, aut sepulchrum adsignificat *Tritici*, Hebr. *triticorum*, id est, spicarum, vt placet quibusdam.

Vallatus liliis. Plerique hæc verba adiungunt *aceruo*, quasi aceruus liliis obsitus dicatur: pauciores ventri, quibus præit Rabbi Anonymus. Cum paucioribus sentio, & quoad fieri possit, loqui etiam cum pluribus conabor.

Legionensis, & ex hoc alij, tritici excussi aceruo granis vndique in orbem æquabiliter se se effundentibus, tumorem ventris pulchrè notari existimauit. Recentiores alij, vt solent, ad externa euocant ornamenta, & ventrem Sulamitis aceruo tritici messis, ideò collatum fuisse autumant, quòd in illo quasi in arca, spicarum fascis esset descriptus, aut frumenti excussi & puri cumulus. Nec aliter sentiunt de liliis, ea nimirum esse in nuptiali veste acupicta, vel opere phrygionico elaborata.

Sed tamen, me iudice, alia est huius loci sententia; nomine ergo *acerui tritici*, non granorum cumulum, sed fascem, seu manipulum spicarum accipio, vt nuper obseruaui; deinde animaduerto quod attinet ad elegantiam, commendari plurimum in fœminis formam colentibus se arctissimè præcingere, vt quoad possint, lumbos in angu-

stias

ſtias cogant; id verò appoſitiſſima ſimilitudine manipuli, aut faſcis arctè ligati aptiſſimè adumbratur. Quid enim magis ſimile perbreui & gracili formoſæ virginis cincturæ, quàm faſcis præcinctus, cuius media pars vinculo adſtricta cogitur in anguſtias; imò verò & ſuperior æquabiliter in orbem diffunditur ac dilatatur. Habes iam quid ſibi velint illa verba, *venter tuus ſicut aceruus tritici.* quæ comparatio cum natura Poëmatis bucolici aptè congruit: nam à ruſtica re accepta bellè admodum rei ſignificatæ accommodatur. Subiicio alia.

Vallatus lilÿs. Si hæc adiungantur ventri, itavt venter vallatus dicatur non aceruus, (quod verius puto) erit reſpectus ad zonam, ſeu faſciam, qua fœminæ præcingebantur, quam liliis floribuſque pingi ſolitam, colligere licet ex Homero, qui zonam deſcribens ita habet, verbum ex verbo.

Soluit de pectore zonam textilem
Picturatam.

& infrà,

Sinuique tuo ſuccingito zonam
Contextam variè.

Quænam verò eſſet iſthæc varietas, ſeu picturatio zonæ, coniectari licet ex Ioſepho, qui ſummi Sacerdotis zonam delineans, *Linea*, inquit, *ſtricta accingitur zona lata digitos quatuor intus inani, ita contexta, vt ſerpentis exuuium videri poſsit, floribus etiam picturatur puniceis, purpureis, hyacinthinis & byſsinis.* Hanc verò ſimilem fuiſſe zonæ, qua fœminæ præcingebantur, præter Hieronymum docent plures alij. Conſule Riberam noſtrum de veſte ſacerdotali, *lib.* 3. *cap.* 7. Quantum verò fœminæ olim zonarum venuſtate efferrentur, innuit Homerus, qui ſæpe καλιζώνους peculiari epitheto eas appellat, id eſt, *pulchras habentes zonas*, lib. 7. ilia. & 24. & bis in Hymno Apollinis, aliquando etiam εὐζώνους, id eſt, *bene præcinctas*. Ergo venter vallatus dicitur liliis, hoc eſt, zona præcinctus, diſſimilis florum varietate picturata. Nam, vt aliàs non ſemel dixi, liliorum nomine florum omnigena multitudo ſignificatur.

Quòd ſi non *venter*, ſed *aceruus* ipſe vallatus liliis intelligatur, tunc ex faſce, vel manipulo ſpicarum floribus incincto ducetur comparatio ad ventrem, florida zona præcinctum. Nec enim inſolens fuit apud veteres Hebræos manipulos ſpicarum floribus incingere & ornare. *Leuit.* 22. præcipitur Iſraëlitis ad præſcriptam diem, manipulos ſpicarum Sacerdoti deferre ſinguli ſingulos. Ex omnibus autem manipulis Sacerdos deligebat vnum, & libabat coram Domino. Deligebat autem eum, qui vberior ſpicarum laſciuia & ſpecie concinnior atque elegantior eſſet. Sed dum quiſque optabat ſuum Domino manipulum litari, ſpicas artificiosè concinnabat, pulchrè conflabat ariſtas, floribuſque ſpeciosè cingebat. hac de re pluribus agit Abulenſis in eum locum, qui hæc ab Hebræis hauſit, vt ipſe fatetur. Igitur ad hos manipulos artificiosè concinnatos reſpexit fortaſſe Salomon, dum ait: *Venter tuus ſicut manipulus tritici, vallatus lilÿs.* id eſt, lumbi tui florum zonâ arctè conſtricti, manipuli illigati arctiùs concinni, & floribus per ambitum ornati & coronati ſpeciem refert. eius, inquam, manipuli, qui Deo libari & offerri conſueuit in templo.

Verſ. 3. Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli, gemelli capreæ.

SONVS ALLEGORIÆ.

HÆc verba occurrunt ſuprà *cap.* 4. *verſ.* 5. de quibus ibi ſatis multa diximus, quæ in hunc locum transferri debent. Hîc autem deſiderabis illa verba, *qui paſcuntur in liliÿs*, quæ ideò à fœminis in hac ſponſæ deſcriptione prætermiſſa ſunt, quia in ſuperiori verſu liliorum mentio præceſſerat, quæ in hac zona ſponſalitia, vel faſcia, pectorale depicta erant. Supra quam duo vbera extantia & prominentia imitantur quidem, vel capitula gemellorum ex liliis & inter lilia ſeſe prodentem, vel tumore ſuo eorumdem hinnulorum ventriculos plenos ac ſaturos referunt, tunc cum lacte ſimul, & aliquali etiam molliorum herbarum paſtu vtuntur. Aut denique ipſa capreæ vbera lacte diſtenta adumbrant. Capreæ, inquam, adeò lacte excuberantis, vt duos gemellos alere poſſit, has enim omnes interpretationes ibi dedimus.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Vers. 4. Collum tuum sicut turris eburnea.

SONVS ALLEGORIÆ.

DE ista colli descriptione & comparatione cum turre Dauid, multis egimus *cap.* 4. *vers.* 4. quæ in hunc locum transferri debent.

Quòd si aliquis contendat in his verbis nouam latere similitudinem, subiiciam suspicionem quandam, nescio an solidum aliorum sit iudicium, & quidem obseruandum pro turri in fonte esse מגדל *migdal.* suprà verò *cap.* 5. vbi nos habemus, *sicut areola aromatum*, aliàs *phialæ aromatum consitæ à pigmentarijs*, in originibus מגדלות *migdaloth.* quam vocem multi Hebraicè periti, *turriculas pigmentariorum interpretantur.* scilicet pyxides eburneas ad vnguenta condenda. Ad eundem sensum trahunt aliqui illa Psalmi verba, *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*, &c. vbi domus eburneas thecas, seu pyxides vnguentarias accipiunt, Hispanè *botes.* Inter quas aliquæ inueniuntur grandiores, rotundæ & crassæ, quæ colli elegantis similitudinem exhibent. Ergo iuxta hanc coniecturam sic habeto: *collum tuum sicut turris eburnea.* id est, collum tuum candidum & rotundum turriculam eburneam imitatur, candore, nitore, læuore atque celsitudine, ex his, in quibus vnguenta aceruantur. & sanè *eburneum*, creberrimum est colli, aut ceruicis appositum. Naso 3. *Metam.*

Impubesque genas & eburnea colla.

& alibi,

—— *eburnea ceruix.*

Sed tamen comparationem istam ab eadem turri Dauid ductam, vero similius puto, quæ cùm pario & candido marmore, artificiosè fabricata esset, *eburnea* dicitur, ob candorem, cui adsimile est illud nuper citatum: *à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum*, &c. Sed quæres cur Salomon abstinuit hîc ab illis verbis, *mille clypei pendent ex ea*, &c. Cur etiam in hoc loco candorem expressit, ibi autem suppressit. Subiicio meam coniecturam: sponsus quidem in illis verbis, *collum tuum sicut turris Dauid*, &c. alloquutus est sponsam flammeo nuptiali tectam; hoc autem ad mamillas vsque pendebat, vt suprà *cap.* 4. *vers.* 1. & in Isagoge *cap.* 3. §. 6. diximus, atque adeò, collum ac ceruicem leuiter operiebat. Addo etiam id, quod nuper *vers.* 2. adnotauimus, sponsam deposita veste talari aliam breuiorem nuptis solennem iam nunc accepisse. Atqui dictam vestem talarem, quam hactenus gestauerat Sulamitis, scutulatam fuisse, hoc est, aureis scutulis, seu vmbellis euariatam, constat etiam ex his, quæ diximus *loco citato*, ad præmissa verba, *Mille clypei pendent ex ea*, &c. Ergo cum Solymitanæ mulieres sponsam describant flammeo spoliatam, colli, ac ceruicis, non formam solùm turris similitudine, sed etiam colorem eboris comparatione exponunt, hîc enim priùs sub velo delituerant. Itaque sic aiunt: *Turris eburnea collum tuum*, id est, collum ac ceruix tua rotunda & erecta, atque candore eximio prædita, turrim imitatur editam, albamque, pario scilicet marmore constructam; nam ebur in hoc loco, sicut etiam alibi, ad colorem refertur: & quia Sulamites tunicam scutulatam iam deposuerat, vt nuper dicebam, abstinent fœminæ ab illis verbis: *Mille clypei pendent ex ea*, &c. Addit Salomon:

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Piscinæ. D. Ambrosius vertit *stagna*, eodem sensu: *in Hesebon*, cùm constet, ex *lib.* 2. *Esdræ cap.* 3. iuxta portas Hierusalem piscinas fuisse multas, quidam, *Hesebon* cum Iebus confundere ausi sunt. hoc enim nomine olim Hierosolymæ censebantur. His autem placet cum probatica piscina & alia simili, quæ Hierosolymis erat, hanc comparationem initam fuisse; sed tamen valde coacta sunt. Quid enim commune Iebus, cum Hesebon? aut quis credat nomine Hesebon Hierosolymam compellatam fuisse? Ergo longè meliùs dici potest, eo nomine aliquam Solymitanæ vrbis portam nuncupatam fuisse, per quam ad vrbem Hesebon exitus esset; nam ferè portæ ciuitatem ab ea vrbe, ad quam spectãt, nomen accipere consueuerunt, exemplo sit maritimum, vbi porta quæ respicit Toletum, vulgò dicitur, *la puerta de Toledo*, & quæ ad Complutum vergit, appellatur, *la puerta de Alcala*, & quæ Segouiam versùs sita est, vocatur, *la puerta de Segouia.* quod aliis ciuitatibus maximè solenne est. Sed tamen probabiliùs existi-

mo,

mo, Heſebon oppidum fuiſſe in confinio ſitam duarum tribuum Gad, & Ruben: Seon Regis Amorrhæorum quondam metropolim, vbi plurimas fuiſſe aquæ ſcaturigines, ex deſcriptionibus Terræ ſanctæ (ſi veræ ſunt) conſtat ſatis, apud quas videre licet fluuium ſatis amplum, collectis vndique aquis ex hac vrbe proficiſci, & tandem in Iordanem illabi.

Quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Hebr. *Beth Rabath.* Delrij coniectura valde mihi probatur, qui de porta Heſebonis, quæ dicta fuerit porta Rabath, interpretatur, eo quòd ab illa exitus eſſet in Rabath, Moab, quæ vrbs deinde Philadelphia, vel Arcopolis, ſuccedentibus ſeculis appellari cœpit. Nec diſplicet Legionenſis ſuſpicio, qui affirmat, *filiam multitudinis*, hîc dici forum aliquod frequentia multitudinis celebre; nam ferè eiuſmodi fora rerum venalium prope portas vrbium ſita erant, vbi iudicia publica adminiſtrabantur: hinc eſt, vt porta perſæpe pro iudicio, vel conſeſſu Iudicum in ſacris libris accipi ſoleat. fruſtrà enumerabo exempla in re perſpicua.

Ergo fœminæ Hieroſolymitanæ ſponſæ oculos præcipua laude proſequentes, ſic aiunt: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon*, elegans oculorum cum ſtagnis, vel piſcinis collatio. Imò ſtagna atque paludes *terræ oculos* pulcherrimos appellauit Ariſtoteles. Nota eſt etiam paronomaſia oculorum, ac fontium, & vtriſque communis vna vox apud Hebræos, nam *Henaïm* oculos, vel fontes, ſine diſcrimine, ſignificat, vt ſuprà *cap.* 5. *verſ.* 12. notaui. Conferuntur autem oculi ſtagnis, vel in porta, quæ ſpectat ad Rabath, vel in foro multitudinis frequentia celebri; non tantùm quia ſtagnantes aquæ puræ, candidæ, ac ſpeculares oculorum puritatem ac ſplendorem repræſentant, ſed etiam, quia oculi quædam ſunt portæ, per quas multitudo obiectarum rerum in animum penetrat, & à quibus eſt animi etiam exitus in res ipſas.

Rurſus, oculos elegantes iuxta fontem amplam & exporrectam deſcripſit Salomon; accommodotiſſimam quippe ſimilitudinem oculorum, iuxta peramplam patulamque frontem exhibent duæ piſcinæ iuxta forum, aut plateam, longè & latè patentem ſitæ. Frons enim ampla & exporrecta pulchritudinis magnam partem continet. Nam cùm oculi prægrandes plurimum commendentur in fœminis (vnde Iunonem βοώπιδα, id eſt, bouinis magnis, ſcilicet præditam oculis appellauit Homerus.) Certè non eſſet decori hæc magnitudo oculorum, niſi frons patula & ampla oculis adhæreret. Quapropter eandem Iunonem *latifrontem*, nominat idem Poëta. Adde etiam quòd aliqui frontem quaſi forontem à foro dictam volunt. id eſt, fori, aut plateæ ad inſtar latam.

Illud denique obſeruatione dignum puto, ſcilicet de oculis ſponſæ, aliàs non ſemel dictum in hoc Cantico. Nam *cap.* 1. *verſ.* 15. cùm alterum tantùm oculum liberum oſtendiſſet ſponſo ex vno alium, qui pallio craſſiori tectus erat, coniiciens, ſic de vtroque pronunciauit: *Oculi tui columbarum.* Deinde verò *cap.* 4. cùm eoſdem oculos flammeo tenui tectos videndos obtuliſſet ſponſo, eodem ille ſchemate vſus eſt. *Oculi tui ſicut columbæ*; at verò in hoc capite Solymitanæ mulieres, cùm eiuſdem ſponſæ, oculos omnino liberos & apertos flammeo depoſito vidiſſent, eorum candorem ac nitorem admirantes, fontibus ac ſtagnis clariſſimis ac nitidiſſimis, ſimiles eſſe affirmarunt; *ſicut piſcinæ in Heſebon*, quæ ſcilicet perennibus, atque adeò limpidiſſimis, ac candidiſſimis aquis redundabant.

Rabbi addit Thalmudico vſu nomen ברכה *barcha*, aut *barna*, quod hîc ſubeſt pro *piſcina*, ſignificare columbum nouum adhuc in nido manentem, aut nuper ex nido exeuntem, atque adeò ſic efferendum: *ſicut columbi in Heſebon.* Volunt enim Thalmudiſtæ comparationem iſtam non diſſidere à ſuperioribus, ſed peculiarem energiam habere, quatenus ſponſæ oculi tunc primum in lucem dati, cum oculis columbi noui in apertum aërem nuper euolantes conferri dicunt; ſed certè audiendi non ſunt, & vulgata lectio omnino præferenda eſt.

Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Naſus tuus, &c. Rabbi Salomon: *Vultus tuus ſicut turris Libani*, ac de tota facie ac fronte hæc verba accipi debere affirmat; quam propterea turri comparat, quia aduersùs omnium frontes, valida & robuſta eſt. iuxta illud Hieremiæ: *Ponam frontem tuam valentiorem frontibus eorum.* Sed tamen cùm ſermo ſit de pulchritudine ſingulorum membrorum, quibus ſponſa conſtat verba iſta ad totius faciei ac frontis venuſtatem

ſignifi

significandam, non ineptè referri possunt, vt paulò pòst dicam.

Sicut turris Libani. Plures de turri, aut arce, quam Salomon extruxerat in saltu Libani propè Hierosolymam, interpretantur. Alij volunt turrim aliquam notari, quæ eo tempore in ipso monte Libano exædificata fuit, vnde prospectus erat in Damascum, vel militare castrum contra Damascenos. Ego verò libentiùs in eorum sententiam discedo, qui turrim Libani ipsam arcem Sion, hîc accipiendam putant. Nam, vt suprà *cap. 4. vers.* 8. animaduerti ad illa verba, *Veni de Libano*, mons Sion vbi templum & arx Dauid erant ædificata, *Libanus* dici consueuit in Scripturis sacris. Sed quia istius arcis structura militaris fuit, nempe castrum quoddam muris, ac turribus munitum, *Nasus sponsæ* cum ea turri confertur, quæ Damascum respiciebat, de qua in Misdra sic habes: *Ex cuius fastigio spectator numerare potest quot domus sint Damasci.* Vel (quod verius est) vnde excubitor, seu speculator, venientes hostes eminus intuebatur, ne periculum aliquod ex inimica vrbe Damasco eueniret Hierusalem.

Ergo Legionensis huius similitudinis vim, vt assolet, vestigans, non quidem ad formam naris, sed ad maiestatem vultus retulit. Itaque vult nasi vocabulo, seuerum quid atque excelsum, quod in sponsæ vultu elucebat, significari, quod subiecta turris similitudo ita declarat. Nam sicut illa in Iudææ finibus sita Damascenos Iudæis infectos arcebat; ita celsitudo illa animi in ore elucens sponsam à petulantia hominum reddebat tutam.

Noster Sanctius sponsæ nasum, qui pendentibus coronæ nuptialis foliis ac floribus vndique cinctus erat, conferre voluit cum turri in Libano inter cedros, aliasque arbores amœniores sitæ, nec absurdum putat, turris nomine ornamentum, aut monile veteri ritu ex naso pendens interpretari. Non assentior: existimo enim de forma ac venustate nasi hæc verba concipi debere, atque adeò comparationem istam sic conformandam esse. Turris certè in hoc loco appellatur, non tota munitio, vel castrum Sion; sed munimentum turritum ex reliqua eiusdem arcis mole productum, in quod murorum anguli desinebant; hæc enim propria militarium castrorum structura esse consueuit; eiusmodi autem turres, ob similitudinem Græcè μυκτὴρ appellantur, quia videlicet non aliter ex muris prominent, quàm nasus ex facie, & non modò ad muniendas arces contra hostes, sed ad speculationem etiam deseruiunt.

Mihi ergo persuasum est, quòd sicut præmissa oculorum similitudine frontem oculis adiunxit Salomon, vt iam explicui; ita nunc cum naso pariter oculos copulauit, hunc ad modum: *Nasus tuus sicut turris Libani*, illa videlicet ex angulo castri producta, id est, non aliter ex facie tua prominet elegans, æquabilis, non verrucosus, simus, aut obtortus nasus, quàm ex castro, vel arce Libani prostat turris recta, atque decora, *quæ respicit contra Damascum*, in qua scilicet speculatores excubitoréque sunt ad Damasci insidias explorandas. quasi dicat: similis est turri excelsæ nasus tuus, cuius latera, vigiles oculi, ex vtraque parte tenent ad omnia speculanda comparati; sicut excubitores latera turris celsissimæ occupant, vt irrupentes hostes inde cernant. Displicet autem omnino, quod alij iactant, scilicet hac similitudine vim olfaciendi in sponsa notari, quod non secus distantes res odore perciperet, quàm excubitor aliquis è turri altissima despiciens longinqua speculatur, num similitudo hæc parcè accommodata videtur. Si tamen de hac olfaciendi vi ac facultate aliquid hîc miscere libet, sic certè comminisci fas est, vt nimirum similitudine ista turris ex aliquo arcis angulo prominentis seruata, quæ ad nasum significandum accommodatior videtur. Locum istum cum speciali lepore de ea turri, seu arce regia, quam Salomon ædificauit in saltu Libani non longè à Hierusalem, exponi posse, quia turris ista, vt aliàs diximus, & ex hoc libro perspicuè constat, habebat confines, ac vicinos hortos aromatibus consitos, atque suauissimos odores efflantes, ac proinde hæc comparatio cum turri, seu munimento, à reliqua mole prædictæ arcis extante, cum turri, inquam, in Damascum vergente, atque adeò in hortos suauissimè olentes despiciente aptissima est, ad significandum nasum sponsæ suauissimos odores semper haurientem, siue ex vestibus nuptialibus; iuxta illud: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis*, siue ex aliis suffimentis & odoramentis, quibus excipi solebant nouæ nuptæ.

Vers. 5. Caput tuum vt Carmelus.

SONVS ALLEGORIÆ.

CAput tuum, &c. Septuaginta: *Caput tuum super te*, qui planè concinunt cum lectione originali, quæ sic reddi debet: *Caput tuum super te*; id est, suprema pars capitis tui; nam cùm caput contineat oculos, nasum, frontem, &c. hîc supremum capitis fastigium, cranium videlicet, ac verticem describit Salomon, *sicut Carmelus*, Pagninus, *sicut coccinum* conuertit. Vtrumque enim sonat vox כרמל *charmel*, montem videlicet excelsum, amœnitate vinearum & arborum copia nobilem, & Prophetarum domiciliis celebrem, nec non colorem coccineum, aut punicium. Vnde videtur fluxisse vocabulum mixtambicum *Carmesi*. Hausit suam interpretationem Pagninus & Abenezra, qui caput coccineum appellari vult propter capillos rufos ac flauos. Sed non assentior, quia de colore comarum paulo pòst dicit.

Præstat vulgatam lectionem amplecti, quæ Carmelum expressit, qui mons inter reliquos, qui Iudæam obsident, non altior solùm, sed amœnior existit, & sanè missam facio interpretationem multorum, qui hæc verba ad proceram Sulamitis staturam referunt, quæ scilicet non secus supra alias fœminas Hierosolymitanas caput efferret, quàm mons Carmelus supra reliquos Iudææ montes verticem extollit. Prætereo etiam illorum expositionem, qui de serto, aut corona nuptiali, præmissa verba intelligunt, quia nimirum caput foliis & floribus redimitum, summum Carmeli verticem floribus atque arboribus amœnum vinceret.

Sed quid dico, Carmelus mons non glaber, nudus & viduatus plantis, graminibus & herbis, vt alij, sed herbis vber, graminibus lasciuiens, plantis luxurians, floribus vernans; fœminæ igitur sic aiunt: Caput tuum sicut Carmelus, id est, non glaber, aut depilis, sed tanta comarum densitate spissum, quanta mons ille arborum graminumque spissitudine densus erat. Nam à comis ad humum monteſque ducitur apta similitudo. Statius lib. 5. Theba. *comantem humum* dixit, id est, herbosam. & Valer. *lib.* 3. *Argonaut.* Iugum syluæ comans, cecinit, id est, montis verticem plantis graminibus luxurians.

Horatius etiam lib. 1. Ode 21. *nemorum comas* dixit, & alia sexcenta. Ita vicissim ab humo, graminibus, herbis, arboribusque ad comas similitudine decenter auertuntur. sic Ouidius *lib.* 13. *Metamorph.* ad significandam densam atque promissam fœminæ cæsariem elegantissimè cecinit,

——*Coma plurima toruos*
Prominet in vultus, humeroſque vt lucus obumbrat.

Et alibi meretricis capillitium spissum, depexum & comptum *comarum syluam* appellauit. Cùm igitur caput comarum promissarum lasciuia densum esse dicti montis Carmeli symbolo declarasset, quod fœminas mirum in modum honestat crinium colore ac forma, subdit ad hunc modum:

Et comæ tuæ sicut purpura Regis vincta canalibus.

Septuaginta longè aliter, *plexus capitis tui sicut purpura Rex ligatus in transcursibus.*

Comæ. Hebr. דלת *Dalath* in regimine singularis, id est, comascius, & ita habetur in vulgatis aliquot codicibus, à radice *dalal*, id est, *eleuauit*. Itaque comam non fluentem & solutam, sed eleuatam significat. vim vocis expressêrunt Septuaginta πλόκιον, id est, *plexus*, seu *plicaturæ*; fœminæ enim cùm colligunt capillos, & in verticem arrigunt, in varios plexus torquere & sinuare solent. In memoriam adducenda sunt quæ dixi *cap.* 4. *vers.* 2. *&* 9. vbi pluribus docui, crines vitta colligere, & in verticem attollere, nuptarum fuisse proprium, itavt *vittas accipere*, vel *crines capere*, & plicare, sermone vulgari idem esset quod nubere. Vide quæ ibi dixi. In plerisque codicibus legitur, *coma tua*, de singulari, eodemsensu.

Sicut purpura, Hebr. ארגמן *argaman*, dibapham sonat, bis tinctam, cocco priùs, deinde murice, colore ferrugineo, inter flauum & nigrum medio, à quo laus erat olim maxima purpuræ & capillis fœminarum. Huc spectat illud Nasonis *lib.* 1. *Amorum*, *eleg.* 14. fœminæ cuiusdam comas laudantis,

Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis,
Sed quamuis neuter mixtus vterque color.

Qualem

Qualem cliuosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua direpto cortice Cedrus habet.

De purpureo capillorum colore, multa dixi suprà *cap.* 4. quæ huic loco omnia inseruiunt. lege imbi. Non ergo illi audiendi, qui ex hoc loco colligunt sponsæ cæsariem flauam & auream penitus fuisse.

Vincta, ita habet correctus codex. Prisci aliquot, *iuncta*, aliqui *tincta*, mendo apertissimo. Duæ priores lectiones eodem recidunt, & cum originali textu conueniunt. Tertia ab illo abhorret. Potest autem hoc adiectiuum, cum *comis*, & cum *purpura* copulari; anceps enim est, conabor tamen vtrique aptare.

Canalibus. Hebr. רהטים *rehatim*. significationes huius nominis duæ nominantur præcipuæ; aut enim *laquearia* sonat, *cap.* 2. *Cantic. vers.* 18. aut *canales* significat, per quos aquæ deriuantur, *Genes.* 30. *vers.* 38. alij hunc sensum augent, & tertiam enumerant significationem, videlicet ambulacra, aut syxta: vulgò *Corredores*, *Balliones*. & ita exponunt: Rex ligatus in syxtis, vel deambulacris; id est, præ nimio amore affixus domui, sponsæ illius spectandæ desiderio ardens. Atqui vox illa *rehatim*, à radice *rahat*, id est, cucurrit; eapropter Septuaginta vim nominis expressérunt, ἀνα-δρομαῖς, id est, *in transcursibus*.

His prælibatis, Legionensis, & ex ipso Delrius ita interpretantur, *comæ tuæ sicut purpura Regis*, id est, similis est coma tua colligationi filorum, vel sericorum, vel lanionum, quæ destinantur paludamento regio texendo, aut ipsi purpuræ iam textæ & splendidioris conchylij sanguine recèns fucatæ, *vincta canalibus*. Eadem, inquiunt, quippe purpura postquam imbuta erat, ne quid sordidum illi adhæresceret, à qua viua perluebatur canalibus illigata; atque adeò vndarum fluctibus crispata gratior apparebat, & comarum humoris inuolitantium, seu vndulantium speciem exhibebat. Plures cum ipsa veste purpurea, qua Reges vtebantur, comparationem initam putant; vel quia crines vittis aureis adstricti imitabantur regiam purpuram aureis fusceis virgatam, iuxta illud Virgil. de Thyria lena,

—— *tenuiq; telas discreuerat auro.*

Vel, quia ipsi crines in plicas conglomerati, similes videbantur purpuræ regiæ, non strictæ, sed laxæ, quæ plicaturas, aut strias canalibus non dissimiles habebat. Sed tamen vereor ne omnes istæ comparationes aliqualem violentiam inferant textui, & ideo mihi non admodum placent.

Quapropter alias huius perquam difficiles loci interpretationes subiiciam, quas mea mihi offert coniectura. Prima sic habet, *coma tua sicut purpura Regis*. Ita lego de singulari, vt est in fonte, & pluribus Latinis codicibus: *coma*, inquam, *tua, sicut purpura Regis*, quam non colore tantùm subrufo & subflauo imitatur, sed ipsa etiam forma, atque figura refert; cùm enim purpuram Regis audis, non fila ad textrinam composita, non chlamydem aliquam textam intelligas, sed regalem tiaram, aut cidarim. Nam Reges apud Hebræos, sicut etiam apud Persas tiara recta vsos fuisse, suadent aliqua loca Scripturæ. Isaiæ 62. *Et eris corona decoris in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*; alij ex fonte conuertunt: & sicut tiara, aut cidaris regni in manu Dei tui. Iob 29. *Vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo.* quæ sunt regia insignia in fonte, *& sicut tiara*, Hebraica vox est צניף *tsaniph*, quæ reperitur etiam Zachariæ 3. *& posuerunt cidarim nudam super caput eius*; sacerdotalis autem cidaris tiaræ speciem referebat. imò tiara quædam erat, vt omnes interpretes testantur, pileolus videlicet erectus in acutum desinens: à qua non desidebat forma regalis cidaris, quod testatur nominis communio, quia non tantùm vox *tsaniph* vtramque, regiam scilicet, atque sacerdotalem coronam sonat, sed etiam נזר *nezer* anceps est ad vtramque notandam, nisi quòd sacerdotalis erat candida, linea, aut byssina; Regum verò tiara purpurea. Ouid. 11. *Metam.* de tiara Midæ Regis sic lusit,

Tempora purpureis tentat velare tiaris.

& Iuuenalis *Satyra* 6.

—— *Phrygia vestitur bucca tiara.*

Nec temerè suprà dixi, Reges tiaram rectam gestare; nam cùm aliis tiaram gestare liceret, soli Regi rectam sursum elatam apice, seu tono in sublime erecto, gestandi ius erat. Reliquorum verò deorsum vergebat apex, & in frontem, vel in terga deducebatur. Lege multa super hac re apud Barnab. Brisson. de regno Persico *lib.* 1. circa medium.

Circa

Circa formam, seu figuram tiaræ subest obseruatio eiusdem auctoris erudita, qui ex quibusdam verbis Xenophontis in Cyrop. *lib.* 5. capillorum suggestui, aut plicaturæ in acutum desinenti tiaram fuisse similem elicit. Xenoph. enim rectam tiaram *crobyli* speciem referre dixit. Quid verò sit κρωβύλος exponens Suidas sic ait: κρωβύλον ἐστὶ τὸ πλέγμα, τῆς χόμης εἰς ὀξύληκον. quæ verba libasse videtur ex Aristophanis Scholiaste, qui *Crobylon*, inquit, *est plicatura capillorum, desinens in acutum*. Item *Isaiæ* 3. in illis verbis: *& vittas & theristra*, quæ se ablaturum filiis Sion minatur Deus, pro *vittis*, Hebr. צניפות *tsaniphoth*, id est, tiaras. Atqui Ionas Hebræus fœminarum crines intelligit in tiaræ formam conflatos & erectos, subdit enim statim Propheta: *& erit pro suaui odore fœtor, & pro crispanti crine caluitium.*

Cùm ergo constet regiam tiaram fuisse purpuream, atque huic tiaræ similem fuisse comam fœminarum erectam, & sursum elatam, iam se prodit sententia illorum verborum, *coma tua sicut purpura Regis*, id est, ad instar obtinet tiaræ regiæ purpura infectæ, quam non tantùm colore subflaueo, sed figura etiam elata & apiculata venustè refert. quasi dicat, verba sunt fœminarum ad Sulamitem, iam inde postquam nupsisti, atque adeò comam antea fluentem leuasti in caput, & discriminare cæsariem cœpisti, plexus, seu suggestus capillorum tuorum imitatur regiam tiaram. Et sanè *purpura Regis* absolutè dicta, propriè significat tiaram; nam cùm diuersarum gentium Reges diuerso colore imbutas vestes gestarent, tamen tiaram purpuream omnes gerebant, vtpote regni solum & proprium insigne, vt eruditè obseruat Petrus Gregorius *lib. de rep. cap.* 20.

Quòd si contendas Reges Israël non tiara, sed diademate vsos fuisse atque adeò præfatæ vocis *tsaniph*, quæ ducitur à radice צנף *tsanaph*, id est, *circundedit*, non tiaram subiici, sed diadema, quæ fasciæ similis erat; nam diadema erat sinuosè implicata fascia, qua Reges caput redimebant, atque præcipua, imò sola regni nota apud omnes nationes. Hanc verò alij albam, Persici verò Reges purpuram infectam gestabant, & cum recta tiara coniungebantur; ait enim Xenophon lib. 8. Pæd. *gerebat Darius diadema circum tiaram.* Hebræos item Reges purpuram in diademate adhibuisse non dubito; nam ab his ad Persas, & à Persis ad hos plerumque mores studiaque manabant. Hæc omnia latissimè persequitur citatus Brissonius in libello illo aureo de regno Persico; tunc verò à diademate haud inepta ducitur comparatio ad fœminæ cæsariem implexus tortam vittisque reuinctam & illigatam; nam diadematis & fœmineæ vittæ similitudinem maximam fuisse colligo ex communitate nominis. Vtrumque enim Hebr. *tsaniph* appellatur. Nam, vt iam dixi, vbi noster habet *vittas & theristra* Isai. *cap.* 3. in originibus est *tsaniphoth*. Erant autem vittæ istæ, seu teniæ plerumque purpura imbutæ. Hinc Statius,

Lætæ purpureas nouate vittas.

Silius Italicus,

—— *Cui vitta ligabat*
Purpurea effusos per colla nitentia crines.

Virgilius,

Puniceis ibant euincti tempora tenis,

Adde etiam vittis mitras, quæ *Isaiæ* 3. censentur inter ornamenta fœminea, & erat genus teniæ, seu fasciæ, quo fœminæ caput obligabant. Sic Hieronymus in præmissum caput Isaiæ, & apertè colligitur ex Euripide,

Μίτραις αἰ ἀδίπτοις ῥυθμίριθαι πλόκαμον.

id est, *mitris illigatis capillum concinnari.* Plin. lib. 35. cap. 6. *Capita mulierum mitris versicoloribus operuit.* Iuuenalis, *pictam mitram dixit*, Satyr. 3. Catullus *purpuream*, lib. 3. Eleg. 12. Ergo sententia illorum verborum: *comæ tuæ*, vel, vt habent Septuag. *plexus comarum tuarum sicut purpura Regis*, sic exprimi potest: capilli tui vittis, seu tæniis purpuratis vincti imitari videntur diadema purpura fucatum, qua Reges caput redimunt, & fœminæ nuptæ crines quoque suos vinciunt. Sed quomodo hæc cum sequentibus concinunt? iam dico:

Vincta canalibus. Verba sanè difficilia, sed vt maiorem lucem capiant, notandum est, fœminas capillorum plexus auro aut implicare, aut colligere solitas. 1. Petr. 3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri.* Virgil. 4. *Æneid.*

—— *Crines nodantur in aurum.*

Et *lib.* 10.

Et crines molli subnectit circulus auro.

& alia passim; hi verò circuli, & calamistri, quibus capilli nodabantur & nectebantur, erant velut tubuli quidam, qui Græcè, (vt auctor est Eustathius,) cui hæret etiam Hesichius, σύριγγες, hoc est, *fistulæ*, aut σωληνίσκοι, id est, *canaliculi* appellabantur, quòd fistulas, seu canales adumbrarent. Ad id spectat fortasse illud Nasonis *Metam.* 5.

—— *ornabant aurata monilia collum,*
Et madidos myrrha curuum crinale capillos.

videlicet ex auro curuato, vel arcuato contextum.

Hoc posito, adiectiuum illud *vincta*, iunge cum coma, non autem cum purpura, & vide quàm facilis & perspicua euadat sententia: *vincta canalibus*, id est, fistulis, seu canaliculis aureis innodata. Quid apertius?

Quòd si illud, *vincta canalibus*, purpuræ adiungas, animaduertas etiam oportet Reges Hebræorum diademata, illas nimirum fascias sinuatas auro etiam & gemmis intexuisse. Coniicio hoc ex *lib* 1. *Paralip. cap.* 20. vbi hæc habet textus sacer, *Tulit autem Dauid coronã Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talẽtum, & pretiosissimas gemmas, fecitq; sibi inde diadema.* Vbi, meo iudicio, non corona ex auro solido conflata, & radiis instructa, qualem postea Reges vsurpare cœperunt, accipi debent. Nam tempore Regis Dauid nondum in vsu erat, quin potiùs vsus diadematis, hoc est, fasciæ illius, qua redimebatur Regis frons, etiam tempestate Alexandri, & posterioribus deinde sæculis vigebat. Ergo propterea Dauid ex auro Melchom diadema sibi compegisse dicitur, quia videlicet fasciæ illi purpureæ aureos circulos, gemmasque intexuerat; quod olim à Regibus factitatum testis locuples est Antonius Augustinus, vir eruditus æuo nostro, *Dialog.* 6. & nomenclator Iunius ad vocem *Diadema*. Item tiaras purpureas, quas suprà descripsimus, auro etiam incingi & interseri solitas non dubito; sic enim Philostratus *lib.* 3. *Iconum*, in Orphei pictura. *Tiaram auro fulgentem in capite rectam gestans.* Rursus *in statuis. Eum*, inquit, *decorabat tiara Persica, auro intertexta.* circuli ergo aurei, quibus tiara, vel diadema purpureum implicabatur, non secus fistularum, aut canalium nomine censeri potuerunt, quàm hi, qui capillorum plexus innodabant. Itaque purpura *vincta canalibus*, diadema erit, vel tiara aureis fistulis illigata, & innexa, cui comæ sponsæ aureis crinalibus implicatæ similes fuisse dicuntur.

Quod si ita distinguas, legasque, sicut Septuaginta: *plexus capitis tui sicut purpura, Rex ligatus in* διαδρόμοις, id est, in *transcursibus*, non erit absurdum dicere eo nomine Græco capillos notari non fluentes, & vndulatim crispatos, vt quidam volunt, ducta similitudine ab aqua decurrenti, sed in plexus compositos, & in verticem leuatos, quia διάδρομος, vt author est Pollux, *circulum illum significat, quem imi cincinni describunt in capite.* Atque adeò παράδρομος, id est, *transcursus*, transuersos sinuatosque capillorum plexus significare possunt, qui laquearia tectorum pulchrè, artificiosè, transuersim constratis trabibus illigata, quodammodo imitantur. A quibus per similitudinem traduci potuit vox illa *rehatin*, quæ laquearia propriè sonat, ad capillorum plicaturas significandas. Rursus, *Rex ligatus in canalibus* dicetur, iuxta lectionem Septuaginta, id est, sponsus capillorum illis plexibus quasi vinculis adstrictus, sicut suprà eisdem vulneratus dicitur. Hæc ita dixerim, quamuis non dubitem obliquis vndarum fluentium decursibus capillorum etiam obliquos nodos notari potuisse, ad eum modum, quo Martialis *lib.* 5. *Epig.* 38. in puellam lusit,

Quæ crine vincit
Batici gregi, vellus,
Rhenique nodos.

Pergo ad alia.

Vers. 6. Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in delitiis?

SONVS ALLEGORIÆ.

HEbr. ad verbum: *Quantopere pulchruisti, & quantopere dulcuisti amor in delitijs.* Aquila, *Amor filia delitiarum.* Abstracta pro concretis passim accipi, nemo ignorat, *decora scilicet, ac dulcis.*

Quidam tribuunt hæc verba sponso, alij fœminis Hierosolymitanis tradi volunt, vt aliàs dixi: hæc enim sponsæ descriptio tota ad illas spectat; sed quid significant hîc

delitiæ?

delitiæ? Sunt qui veſtes molles ac delicatas accipi volunt, atque adeò Sulamitem ex eo commendari, quia naturali ipſius venuſtate, pulchræ ac delicatæ veſtes decoris plurimum adiicerent; hoc ſenſu, *Quantopere pulchruiſti; ô chariſſima, in delitÿs!* id eſt, ô quantum decoris tibi accedit ex cultu delicatiſſimarum veſtium.

Ego tamen non ad veſtes, ſed ad ciborum & vnguentorum delitias refero; nam, vt ſuprà obſeruaui *cap. 1. verſ. 1.* puellis in gynæceo agentibus, quandiu formam ad regias nuptias excolebant, cibi delicati, & vnguenta pretioſa ad cutem curandam miniſtrari ſolebant. *Ezech. 16.* ſic Deus ad puellam nubilem, quam in figura Hieruſalem ſibi connubio copulare volebat. *Similam, mel & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis.* Eſther 2. vbi noſtra lectio habet, *& præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas*, (cupiebat nimirum Aſſuerus Eſther maturiùs ad nuptias expediri.) In fonte eſt, *vt traderet cibos ſuos*, hoc eſt, delicatos, hi enim magni momenti erant ad pulchritudinis breuiorem culturam. Adde cibis vnguenta, quibus vtebantur puellæ in gynæceis, de quibus multa contulimus in eum locum, tam ex ſacris, quàm ex prophanis litteris.

Fœminæ igitur Solymitanæ, quæ Sulamitem olim nouerant, antequam vel ad gynæceum, vel ad nuptias veniret, tunc cùm ruſticam vitam agebat, atque nigra, ſeu decolor erat, eam pulchritudinem admirantes, quam in triclinio per annum degens, ſibi aſciuerat, cibis delicatis ac pretioſis vnguentis vtens, ſic exclamarunt: *Quàm pulchra es chariſſima in delitÿs?* vel, vt eſt in originibus, *Quantum pulchruiſti*, &c. Quantam nimirum, ô Sulamitis, ſponſo tuo amantiſſima coniux, venuſtatem tibi comparaſti, delicatos cibos & vnguenta pretioſa adhibens ad formam colendam, quando in fœminarum domo ad regias nuptias, quas denique adepta es, faciem expoliebas, atque curabas tuam.

Addit, *& quàm decora*, in fonte, *& quàm dulcis*, vel *ſuauis*. Nam quàm olim vita ruſtica auſteram fortaſſe & acerbam effecerat, iam nunc vita delitioſa, ad mites & ſuaues mores traduxit. Itaque dictæ fœminæ Sulamitis admirabilem commutationem admirantur, quæ nimirum ita ſibi diſſimiles euaſerat poſt delitias, vt in alteram omnino migrauerit, ruſticitatem deponens, & ſuaues ac dulces mores aſſumens.

Verſ. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

SONVS ALLEGORIÆ.

SYmmachus ἡ τηλικία, *iſta tua ætas*, nempe florida & adultior. Aptiſſima ſimilitudo ad ſponſæ proceram ſtaturam exprimendam; nam ſtaturæ proceritas, magnam formæ ac pulchritudinis partem continet. De Galathea Ouidius:

—— *longâ procerior alno.*

Hinc eſt, vt Poëtæ Deas Heroinas, & alij ad fœminas effingant, pulchritudine præſtantes, altiori ſtatura inſignes. Hinc etiam natum, vt fœminæ, quæ puſilla ſunt ſtatura, ſubiectis cothurnis ex inſuto ſubere ſeſe erigant. Aptiſſima verò eſt ſimilitudo palmæ ad ſtaturam rectam erectámque notandam; qua melior ab alia quapiam arbore duci non potuit, non ſolùm, quia celſitudine & proceritate nulli inferior eſt; ſed quia cum aliis arboribus collatus homo dicatur arbor inuerſa, cui caput pro ceſpite, capilli pro fibris & radicibus, reliqua pro trunco & ramis ſint; tamen ſi cum palma conferatur, non inuerſa, ſed arbor recta dici debet; caput enim, capilliſque meliùs & aptiùs cum parte ſuperiori, & cum elatis comarum in modum ſeſe effundentibus, quàm cum radicibus comparantur: propterea enim ſuprà ſponſi comam cum palmarum elatis compoſuit Salomon. Fructus etiam caricæ dicuntur, nomine à capite deſumpto, vt putat Plinius, quaſi in capite enati.

Sed tamen non longè abſum, vt exiſtimem, his verbis quæ fœminis Hieroſolymitanis tradi debere non ambigo, non ſtaturæ ſolùm proceritatem deſcribi, ſed quandam etiam bonam boni potioris deprecationem contineri, qua dictæ fœminæ longiorem, ac diuturniorem vitam Sulamiti precantur, iuxta Symmachi tranſlationem, quæ ſic habet: *Iſta tua ætas aſſimilatur palmæ.* Conſtat enim palmam diuturnitatis ſimulacrum eſſe. ita docet Pierius in *Palma*, qui huius ſymboli rationem, non aliam eſſe dicit, niſi quia palma menſium atque annorum perpetuas reuolutiones ſignificat;

quia nimirum singulis mensibus surculum, aut ramum producit, atque adeò duodecim mensibus totidem ramos progerminat. Adde etiam huius plantæ durationem longæuam, quæ videlicet sicut fata longissimo tempore adolescit. de qua Tullius in lib. 1. de natura deorum, *serimus arbores quæ futuro sæculo prosint.* Ita etiam post sationem multis deinceps sæculis velut æternat. Ergo fœminæ Solymitanæ sponsæ descriptionem sic denique absoluunt: *statura tua assimilata est palmæ*; vel, vt habet Symmachus, ista *tua ætas assimilatur palmæ*, sit scilicet tibi status perennis, ac stabili duratione ætas & pulchritudo tua in æuum perseueret, adeò vt palmæ ætatem & durationem non modò exæques, sed etiam superes. quibus verbis perpetua Ecclesiæ duratio, & constantia venusta similitudine adumbratur.

Et vbera tua botris. Abenezrha vitem aliquam palmæ maritatam meditatur, & botros propterea palmæ adscribi; sed frustrà, cùm dactyli, seu caricæ racematim nascentes, botri etiam, seu racemi appellari consueuerint. Vide Plinium *lib.* 13. *cap.* 3. de palma sic: *Coma omnis in cacumine & pomum est, non inter folia vt in cæteris, sed suis inter ramos palmitibus racemorum, vtraque natura, atque vuæ atque pomi.* Et quidem hîc non describuntur vbera & mammæ, de his enim dictum suprà in hac ipsa descriptione: *vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ*, &c. sed cùm Hebraicè sic דודך *dodecha*, id est, *amores*, omnes amoris significationes & documenta, quæ ab sponsa in sponsum proficiscebantur, & quidquid amabile & amatorium in ipsa erat, ad sponsi amorem promerendum, botros palmæ maturos ac decoctos, atque adeò gustui gratissimos appellarant, quia nimirum sponsum plurimum oblectabant.

Vers. 8. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

ET *apprehendam fructus.* Septuaginta, *& tenebo cacumina eius.* Aquila, *elatas.* Symmachus, *ramos eius.*

Oris. Septuaginta, *nasi*, & alij etiam ex Hebræo fonte, *nasum* conuertunt; sed quia hîc de halitu odorato sermo est, parum refert an nasi, an oris dicatur, cùm ex vtraque parte expiretur, & par sit vtriusque laus.

Dissidium est inter auctores, cui potissimum hæc verba tribuenda sint, sponso, an choro puellarum. Alij, vt puellis adscribant, numerum singularem pro numero multitudinis additum existimant. & ita exponunt, *dixi, Ascendam in palmam*, &c. id est, omnes communi conspiratione animorum tantam admiratæ gloriam, & (vt est ingenium fœminarum) tantæ pulchritudini quodammodo inuidentes id vellemus ad te, scilicet, venire, redimiculaque & pretiosa monilia, quibus ornata incedis, decerpere, & ad nostrum cultum transferre. Non probo.

Mallem cum reliquis sponso accommodare. In primis autem palmam ascensu admodum facilem testatur Plinius *lib.* 3. *cap.* 4. his verbis: *Palmæ teretes atque proceræ densis gradatisque corticum pellicibus faciles se ad scandendum orientis populis præbent vtilem sibi arboríque in dubijs circulum, mira pernicitate homine subeunte*; sponsus itaque, qui Sulamitem palmæ in modum erectam, & sublimem, & vberibus quasi botris quibusdam suauibus instructam esse acceperat. Quid vetat (inquit) quominus palmam istam assensu facilem ego scandam, & fructus suauissimos deprehendam: quominus scilicet vberibus, atque adeò amoribus eius exsatier.

Sed quia vbera non semel aliàs in hoc Cantico castos amplexus significare diximus, in ea certè sententia sum, vt putem hæc verba ad præteritum tempus transferri. Succedat autem memoriæ id, quod suprà *cap.* 1. *vers.* 1. *& cap.* 2. latè docuimus, scilicet nuptias osculo & amplexu sanciri solitas. Ergo cùm fœminæ Hierosolymitanæ præmisissent sponsam proceritate corporis, & tumore, aut magnitudine vberũ ad nuptias maturam esse, subnectit sponsus. *Dixi, ascendam ad palmam. Dixi*, inquam, id est, iam tunc, cùm primum sponsam vidi, puellam hanc ad nuptias maturam & idoneam esse, ratus apud me constitui illam mihi copulare; & vxorem ducere, & matrimonij pactum amplexu & osculo sancire; itaque ait, *dixi: Ascendam in palmam*, id est, cùm viderim puellam hanc magnitudine tam corporis, quàm vberum ad nuptias habilem esse, hoc decreui, *ascendam in palmam*, id est, illam consequi, & mihi copulare conabor,

& apprehendam fructus eius, id est, vbera eius nuptiali amplexu stringam; hæc enim vbera nuper cum palmæ botris composuerat. Addit verò,

Et erunt vbera tua sicut botri vineæ. non tantùm, inquit sponsus, vbera tua suaues palmæ botros imitata sunt, dum ego strinxi; sed dulcissimos quoque vitis racemos, dum tu vicissim me complexu excepisti, vitis ad instar, quæ arborem palmam, cui hæret, arctissimè complectitur. De hac similitudine vitis ad castos & pudicos coniugum amplexus notandos multa dixi suprà *cap. 2. vers.* 14. ad illa verba, *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Itaque si hæc verba cum superioribus coniungas, non obscurè, tamen castè admodum atque pudicè amplexus inuicem copulatos, & nuptias his constabilitas, adsignificant.

Et odor oris tui sicut malorum. Iam id ad suauia spectat, & oscula, nec enim ab his tanquam à re quapiam impudica abhorret hic liber, cùm statim in libri auspicio horum desiderio se teneri sponsa ingenuè fateatur, cùm ait; *Osculetur me*, &c. Loquitur autem ibi de osculo illo nuptiali, quo firmabantur coniugia, & de eodem nunc attexit: *Et odor oris tui, vel nasi, erit mihi sicut malorum*, id est, tunc cùm osculum impressi nuptiale, gratissimus tui oris halitus, me deliniuit. Simile est illud Philostrati *lib. 2. Iconum*, in descriptione Ariadnæ: *Qualis* (inquit,) *quamque suauis anhelitus. Vtrùm autem pomum, an racemos oleat, osculatus dices*: quantum autem fœminæ contendant anhelitum purum & odoratum efflare, ne viros deterreant, testatur Clemens Alex. *lib. 3. Pædag. cap. 11.* qui tradit illas quo gratior esset anima, mastichem dentibus terere, atque ore versare solitas. Suauem autem odorem, quem ore expirabat Sulamites, cum mali odore componit Salomon ad eum modum, quo Martialis Erotij puellæ anhelitum *rosas pesti, mella recèns libata succinum attritum* imitari dixit *lib. 5. Epig. 38.* Nec alienum à veritate erit, si dicamus puellas nubiles in gynæceo inter alia culturæ suæ munia hoc etiam exequi solitas, vt nimirum boni odoris halitu quibusdam medicamentis procurarent ad futuras nuptias.

Vers. 9. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque ac dentibus illius ad ruminandam.

SONVS ALLEGORIÆ.

Dignum dilecto meo ad potãdum. Hebr. *vadens dilecto meo ad rectitudinem*, Hebraismus, ad vinum generosum significandum, cuius est infusum in calice rectâ vultum petere, & guttulas in faciem iaculari: *vino que salta à los ojos*, vel caput scandere, ebrietatem adducens, de quo suprà *cap. 1. vers.* 4.

Labijsque ac dentibus illius ad ruminandum. Reliqui interpretes ex Hebræo fonte, sic conuertunt, quòd *loqui facit labia dormientium.* Rabbi Salomon sic interpretatur, quòd *vel patres in sepulchro viuificare potest.* de vino etiam generoso, vulgò dicimus: *que basta para resucitar à vn muerto.* Effecit hoc vox anceps יסנים *iesanim*, quæ leui mutatione vnius puncti dormientes, vel dentes significat.

Abenezra, *saliuam* intelligit gutturis, aut palati nomine, itavt persistat sponsus ingrato oris odore commendando, & hunc meraciissimi vini suaueolentiam longè superare dicatur. Idem rursus in interpretatione dramatica, *vocis suauitatem* ad canendum. Reliqui ad verborum delitias referunt, & colloquia familiaria, quibus Sulamites se mirificè delectari, vel potiùs inebriari affirmat. Alij demum, sicut suprà, dicta illa verba de grato oris anhelitu, qui ex ore efflatur, assidua respiratione interpretati sunt; ita nunc de ructu, seu eructatione, quæ gutture perficitur, & ex visceribus trahitur, latentémque odorem foras mittit, ista capienda esse dicunt. Et quidem si superius hemistichium, vt est in fronte, legeremus, nimirum: *odor nasi tui sicut odor malorum*, dici posset vtrumque commendari ab odoris suauitate, nasum & guttur; nam ab vtroque, gratum odorem, & ingratum fœtorem difflari solitum, auctor est Galenus *in Method.*

Cæterùm ego hæc verba ad superiorem sententiam trahenda esse, & de nuptiali osculo interpretari oportere existimo. Præmittere autem oportet Hebræos in nuptiis vinum adhibere solitos. Contra hoc ex Rituali perantiquo, quo Hebræi ad hæc vsque tempora vtuntur. Ex quo testimonium locuples producit Petrus Gregor. Tolos. Syntagm. lib. 5. cap. 5. *Hodie* (inquit) *inter Iudæos in lib. precum, qui dicitur Lazor, habetur benedictio*

Salazar in Cantica.

nedictio sponsalium, in qua qui benedictioni præpositus est, sumit calicem, postea bibit vinum, ac propinat sponso sponsæque. Nec solùm apud Hebræos, sed etiam apud alias gentes adhibebatur in nuptiis vinum, vt tradit Iulius Pollux *lib.5.cap.6.*& apud Gallos etiam hodie fieri auctor est, idem P. Gregor. *lib.8. Syntagm. cap.2.* Puta ergo nuptias, aut sponsalia sic celebrari solita. Præmittebatur propinatio vtriusque sponsi, deinde propinationi succedebat osculum, etiam plexus. Sponsus ergo, qui de anteacto, celebratoq; iam coniugio verba facit, vt ex dictis constat, vbi dixit, *& odor oris tui sicut malorum*, odorem scilicet significans, quem carpendo nuptiale osculum hauserat. Iam nunc de quo osculo ageret clariùs exponit, dum ait: *Guttur tuum sicut vinum optimum*; quasi dicat, de illo osculo mihi sermo est, quod post recens libatum sponsalitium vinum libaui, atque adeò vinum ipsum priùs haustum redolebat.

Itaque sententia totius carminis sic habet. Postquam fœminæ Hierosolymitanæ absolutam numeris omnibus Sulamitis pulchritudinem descripserunt, singulorum membrorum perfectiones præclaris similitudinibus adumbrantes, sponsus satis opportunè addidit, se tanta venustate inductum fuisse ad nuptias paciscendas, quas nimirum complexu, osculo & vini libatione sanciuit. sic enim accipienda sunt illa verba, *dixi, Ascendam in palmam*, &c. tantam scilicet Sulamitis pulchritudinem admiratus, staturamque & ætatem ad nuptias maturam nactus, apud me statui illam ducere, & pactas cum ipsa nuptias, complexu & osculo nuptiali constabilire, osculo, inquam, illo quod ex recenti vini haustu in nuptiis solenni, odorem gratissimum reddebat: ex haustu, inquam, vini generosissimi, quod vultum & oculos petit, cui sponsa, *dignum certè vinum*, hoc est, vt dilectus meus semel gustatum sæpe ac sæpiùs iteratis osculis reguſtet, &c. Mitto aliorum parum aptas interpretationes.

Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum. Quidam immeritò hæc verba adimunt Sulamiti, quæ nequaquã alteri aptè accommodari possunt. Hæc ergo vbi halitum gutturis, quem sponsus basiando cognouerat, generoso vino assimilari audierat, statim subiecit; *dignum dilecto meo ad potandum*, &c. id est, hoc vinum, aptissimum, accommodatissimúmque est, vt dilectus meus ebibat, nec semel tantùm, sed vt millies, si volet, reguſtet, ruminétque, oscula iterando: & quidem verba bibendi ac potandi, osculis etiam aptari solent; dicimus enim *libare oscula*; & Statius dixit, *lambere oscula.* Philostratus iunior in Epist. quadam, sic ait: *Mihi solis propina osculis, quibus Iupiter solis deguſtatis formosum puerum pincernam constituit*, & perbreui interstitio, *Imple poculum oculis, & præbe rogantibus.*

Vers. 10. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

SONVS ALLEGORIÆ.

Conuersio eius, Hebraicè תשוקה *theſukah*, à radice *ſuk*, id est, *concupiuit, desiderauit.* Reperitur *Genes.3.num.16.* vbi enim noster habet, *sub viri potestate eris.* Septuag. legunt: *& ad virum conuersio tua*; alij, *desiderium & amor tuus.* Occurrit etiam cap.4. num.6. *sub te erit appetitus eius.* Septuag. *ad te erit conuersio eius.* Ea propter multi illam quæ inter coniuges est, beneuolentiam mutuam, & viciſſim impensum obsequium, præfatis verbis notari existimarunt. Non inficior, sed addo significari vlteriùs pactum inter Sulamitem & sponsum, initum statis temporibus conueniendi, interim dum nuptiales dies transibant. Nam, vt suprà in fine vnius & alterius Epithalamij matutini, quæ iam recensui, seriò obseruaui, vtraque similes exitus habent, sponsus enim ab sponsa discedere fingitur, & illa sponsum de reditu admonet. Vide quæ diximus in hanc sententiam *cap.2.vers.17.* ad illa verba: *dilectus meus mihi, & ego illi*, &c. quibus absoluitur primum Epithalamium matutinum, quæ iterum repetit in fine secundi Epithalamij manè dicti, cap.2. vers.2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, cum quibus concinunt ista: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*, &c. Quæ sic edisserenda sunt: ego quidem hîc adero, & abeuntem dilectum meum hîc præstolabor; ipse verò ad me visendam opportunè recurret. *Ad me conuersio eius, siue desiderium eius.* quasi dicat: Desiderium meum quo ardeo, non patietur, illum diutius à me abesse. Nam hîc esse solet finis Epithalamiorum matutinorum. Alias verò interpretationes missas facio, quia à contextu huius carminis omnino abhorrent.

EPITHA

EPITHALAMIVM SEPTIMVM VESPERTINVM.

HOC Epithalamium, sicut alia, quæ vesperi dicta sunt, præsupponit reditum sponsi ad sponsam, non aliunde certè, nisi ex cura gregum. Nam quoties sponsus ab sponsa, siue nocturno, siue meridiano tempore discedere dicitur, eius discessus ad syluas & nemora, gregis pascendi gratia susceptus asseritur. Ergo vbi sponsus ex syluis ad sponsam sub vesperum, nocte appetente redijt; illa aduentum illum boni consulens ad hortum & vineam domúmque syluanam horto ac vineæ cohærentem inuitat. Id nimirum proponens, vt ab vrbe, quam matutinis horis pompicè ingressi fuerant ad venditationem gloriæ nuptialis, ad dictam domum syluanam regredi vellet, vt ibi noctem agere, & manè facto vineas & hortos reuisere, obseruare & excolere, aliaque hortorum & vinearum propria oblectamenta siue ex fructibus, siue ex floribus carpere integrum esset.

Et quia omnes odas nuptiales vespertinas cœna quoque nuptialis diffinire solet (vt sæpe aliàs adnotauimus) similem exitum habet Epithalamium istud, quod sanè in conuiuium satis delicatum, vinis medicatis paratum in cœnaculo, seu triclinio prædiuite exhibitum, desiniuit, seruata forma discumbendi nubentibus solemni, de qua suprà cap. 2. vers. 6. *copiosè diximus ad illa verba:* Læua eius sub capite meo, *&c. quibus hoc septimum Epithalamium absoluitur.*

Vers. 11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

SONVS ALLEGORIÆ.

COMMOREMVR, Hebr. *pernoctemus.* Septuaginta, *requiescamus in castellis.*

Verba sunt sponsæ quibus venientem è syluis sponsum excipit, illi suadens, vt relicta vrbe, ad domum syluanam, vbi isthæc nuptiæ celebrari perhibentur, (vt sæpe aliàs animaduerti) redire velit, ibique noctem de more agere. *Pernoctemus* (inquit) *in villis.* Abenezrha, *in vna* (inquit) *aliqua villa*, in ea scilicet, quæ his nuptiis iuxta solennem ritum peragendis destinata erat. Nam contextus huius Epithalamij cum superioribus sic conformari debet. Sponsa quæ in hac quarta nuptiarum die manè primo vrbem pompicè & ambitiosè ad formæ ostentationem ingressa fuerat, & faciem hactenus flammeo coopertam fœminis Solymitanis, atque vniuerso populo reuelatam dederat sponso ad vesperam ex syluis redeunte Sole deciduo; ad hortos, vineas ædesque syluanas, iterum transferri postulat, vt ibi noctem agere, hortíque delitiis affatim perfrui liceat. Quod pudori & modestiæ illius tribui debet; nam cùm ægrè ferret faciem hactenus velatam & tectam publicè exhibere ipsomet pudore suadente à frequentia populi educi, & in agros asportari deposcit, vt quæ iam tunc faciem pallio abscondere non poterat, ad syluas se recipiens, oculos spectatorum fugeret.

Vers. 12. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea.

SONVS ALLEGORIÆ.

SI *floruit.* Aquila, *germinauit*, eodem sensu, id est, si gemmauit, vel primas gemmas protulit.

Si flores fructus parturiunt, Hebr. sic efferenda sunt: *si aperuit se vua pusilla.* Septua-

ginta, *si floruit*, κυπρισμὸς, id est, *propago*. Est autem *propago* palmes a vite deflexus & defossus, vt regerminet, & in nouam vitem adolescat. Philo conuertit, *si floruit cyperus*; sed non audiendus; nam eiusmodi lectio, à fonte & originibus prorsus abhorret.

Si floruerunt mala punica. Aquila, *si aperuerunt se*, &c. Aliqui de malo punico intelligunt, cùm glisscentibus granis dehiscit, ac medius aperitur; sed tempus resistit. Nam cùm hæc omnia in eamdem anni tempestatem conuenire debeant, scilicet gemmatio vinearum, floritio arborum & primulorum fructuuum editio, quæ vere primo euenire solent, ineptè quidem malagranata inducerentur decocta, matura & ruptis corticibus hiantia, quæ ad autumnum spectant: illud ergo, *si aperuerunt se mala punica*, de primo quoque arborum istorum flore concipi debet, cùm verno tempore aperto calyce sese explicat, & punicea folia pandit. Itaque sic ait:

Manè surgamus ad vineas. Aliqui restituunt, *manè surgemus*. reliqui tempus præsens pro futuro accipiendum affirmant, vt sensus sit. Vbi ab vrbe ad syluas & agros ventum fuerit, loci ac temporis opportunitatem captantes verno tempore, ac matutinis horis, integrum erit syluas & vineas inuisere, atque iucunditatem cum vtilitate coniungere; quia placida & salubri aëris temperie gaudere, gratissimo viridantis agri conspectu perfrui, atque vitium & arborum efflorescentium primores fructus proferentium ad futuri prouentus sponsionem, sationes obseruare & explorare fas erit.

Sunt qui per *vineas*, non eas, quæ vitibus, sed quæ cypris, aliisque aromata sudantibus arbustis consitæ sunt, accipi debere existimant. Nam pro villis Hebraicè כפרים *chepherim*, quam vocem *cypreta* interpretari licet: accinunt Septuag. qui verba illa, *flores fructus parturiunt*, sic extulerunt: *si floruit* κυπρισμὸς, quæ sic conuertere æquum est, *si floruit cypretum*; id est, saltus cypris, aliisque aromatiferis germinibus consitus. Non dissentior; sed vlteriùs addo sponsam ex pudoris studio hæc verba dictasse, vt significaret sibi illud in votis esse non solùm, vti ad agros & syluas ex vrbe egredi liceret; sed etiam, vt inibi diutiùs maneret, ne reuelata & detecta facie, iterum in oculos populi incideret. Id autem vt sponso suadeat, proponit illi vitæ rusticæ commoda & oblectamenta. *Manè surgemus ad vineas*, &c. quibus addit,

Ibi dabo tibi vbera mea. Aliqui nomine *vberum* pectus ipsum, & ea, quæ pectori insunt, secreta & arcana intelligunt, quasi dicat: ibi animi mei sponsa, & penetralia proferam tibi, itavt nihil te lateat eorum, quæ animo & cogitatione voluto. Alij per *vbera* amores accipiunt, propter *vberum*, atque *amorum* commune vocabulum, itavt sensus sit: In syluis ac saltibus omnes amoris mei erga te significationes sponte exhibebo.

Alij demum nomine *vberum* amplexus interpretantur, & sub his omnes delitias amatorias intelligunt, quas sponsa pollicetur sponso suo, si illam ad hortos extra vrbem deduxerit, vbi liberiùs rei amatoriæ vacare integrum erit. Itaque sponsa pudoris studiosa, quem vltima faciei detectio illi iniecerat, frequentiam populi & oculos multitudinis vitare volens, in solitudinem transferri exoptat; id autem eo nomine persuadet sponso, quia ibi sui amoris erga illum clariora & certiora documenta dabit. Simile quid sponsus de sponsa apud Oseam *cap.* 2. vbi cùm ad solitudinem se adductorum promittit, vt ibi oblectamenta atque delinimenta amoris sui liberiùs experiri posset. *Propterea ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, &c.

Vers. 13. Mandragoræ dederunt odorem.

SONVS ALLEGORIÆ.

VErsum istum non eodem modo dispungunt codices Latini; quidam enim punctum morantur, & fingunt post illa verba, *in portis nostris*; tamen correctiores Romani, & alij præuertunt, & antè collocant. D. Ambrosius, missum facit illud *in portis*, sed expressum est in fonte.

Mandragoræ Hebr. דודאים *dudaim*. Iarrius *Iesenium*, alij *violam*, alij *Satyrium* conuertunt; sed hæ meræ sunt nugæ. Georgius quidam, & Sixtus Senens. inuehuntur in nostrum interpretem, & vertendum esse *lilia* contendunt; sat bene cum ipsis agitur, si ego non etiam in ipsos inuehor. Demum alij genus omne florum amabilium notari ea voce asseuerant, qui non omnino respuendi; sed vulgatam lectionem locupletiores testes tuentur. Septuaginta, Abenezrha, Kinchi, & Ioseph. concinunt Aqui-

la

la & Targum, in quo pro *dudaim* eſt יברוחים *iabruchim*, quæ vox Chaldaicè *Mandragoras* ſonat, quas Arabes hodie *iabroah* vocant. Radix vocis Hebraicæ *dudaim*, eſt דוד *dod*, quod modò amorem, modò vbera ſonat; traxerunt autem, vt arbitror, mandragoræ inde nomen, non vtique quia figura papillarum capitula imitantur; aut rotunditate ollas, aut caniſtra orbicularia, vt vidit Martinus del Rio; ſed quia amorem conciliare putabantur, ex quo factum, vt veteres inter philtra amatoria mandragoras numerarent, vt tradit D. Epiphanius *in Philologo*. Plinius, Dioſcorides, & alij in ſua hiſtoria plantarum. Hinc à Græcis dicuntur Circæa, à Circe inuentrice magica Solis filia. Pythagoras Anthropomorphon nominauit, ab humana forma, quam radix eius referre videtur. Inde verò data occaſio, vt arbitror, fœmineæ ſuperſtitioni, vt herbam iſtam pro philtro haberent ad viros ad ſe pelliciendos.

Rurſus *mandragoræ* odoratæ ſunt, non graui tantùm odore, vt ait Plinius *lib.* 25. *cap.* 3. ſed etiam ſuaui & grato, vt præter Dioſcoridem, Auguſt. *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 56. vbi tradit mandragoras ob gratum odorem expetitas fuiſſe à Rachel, *& ideò* (inquit,) *cur eas mulier tantopere concupierit ignorare me fateor, niſi fortè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem.* Alij tamen aſſerunt, eas propter fœcunditatem quæſitas, à Rachel, quia videlicet ſterilitati ſuccurrunt. Sed vide, an potiùs ideò Rachel Mandragoras tantopere exoptarat, quia cùm eam coniux adamaret, ardentiùs verita eſt, ne Lia eo philtro, illius animum ad ſe conuerteret. cui expoſitioni fauet D. Epiphanius *in citato loco.* D. Ambroſius auctor eſt, inter mandragoras ſexus varietatem reperiri, fœminas videlicet, ac mares. Addit Leonardus in ſua hiſtoria *cap.* 199. viros fœminis, fœminas item maribus ad philtra abuti. Demum mandragoras ſomnum conciliare tradunt Ambroſ. *lib.* 3. *Exaëm. cap.* 9. D. Baſil. *hom.* 5. *eiuſdem operis*, Cæſarius *Dialog.* 1. Cyrillus *lib.* 11. *in Gen.* Adde Plinium, Dioſcoridem, & omnes alios, qui plantarum hiſtorias texuerunt.

Obſeruare præterea oportet, nonnumquam Scripturam loqui ex communi hominum ſenſu, & opinione vulgari, etiam ſi falsò ab errore aliquo hominum profecta fuerit, (quod nemo ſacris litteris mediocriter tinctus ignorat.) Ergo cùm Sulamites ſuadere vellet ſponſo vti ſe vrbe eductam in villam transferret, proponit illi mandragoras iam iam creuiſſe, & odorem ſuum latè ſpargere, atque adeò licere ambobus illa decerpere, atque illis vti, vt eo philtro amor vtrinque arctiùs copularetur. Hæc Salomon, ſequutus vulgarem opinionem, non tamen probans.

Vel aliter Sulamites, quæ nuper affirmarat ſe in villa, aut prædio agreſti, cum ſponſo pernoctare velle. Quam ob cauſam ad id optandum inducta ſit his verbis: *aperire.* quia nimirum mandragoræ iam exercuiſſent, & odorem ſuum efflare cœpiſſent; nam cùm ſponſus, dormiente ſponſa, ſemper ſe proriperet, (vnde fiebat vt illum in lecto ſæpe quæſitum, non inueniret,) propterea mandragoras optat, vt illis vti poſſit ad ſponſum conſopiendum, ne amplius ea dormiente, peruigil maneret, ac de more ſuo ad agros aufugeret.

Vel aliter, cùm mandragoræ ob ſuprà dictam rationem, & etymologiam amorem ſignificent, vt ſuprà docuimus *cap.* 2. *verſ.* 2. amoris præcipuum ſymbolum continent. Vide igitur, an ſponſa, vt ſponſum ad ſe alliciat, & reditum ad ſyluam illi ſuadeat, hoc illi proponat: *Mandragoræ dederunt odorem*, &c. id eſt, cùm ad villam venerimus, veteris, ac noui amoris colligam vim. veteris, inquam, quem ante nuptias habui, & noui quem nuptiis iam copulatis concepi, collectumque amorem in te effundam, quia mandragoræ nomine ac ſignificatione, &, ſi placet, efficacia quoque ſua, omnes mihi & ſponſo meo, amores inſpirabunt, vt ſcilicet ego ardentiùs ſponſum adamem, & illi viciſſim ardentiſſimè amantem redamet. Mitto alias parum accommodatas interpretationes, quæ à contextu abhorrent omnino, & violentiâ inferunt verbis.

In portis noſtris omnia poma: noua & vetera ſeruaui tibi.

In portis noſtris, id eſt, in media *villa*, vel *horto*. nam *portæ* pro loco illo, qui portis concluditur, accipi conſueuerunt trito ſermone Scripturæ. Matth. 16. *& portæ inferi non præualebunt aduersùs eum*; id eſt, inferus ipſe. Pſal. 86. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula.* id eſt, Sion ipſam portis incluſam. Hæc autem verba, *in portis noſtris*, libentius necto cum ſequentibus, quàm cum antecedentibus, vt faciunt Biblia Romana correctiora.

Omnia

Omnia poma, Hebr. מגדים *megadim*, id est, *omnes fructuum delitiæ*, sic vertunt Abenezrha & alij; nam ea voce quidquid in quouis genere fructuum, pulchrum & delicatum est, significari autumant. Septuaginta, *omnes nuces, nouas & veteres*. Sed, vt alias notaui, his interpretibus perquam familiare est, omnem fructum, qui cortice nucleum includit, *nucum* nomine vocare. Mercerus affirmat, eo vocabulo aromata pretiosissima notari, noua scilicet, & vetera, quæ nimirum ex antiquis floribus superioris anni, & quæ ex nouis confecta & temperata erant. Ego verò non longè ablum, vt existimem, vocem illam *megadim*, quam noster Vulgatus *poma* transtulit, ea potissimum poma notare, quæ arbores quædam sic afferunt, vt nouis ac recentibus productis non statim abiiciant vetera, sed vtraque simul contineant, qualia sunt mala aurangia, limonia, citria, & his similia, de quibus suprà *cap. 2. vers. 5.* ad illa verba, *stipate me malis*, &c. Venio ad sententiam.

In portis nostris omnia poma, noua & vetera seruaui tibi. Nonnullis videtur fieri allusionem ad veterem morem in nuptiis admodum solemnem, ornandi videlicet limina domus arboribus appensis, de quo Claudianus *de nuptijs Honorij & Mariæ*, Catullus *de nuptijs Pelei, & Thetidos*, & alij. At ego crediderim, istorum verborum aliam esse sententiam, atque adeò vnam & alteram expositionem subiicio.

Ergo in memoriam iterum vocare oportet, quæ cap. superiori animaduerti ad illa verba: *Descendi in hortum nucum*, &c. Vineam scilicet, & prædium, de quo hìc sermo est, & ad quam sponsa dilectum inuitat, esse proprium illius & dotalem agrum, vt non leuibus argumentis inductus ibi adnotaui, & infrà *cap. 8. v. 11. & 12.* conficiam. Ergo flectere volens animum illius, vt secum vnà pergat in præfatum prædium, addit se illi pomorum omnigenam multitudinem inibi præparasse, ex nouis scilicet, atque veteribus, non scilicet ex his, quæ eo anno, & superiori arbores tulerant, sed noua, id est, priora, quæ primum ver decoquit, vetera, id est, posteriora, quæ autumnus ad maturitatem perducit; nam hic modus loquendi, Scripturæ sacræ non est insolens. Eccles. 4. *Sicut tigris in diebus nouis*; id est, in primis anni diebus. Psalm. 26. *Cogitaui dies antiquos*, quod quidam ad extremos referunt, ad eumdem modum, ex duobus Catonibus, scilicet alter *iunior* dicitur, alter *senior*; hoc est, alter prior, alter posterior.

Posterior verò interpretatio sic habet; Sulamites sponsum ad agros euocare volens proponit illi præcipuas syluæ illecebras, & inter alia sic persuadet: *In portis nostris*, id est, in horto nostro, muris suis concluso. Sunt etiam arbores quæ semper virent, ex quibus noua simul & vetera poma pendent, recentia nimirum, & immatura præsentis anni, & antiqua, seu matura, quæ anteactus annus decoxit: hæc sunt mala aurangia, citria atque limonia, quæ cum perpetuo virore, perpetuam fructuum asseruationem coniungunt. Eam vim habet illud, *seruaui tibi*, id est, ad tuam seruata sunt voluptatem. Quomodo autem mala isthæc aurangia, seu aurea, inter amatorias delicias numerentur, diximus suprà *cap. 2. vers. 5.* Rursus cùm in omni Epithalamio vespertino cœna sit, sponsa dilectum suum ad hortos inuitans, appositè admodum fructus omnigenos hìc recensetur, quibus cœnæ instrui & claudi solent.

Et quidem hic modus inuitandi ad hortos, vel vineas, vulgaris est apud amantes. Ouidius *lib. 13. Metamor.* vbi Polyphemus Galatheam ad se allicere volens, sic addit.

—— Sunt poma grauantia ramos,
Sunt auro similes longis in vitibus vuæ,
Sunt & purpureæ. tibi, & has seruamus, & illas,
Ipsa tuis manibus syluestri nata sub vmbra
Mollia fraga leges, ipsa autumnalia corna,
Prunaque non solùm nigro leuantia succo,
Verùm etiam generosa nouasque imitantia ceras,
Non tibi castaneæ, me coniuge, nec tibi deerunt,
Arbutei fœtus, omnis tibi seruiet arbos.

Apud Virgilium item *Ecloga 2.* ad Amarillim sic Menalchas, rogans scilicet, cui poma asseruaret.

Mirabar quid mœsta deos Amarilli vocares,
Cui pendere sua patereris in arbore poma.

CAPVT OCTAVVM.

Vers. 1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & de osculer te, & iam nemo me despiciat?

SONVS ALLEGORIÆ.

SEPTVAGINTA priora verba paulo aliter reddunt. *Quis det te, frater mi, sugentem vbera*, &c. *frater*, & *sugens vbera* synonyma sunt. nam synonymia admodum familiaris est Scripturæ. sicut statim *mater* & *genitrix*, & alia passim. *Foris*, alia editio ἐν ἀγρῷ, id est, *in agro*, alia ἐν ἀγορᾷ, id est, *in foro*. præferenda est nostra lectio, in qua dignum obseruatione est, aduerbium *foris* in Scriptura non eodem modo semper accipi, aliquando enim *foris esse*, tantùm significat, è domo pedem extulisse. Nonnumquam etiam foris esse præcisè, nulla additione verborum facta, idem est quod esse in domus limine, vel ostio. *Prouerb.* 7. de scortante fœmina sic Salomon: *Nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Foris, inquam, id est, in limine domus. Matth. 26. *Petrus verò sedebat foris.* Id verò ipsum Ioannes exprimens cap. 18. *Petrus*, inquit, *stabat ad ostium foris.* Sunt & alia id generis obuia exempla. Denique prædictum aduerbium *foris*, aut *foras*, perinde est atque extra vrbem. *Genes.* 4. sic Caim ad Abel: *Egrediamur foras*, & continuò, *cumq; essent in agro.* & cap. 2. *sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras*, &c. & alia passim.

Despiciat. Symmach. *subsannet.* Sexta editio, *vilipendeat.*

Locus iste nostrum Sanctium impulit in eam mentem, vt sponsorum nuptias in caput istud relegaret, itaque in eo putat extremam scenam huius dramatis exhiberi, quæ duos sponsos nuptiali vinculo iungit, & ritu legitimo & publico sociat; erat enim alter ex ritibus, publicum osculum, quo sanciri solebant connubia, vt suprà *cap.* 1. *vers.* 1. non perfunctoriè probaui; itaque sic commentatur: *Quis det*, inquit, *te mihi fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris?* &c. id est, quod erit illud tempus, cùm tandem aliquando tibi publicè osculum illud licebit figere, quo nuptiæ celebrari consueuerunt; *etiam nemo me despiciat*, ita scilicet, vt hoc quod solis coniugibus licet, post initas nuptias nemo mihi probro vertere possit.

Sed, mea quidem sententia, hæc nuptiarum dilatio, vt non semel aliàs dixi, à vera huius carminis interpretatione longissimè abhorret. Atque adeò, iuxta præmissas illius vocis *foris* significationes, alias, & alias expositiones subiiciam. Prima sic habet: Sulamites memoria repetens quæ sibi acciderant superiori die circa auroram, quomodo scilicet, cùm ad recludendas ianuas accurrit, iam sponsus inde auulsus fuerat, ac dum quæsitum perrexit, ab excubitoribus despecta, vulnerata, &, quod probrosum magis est, pallio suo spoliata fuit. Nequid simile iterum sibi eueniat exoptans, sic ait: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* synonyma sunt, *vt inueniam te foris, & deosculer.* hoc est, vtinã cùm ad limina venero quæ pulsasti, ô mihi vitâ charior sponse, cùm scilicet fores recludam, inueniam te in ipso limine ostij hærentem, inuentumque osculo excipiam. (Quid certius quàm redeuntes olim osculo excipi solitos.) ne si è limine aliò deflexeris, opus sit mihi ad te vestigandum pergere, & rursus in eos incidere, à quibus nuper despecta sum, cùm inflictis vulneribus pallium ademerunt, *vt iam me nemo despiciat*; illud *iam* satis innuit illam aliquando despectui habitam. Id ergo cupit, ne quod semel malo suo euenerat, id rursus nouo infortunio accidat.

Aliqui interpretes multa ludunt circa illa verba, *sugentem vbera matris meæ.* quasi sponsa deprecetur sponsum suum repuerascere, & quemadmodum pueros absque aliqua turpitudinis nota publicè osculentur puellæ, sic etiam ipsi liceret sponso suo oscula publicè libare, & alia his similia; sed tamen reuera paraphrasis quædam est vocabuli *fratris*, vt iam dixi.

Secunda interpretatio, primæ non dissimilis, sic habet: certè sponsa abeuntem, seu fugientem sponsum insecuta, vrbem ingressa dicitur in superiori Epithalamio, credens scilicet sponsum è limine discedentem vrbem adiisse; in ipso verò aditu & exitu vrbis, ea demum ab excubitoribus perpessa est, quæ suprà diximus, & (quod ipsa

potissi

potissimum ægrè tulerat) ab ipsismet militibus pallio, seu flammeo nuptiali spoliata, faciem aperire coacta fuit; quod summo pudori tribuit Sulamites. Nunc igitur pudori suo consulens, & ne quid simile iterum contingeret cauens, iuxta alteram significationem illius vocis *foris*, id est, in agro, aut in syluis, sic ait,

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? &c. quasi dicat. Id cupio & exopto sponse amantissime, quem scilicet amoris gratia fratrem meum appello, & sic amore complector, quasi ambo eiusdem matris vbera dulci suctu hausserimus; ne iterum me tanto periculo exponas, vt scilicet te vestiganti vrbem, rursus ingredi, & à militibus despici & vexari opus sit. Sed sic age, vt cùm fortè ad te vestigandum, & inquirendum è domo syluana egredi necessum fuerit, te foris inueniam, id est, extra vrbem, in syluis ac nemoribus te reperiam, & occurrenti tibi, honestissima oscula affigam. Hæc autem verba cura & solicitudo pudoris sponsæ inspirauit, vt sæpe aliàs diximus, quæ id se vereri semper affirmat, ne reuelata facie in publicum prodire ipsi opus sit. Et, si placet, adde etiam sponsam aliquid id zelotypiæ tribuere, dum suadet sponso, ne vrbem ingredi velit. vide quæ diximus suprà *cap.* 5. *vers.* 7. vbi rationem dedimus, ob quam sponsa dilectum suum fugientem insequens, vrbem ingressa est.

Tertia significatio vocabuli *foris*, est in publico, quæ tertiam interpretationem accommodat. Nuptias olim osculo publicè dato & accepto sanciri solitas nuper dicebam; sed absolutissimè id tradidi suprà *cap.* 1. *vers.* 1. ad illa verba, *Osculetur me osculo oris sui*, lege ibi; nunc verò id probabiliter affirmari posse credo, osculum istud publicum, in primo vespere nec reliquo nuptiarum tempore, quo sponsa flammeo, seu pallio faciem velatam gerebat, nec dari, nec accipi, sed quarto die postquam pallio spoliata fuerat, libari solitam: ita suadet forma velationis & reuelationis, & res ipsa hoc postulabat, vt non priùs sponsus sponsæ suæ osculum publicum figeret, quo ad ipsa faciem ac vultum velo abiecto retegeret. Cùm igitur constet ex dictis in superiori Epithalamio (cui quartæ diei nuptialis primum manè describit) pallium non sine vi sponsę ademptum fuisse, & non antè; inde certè probabili coniectura suaderi videtur, ea ipsa die osculum publicum datum, acceptumque ab sponsis, vt eo ritu sanciretur denique pactum coniugium. Locus ergo iuxta dictam suspicionem sic explicandus est:

Quis det te mihi fratrem meum sugentem vbera matris meæ? O vtinam sponse amantissime, id tandem consequar, quod olim mihi optatissimum esse significaui, cùm dicebam: *Osculetur me osculo oris sui?* vt nimirum te fratrem meum, qui matris meæ vbera suxisti, *matris*, inquam, *meæ*, vel potiùs tuæ, eius scilicet, cuius vbera te aluerunt; nam postquam in tuam familiam translata sunt, iam inde matrem ac genitricem tuam, meam duco. O, vtinam id tandem consequar, vt osculo publicè dato, & accepto, connubio stabili tibi adiungar, vt sonant illa verba: *vt inueniam te foris, & deosculer*, vbi deinceps tua sim, & in gloriæ & honoris tui societatem vocata, nemo mihi antiquæ meæ conditionis vilitatem obiicere, aut exprobrare possit: sic accipe extremum hemistichium: *vt iam nemo me despiciat.*

Boni etiam consulo coniecturam nostri Sanctij, qui putat sponsam id velle, ne in eam incurrat ignominiam, quæ olim sterilibus, & minimè nubentibus ex more gentis euenire solebat. Cuius præclarum exemplum est filia Iephthe ante nuptias immolata, virginitatem suam deplorans, *Iudicum* 7. Quasi dicat sponsa: Osculum publicum quo sanciuntur coniugia, non ex libidine desidero (absit,) sed vt eam ignominiam, & infelicitatem declinem, quæ eis euenire vulgò existimatur, quæ ad nuptias non peruenerunt.

Vers. 2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

SONVS ALLEGORIÆ.

In domum matris. Septuaginta addunt, ἢ εἰς ταμεῖον συλλαβέσης, *& in cubiculum genetricis*, complentes nimirum ea verba, quæ sunt *cap.* 8. *vers.* 4. vbi latè ostendi matris, seu genetricis nomine, non propriam sponsæ parentem, sed sponsi, in cuius domum traducta iam fuerat, accipiendam esse. Nam vbi sponsa è paterna domo in

coniugis

coniugis sui ædes migrabat, iura, familiamque mutabat, & sponsi parentes deinceps numerabat pro suis; hinc factum, vt Euangelista Matthæus & Lucas Christi Domini genealogiam & maiores in censum redigentes, non Mariæ parentes & proauos, sed viri sui Ioseph enumerarent, quasi illa iam ad viri familiam pertineret, & eam ob causam *Psalm.* 44. iubetur sponsa *obliuisci populum suum, & domum patris sui.*

In domum, &c. Ibidem etiam dixi, quid inter domum & cubiculum interesset; domumque pro cœnatione, id est, pro loco, in quo mensa atque lecti strati erant ad prandium, vel ad cœnam, cui cœnatio, seu cœnaculum nomen erat, capiendam esse; cubiculum verò pro loco penitiori, in quo thalamus erat genialis, idque rationibus quibusdam euici. Vide ibi multa, ne sit tædio (vt solet) repetitio.

Ex vino condito; alij *aromatico*, non intelligo vinum aliquod condimentis contemperatum, sed absolutè, bene olens; nam odor præstantiam vini indicat, sicut etiam *cap.* 2. *vers.* 13. pro illis verbis: *Vineæ florentes dederunt odorem.* in fonte est: *Vinea aromatibus se condiuit.* est Hebraismus *aromaticum*, pro *odorifero.*

Et mustum malorum granatorum, è malis scilicet granatis expressum. Vini huius fictitij meminit Plinius *lib.* 14. *cap.* 16. & *rhoitem* appellari dicit: erat autem in conuiuiis solennis mos, vt fictitia quædam vina dulcia cum veris per quædam interualla ministrarentur, vt docet Athenæus *lib.* 2. & 3. fictitij verò & medicati vini plures species enumerat Plinius eo loco.

His prælibatis, difficilis non est sententia verborum: *apprehendam* (inquit) *te, & inducam in domum matris meæ.* Communis interpretatio per *domum*, aut *cubiculum matris* locum intelligit thalamo nuptiali destinatum, quod sternere & ornare ad sponsæ parentem spectare affirmant, cuius etiam partes erant sponsos nouos de his edocere, quæ ad matrimonium ritè ac rectè agendum pertinere videbant.

Sed tamen ipsa verborum series, & totius cantici structura postulat, vt nomine *domus*, triclinium, aut cœnaculum accipiatur, in quo vltimum conuiuium nuptiale exhibitum fuit, quo quartum & vltimum Epithalamium vespertinum de more absoluitur. Itaque sensus est: *Apprehendam te, & ducam*, &c. Quasi dicat; si in limine hærens, ô sponse, me præstolabere, nec, vt assoles, aliò diuerteris, nactum te ibi apprehendam, & in cœnationem stratam pulchrè inducam in cœnationem, inquam, *matris meæ*, id est, socrus, quam, postquam tibi nuptiali vinculo adstricta sum, & in tuam familiam vendicata matris loco pono, vt ibi nuptiale epulum splendidè paratum tibi exhibeam: epulum (inquam) illud, quod est inter alia quartum, & quartum nuptiarum diem claudit. Addit verò,

Ibi me docebis. Quidam ex Hebræis verba hæc ad matrem referenda esse existimant; conuertunt autem, *ibi me docebit*, (effecit hoc verbum originale quod secundæ personæ masculini, & tertiæ muliebris generis, commune est, id est, tunc mater quomodo erga virum me gerere, & rem domesticam administrare debeam, documentis quibusdam mihi ediffereret; tunc nempe, cùm in cubiculum me inducet. nam puellam in cubiculum introducere erat partium & curæ maternæ. Colligitur ex nuptiis Saræ Tob. 7. & suprà non perfunctoriè probaui. Verumtamen, quia mater id non nisi prima nuptiarum nocte præstabat, vt docui suprà *cap.* 3. iam verò aliquot à nuptiis noctes abierunt, & quia vulgata lectio id suadet, dimissis Hebraizantium nugis, præmissa verba sic illustro:

Ibi me docebis. De sponso sermo est. erat ergo more comparatum apud veteres in conuiuiis quæstiones aliquas agitare, ænigmata edisserenda proponere, quæ Græci *griphos*, aut *sirpos* appellant. *Insita enim à natura omnibus hominibus scientiæ cupiditas effecit, vt etiam inter epulas aliquid aut docerent, aut discerent libenter, aut didicisse se ostenderent.* ait Athenæus Deipnosophista, qui maximam *lib.* 10. partem in conuiualibus griphis & definiendis & declarandis posuit. Accedit Plutarchus, qui *lib.* 1. *Symposiacon*, multis argumentis euincit, etiam in epulis esse philosophandum. Item Platonis integer dialogus *de amore*, in conuiuio disceptatus est; & ideo *conuiuij* nomen sibi asciuit. Missum facio Xenophontem & alios. & subiicio verba Macrobij elegantissima: *Si philosophia* (inquit,) *à conuiuijs exulauit, procul inde facessant & alumnæ, eius honestatem dico, & modestiam, nec minus cum sobrietate pietatem, quàm harum dixerim minus venerabilem, ita fit, vt ab eiusmodi cœtibus relegatus matronarum talium chorus, libertatem conuiuiorum solis concubinis, id est, vitijs & criminibus adducat.* Hæc ille. Sed ad instar omnium sit locus Ecclesiastici insignitus *cap.* 32. nam (vt dicam quod sentio,)

morem istum philosophandi docendique inter epulas, & eadem griphis ænigmatibusque condiendi ab Hebræis, ad reliquas gentes manasse pro certo habeo, in quo loco Ecclesiasticus modum, ordinemque præscribit in his disceptationibus seruandum: *Loquere*, inquit, *maior natu, decet enim te primum verbum diligenti scientiam, & non impedias musicam, vbi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. Audi tacens, & pro reuerentia, accedet tibi bona gratia. Adolescens, loquere in tua causa, vix in multis esto quasi inscius, & audi tacens, simul & quærens; in medio magnatorum non præsumas, & vbi sunt senes, non multum loquaris.* Hactenus Iesus Sirach methodum disputandi, docendi, ac discendi in symposiis tradens, cuius verba perspicua cùm sint, non indigent interpretis opera. Item Prouerb. 23. *Ne comedas* (inquit Salomon) *cum homine inuido, neque desideres cibos eius, quia in similitudinem arioli & coniectoris æstimat quod ignorat; cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos.* Docet autem apud inuidiâ laborantem hominem, non esse epulandum, quia videlicet is quantumlibet problemata inter pocula proposita & griphos non calleat, omnino, areoli in modum sibi cognita & explorata esse venditat, ex quo fiet, vt eruditos sermones tuos labyrinthos & ænigmata perdas, id est, nihil præmij, aut honoris feras. Huc spectat griphus ille, siue problema quod Philisthæis intra septem dies conuiuij edisserendum proposuit Sanson Iudicum 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Ego verò pro certo habeo, haud vulgare amoris argumentum edere in amicum, vel amicam, eos qui problemata proposuerant, si illis priùs latentes ænigmatis sententias palàm facerent, imò credo eas plerumque dilectissimis amicis aperiri ac recludi solitas. Hinc nata expostulatio vxoris cum Sanson, quod sirpi illius sensum tandiu ipsi non reseraſſet. Nonne griphus etiam quidam fuit quod Christus discipulis obiecit in cœna, cùm dixit: *Verumtamen manus tradentis me, mecum est in mensa.* Petrus ergo, qui nouerat eiusmodi ænigmata, vel nodos, non nisi summa beneuolentia coniunctis explicari solitos annuit Ioanni; *Is enim erat, quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cœna supra pectus eius*, vt de proditore ambiguè loquentem Christum interrogaret, rogauit ille, & didicit tandem à Christo. Alia Christi problemata in conuiuiis prolata, & sermones doctrinæ, ac sapientiæ plenissimos in spirituali interpretatione enumerabo: sunt enim plures & luculenti.

Obseruari autem debet ex Macrobio *lib. 7. Satyr. cap.* 1. & ex Plutarcho in symposio *cap.* 2. quæstiones in conuiuiis atque sermones locis & personis, accommodandas esse, & inde materiam eorum esse desumendam. Quapropter in nuptialibus epulis nullus accommodatior sermo, nullæ disceptationes magis appositæ, quàm de connubialibus præceptis & officiis. De hoc themate vide plura in Isagoge nostri commentarij ad Prouerbia Salomonis, *& in cap. 8. vers. 1. & cap. 30. vers. 1. eiusdem libri.*

Redeat ergo memoria ad ea, quæ sæpe aliàs in fine Epithalamiorum diximus; hæc nimirum commemoratione, aut descriptione conuiuij claudi solita; nam conuiuia nuptialia sub noctem exhiberi, atque adeò præcipuam materiem nocturnis cantionibus accommodare, non semel animaduerti. Cùm ergo versus iste, & is, qui eum insequitur, finem contineat huius Epithalamij ad vesperam dicti, luculentam valde nuptialis cœnæ descriptionem eidem attexuit, quæ sic habet.

Apprehendam te, & inducam in domum matris meæ. Id est, cùm mihi fortè fortuna hoc euenerit, vt te manè primo fugientem, & à me longiùs abeuntem, tandem aliquando tenuerim, ac vespertinum tempus instet, quo domum repetere opus est, sic habeto: *apprehendam te*, te scilicet, sic adstrictum tenebo, vt abire deinceps non possis, apprehensúmque *inducam in domum matris meæ*, hoc est, in triclinium, aut cœnaculum à matre tua, quam videlicet, ex quo tibi tradita sum, meam æstimo, stratum & apparatum, te immittam, vt ibi lautam & opiparam cœnam nuptialem vltimam sumas.

Ibi me docebis, &c. hoc est, tunc cùm in cœnationem te induxero, & mensis accubitum erit, graues quæstiones inter pocula agitans, informabis me de officiis & legibus coniugij, & si quod problema, vel griphum inter conuiuas iactaueris, vt de illorum ingenio & iudicio experimentum capias, id mihi dilectissimæ tuæ coniugi priùs referabis, propositos item aliis nodos dissolues, me videlicet de omnibus edocens in amoris argumentum.

Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Id est, excipiam te lautissimo conuiuio; id enim vini nomine notari sæpiùs animaduerti.

Addo

Addo etiam suspicionem quandam, nescio an solidam, tu videris: erat olim in more positum, vt cùm griphus aliquis inter epulas proponebatur, qui illum enodassent, honorarium aliquod caperent: qui secus, mulctam ferrent. Pro mulcta erat vinum, muria temperatum, vt tradit ex Antiphane Athenæus *lib.* 10. *circa finem*, pro honorario corona, laudatio, & plausus edulium; nonnumquam etiam vini pigmentati pretiosissimi haustus copiosior, & alia eiusmodi. Ergo ad id fortasse alludens sponsa: *dabo tibi*, inquit, *poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*. tunc videlicet, cùm propositos sirpos, nodos & ænigmata extricaueris, ac me de omnibus edocueris, honorarij loco feres à me poculum odoratissimi, generosissimi vini, & rhoitem, cuius haustus iucundissimus esse consueuit.

Sed iterum ad trutinam vocanda sunt illa verba, *Apprehendam te*, de quibus aliud iudicium ferre integrum est. Aliqui enim clausulam istam, ab his, quæ sequuntur, verbis, excindunt, & cum superioribus connectunt, hoc modo: *Vt inueniam te foris, & deosculer & apprehendam te*, atque sequentem versum sic inchoari affirmant: *Ducam te in domum matris meæ*; quod ab originibus Hebraicis minimè abhorret, & huic sententiæ nonnihil splendoris conciliat. Nam pro verbo *apprehendam*, subest vox אנהך *anahacha*, à radice נהן *nahan*. id est, *amplectar*, quam noster interpres, data opera, sensum potius, quàm litteræ sonum exprimens, sic conuertit, *apprehendam te*. Nam cùm alter ritus, quo nuptiæ stabiliri solebant, amplexus esset publicus, cum osculo publico coniunctus, vti suprà *cap.* 1. *vers.* 1. non perfunctoriè probaui ad illa verba: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino*, &c. Lege ibi plura. Sine iniuria textus sacri affirmare licet, vnum & alterum hîc ab sponsa commemoratum, scilicet *osculum* & *amplexus*, quasi dicat, id quod solenni ritu ad perficiendum coniugium requiri solet, impensè desidero; vt nimirum sponsum meum, chariſſimum, osculo publico & amplexu etiam publico, mihi adiungam; ne quid solennitatis, nostro desit coniugio: *vt inueniam te foris, & deosculer, & apprehendam te*, id est, arctè complectar ad perpetuum matrimonij stabilimentum; quantum verò hæc interpretatio deseruiat mysteriis, suo loco dicemus.

Nec prætereunda est animaduersio nostri Sanctij ad illa verba, *ibi me docebit*, qui postquam lectionem Rabinicam excluſit, quæ dictam clausulam matri adscribit, sic, *ibi me docebit*. de sponso ad hunc modum edisserit, *ibi me docebis*: id est, cùm primùm te in domum parentis tuæ simul ac meæ induxero, ibi de his, quæ à me obeunda sunt, connubialibus præceptis me seriò edocebis; ita enim existimat verisimile esse sponsum in ipso domus aditu, cùm sponsam excipiebat, præcepta quædam seueriora nuptialia sponsæ tradere solitum. Hæc sunt vt parentum obliuiſci velit, ac se totam sponso dedat, & rem domesticam curet, de quibus infrà non pauca serit. De his præceptis & seueriori disciplina sponsi loquitur fortasse Chrysostomus *in cap.* 5. *Epist. ad Ephesios Hom.* 20. vbi de vespera, qua sponsus vxorem excipit, sic fatur: *Tanquam accipiens imaginem ab illa vespera, qua eam excipit thalamo, eam doceat temperantiam, modestiam, lenitatem, vt statim ab exordio, & ab ipsis vestibulis viuat, pecuniæ amorem deijciens, & in philosophia erudiat, & suadeat, ne sit aurum pendens ex auribus, neque eo induatur in genis & collo, nec id repositum habeat in thalamo, neque vestes aureas & sumptuosas. Verùm his dimissis histrionibus & scenicis*, &c. & post pauca: *Ex hoc erunt duo, aut tria bona. Primum quidem, non dolebit sponsa dum solutis nuptialibus thalamis remittuntur ad singulos vestes & vasa aurea, & argentea. Secundò quòd sponsus non erit solicitus, ne pereant, & vt custodiantur quæ sunt comparata. His accedit tertium, quod est summa bonorum: ex his ipsis ostendit maritus mentem suam, nullo scilicet horum delectari, & se etiam cætera omnia dissoluturum, neque vnquam concessurum, vt fiant saltationes, & canantur impudica cantica.* & subinde paucis intercalatis, *statim enim vxor hoc apud se considerabit, Papæ! qualis est hic vir. est Philosophus, hanc vitam nihil ducit ad procreandos filios & educandos; me domum duxit, & ad domum custodiendam.* & iterum breui interstitio verborum: *Leges ergo constitue, toto illo tempore, pudor tanquam quoddam frenum animæ impositus, non sinet de aliquo conqueri, & ea quæ sunt, accusare. Nam postea quando fiduciam & dicendi libertatem apprehenderit, cùm multa securitate omnia euertit, & confundit. Quando ergo erit illud tempus æquè aptum ad fingendam & formandam vxorem, atque illud quo reueretur maritum, & adhuc timet, & pudore suffunditur; tunc ei impone leges omnes, & parebit, aut lubens, aut inuita.* Hactenus Chrysostomus, qui leges & præcepta connubialia, quibus maritus prima nuptiarum die vxorem imbuere & infor-

mare debet, absolutissimè describit, optimasque rationes reddit, ob quas eiusmodi præcepta in primis coniugij auspiciis atque primordiis præmitti debent.

Sed quamuis hæc interpretatio satis idonea videatur, eam præfero, quæ de ænigmatibus, ac griphis in conuiuio nuptiali iactandis edisserendisque verba Salomonis exponit; explicationem verò Rabini Anonymi prorsus excludo, quæ illa verba, *mustum malogranati mei*, (sic enim efferendæ sunt voces Hebraicæ) de saliua, quæ sub lingua est, accipit, quasi sponsa basiis datis redditisque saliuæ suæ propinationem sponso polliceatur, orisque sui atque labiorum ritum malogranati hiantis colorem & gustum imitari dicat. Sed heu! quàm alienum est hoc à pudore & seueritate honestissimæ heroinæ; licet tamen aliquid boni sensus superiori sententiæ adscribere, nam ea quæ diximus *cap. 2. vers. 4.* de propinatione inita inter sponsum & sponsam, ac de salutationibus inuicem datis in conuiuio nuptiali ad amoris significationem, in hunc locum transferri possunt, quibus adde Plinij & quorundam medicæ artis peritorum animaduersionem, qui asserunt omnia vina medicata, & rhoitem, hoc est, vinum ex malogranatis expressum, & arte pigmentaria conditum, somnos efficaciùs suadere, & quandam alacrem & minimè tristem ebrietatem inducere. Vide igitur an ista sit mens Sulamitis? Nam cùm in præteritis aliarum noctium cœnis, experta fuisset sponsum, ea dormiente discedere solitum in dicto puellis silentio, ne ipsam excitare audeant: id nunc fortasse cauere vult Sulamites, inuitans illum ad vina condita & rhoitem hauriendam, credens nimirum, ea potione sponsum in grauem soporem inducendum, atque adeò discessum illius hac arte prohibendum iri. Tamen id non est assecuta, subdit enim Salomon:

Vers. 3. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.
Vers. 4. Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

SONVS ALLEGORIÆ.

HÆc verba aptissima occurrunt suprà *cap. 2. vers. 6. & 7.* in quibus solam adiurationis formam desiderabis; illam tamen hîc quoque supplere fas est. *Per capreas ceruosque camporum.* Sed quia in eo loco admodum copiosè vtrumque versum exposui, ad eum lector remittendus est.

Continent autem præmissa verba, formam discumbendi in conuiuio nuptiali, tam sponsi, quàm sponsæ, de qua multa ibi seruimus. Adde etiam sponsæ somnum & interruptionem cantus vespertini, quam sponsus puellis cantatricibus imperauit; hoc nimirum mandans, vt concentum ac musicam in matutinas horas differant, & non priùs ad cantum redeant, quoad sponsa sponte sua euigilet; & hic est finis, vel exitus septimi Epithalamij, quæ vesperi dictum fuit; omnia enim vespertina præmissa cœna nuptiali, in sponsæ somnos desinunt, vt loco citato, & non semel aliàs, animaduerti.

Supplendus etiam hic discessus nocturnus sponsi in aliis Epithalamiis vespertinis expressus, quia ita suadet ipsa huius carminis constructio, & similes aliorum Epithalamiorum exitus, & allegoriæ spiritalibus sensis inseruientes, historica narratio magis germana. Vide multa quæ de hac thesi contulimus in eum locum, & infrà *cap. 3. ver. 1. & sequentibus*, dicemus.

EPITHALAMIVM OCTAVVM MATVTINVM.

INITIVM huius octaui Epithalamij ad excitandam sponsam dicti, simile est illi, vnde secundum auspicatum est suprà cap. 3. vers. 6. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi, *&c. Continet autem vltimum sponsorum*

progressum

progressum in vrbem ex horto, & domo syluana, vbi nuptiarum celebritas acta est, (vt sæpe aliàs animaduerti, & translationem sponsæ in domum vrbanam sponsi, cooptationémque eiusdem, in genus & in familiam mariti?

Sed quid inde? in aditu domus, connubialia præcepta, & leges seueriores sponsæ ab sponso præscribuntur, hæc sunt: Amor sponsi ardentissimus, qui suadeat obliuionem parentum, generis & familiæ propriæ, quasi mortua iam & sepulturæ immersa sit: domus custodia, & domesticarum rerum accurata solicitudo, procorum & lasciuorum hominum propulsatio, rei familiaris administratio, & alia eiusmodi, quibus Sulamitem suam excolit, atque informat sponsus, vt in decursu patebit.

Sed tamen, vt constet quantam inter se cohærentiam habeant huius dramatis omnes partes, obserua finem huius octaui Epithalamij matutini concinere cum eo, quo desinitum est secundum etiam matutinum, quod sic habet: Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum, *&c. Ad singula veniamus.*

Vers. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitiis affluens, enixa super dilectum suum?

SONVS ALLEGORIÆ.

ASCENDIT, verbum præteriti perfecti, Septuaginta, *quæ ascendit dealbata delitijs affluens*, suprà *cap.* 7. *vers.* 6. Quid delitiarum nomine intelligatur, non paucis ostendi, videlicet non vestes pretiosas & elegantes, sed potiùs vnguentorum & epularum lautitia & delitium. *Innixa super dilectum suum.* Rab. Anonymus, sic restitui posse affirmat, *fruens dilecto suo.* præferenda est vulgata translatio.

Aliqua hîc prælibare oportet, quæ ad contextum & cohærentiam huius carminis cum superioribus pertinent, & facilem, pronúmque ad illius interpretationem gradum sternunt.

Primò notandum est id, quod passim animaduertimus, hanc scilicet nuptiarum celebritatem in horto ac domo hortensi extra vrbem actam fuisse, quia ita ferebat solemnis illius gentis mos: nihil certius. Inde igitur, id est, ex domo hortensi, pompa nuptialis, tertia, quarta & quinta die ad vrbem mouebatur, propriaque singulis diebus erant munera & ministeria nuptialia, quæ sponsos obire oportebat; omnium autem hic erat scopus, vt scilicet incolumi sponsæ pudore facies illius, non subitò ac statim abiecto pallio virginibus solemni reuelaretur, sed per interualla, paulatim reuelatio fieret, vt ex toto huius libri decursu perspicuè constat.

Secundò præmitti debet, iam inde externa die, quæ inter nuptiales erat quarta, sponsæ pallium per vim ereptum, atque adeò faciem illius, reliquámque corporis elegantiam, non solùm publicè omnium oculis expositam, sed viuis coloribus à Hierosolymitanis fœminis descriptam fuisse. Illud etiam constat ex vera interpretatione superioris Epithalamij, duos sponsos eadem die sub vesperam hortos atque ædes syluanas repetiisse, vt ibi pernoctarent, & cœnam nuptialem, & alios quosdam ritus connubiales, de more agerent.

Rursus obseruandum est tertiò, id quod longa oratione in Isagoge prosequutus sum *cap.* 3. *&* 4. scilicet dies nuptiales solenniores, ritu Hebræorum fuisse quinque: tres nimirum solidos atque integros, duos verò non integros; primi videlicet vesperum, vltimi verò matutinum tempus, ac per hosce dies Epithalamia octo, vespere manéque dicta continua, ac minimè interceßa, vel interturbata, in hoc Canticorum cantico sic distribui, ac dispertiri, vt singula singulis appositissimè respondeant.

Sed quid inde? Germanam certè huius carminis sententiam ex his, quæ hactenus prænotaui, elicere procliue est. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Hæc verba initium continent octaui atque vltimi Epithalamij matutini, quinta nuptiarum die ad auroram dicti, quod narrationem complectitur eorum, quæ iuxta solennem consuetudinem illius gentis, ea die peragi oportebat. Auspicium verò illud est admiratio puellarum, Epithalamia canentium, quæ sic habet: *Qualis ac quanta est coniux ista ad regias nuptias ascita?* quæ ab hortis rediens, vrbem iterum pompicè ingreditur.

Hebræi enim *desertum* appellare consueuerunt, nemora, saltus, camposque extra vrbem iacentes; admirantur autem non solùm pompam, sed pulchritudinem & maiestatem ingredientis.

Delitijs affluens innixa super dilectum suum. Non opus est hîc cum Legionensi sponsos ex agro redeuntes inducere, mutuò inter se complexos, vel vnum alteri iniicientem brachia, quod (mea sententia) est alienum à sensu historico; sed aliter sensus instituì debet ad hunc modum. Chorus puellarum respiciens ad externę, seu anteactæ noctis cœnam, in qua sponsa deliciosè, lautéque cœnauerat, & ita discubuerat in mensa, vt in sponsi pectus caput deponeret, ipsique inniteretur, amplexibus obuium præbens collum, de quo discumbendi ritu, sponsis solenni plura dixi *cap. 2. vers. 6.* ad illa verba: *Læua eius sub capite meo*, &c. quæ hoc loco iterato repetit Salomon, inde auspicatur matutinum istud carmen, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* id est, quæ euecta in regni societatem per legitima connubia, atque adeò regiæ maiestatis consors, de sylua & saltu, ad vrbem regreditur: *delicijs affluens*, illa scilicet, quæ nuper in lautissima cœna cum sponso suo deliciosè victitans, *& innixa super dilectum suum.* Ita nimirum discumbens in mensa, vt dilecti sui pectori incumberet, & ab eodem iucundissimis complexibus stringeretur.

Nec inepta est repetitio & commemoratio prædicti honoris, quo ab sponso suo excepta fuerat in conuiuio nuptiali, quippe qui eiusmodi est, vt Ioannes Apostolus simili loco & honore à Christo Domino condecoratus in vltima cœna, id summæ laudi duxerit, eoque nomine ac titulo ab aliis condiscipulis dignosci voluerit, cùm aiebat. *Vidit discipulum quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* quæ verba ab his, quæ puellæ cantatrices in Sulamitem iactant, nihil dissident. *Innixa super dilectum suum.* quasi dicant: Hæc est illa terque quaterque beata coniux, quam sponsus delicioſissimè epulantem in pectore ac sinu suo amantissimè nuper excepit. Et sanè (vt aliàs notaui) fauor iste, atque honor, quem mariti vxoribus suis præstare solebant in cœnis, talis ac tantus erat, vt ab eo nomen acciperent. Deuter. 13. *Vxor quæ est in sinu tuo.* & 28. *vxori quæ cubat in sinu tuo.* & rursus, *quæ cubat in sinu eius*, & passim alibi, atque adeò non mirum, si chorus puellarum, hoc potissimum titulo Sulamitem condecorauit, in auspicio huius Epithalamij.

Sed licèt hæc interpretatio accommodata sit; aliam tamen subiicio, quæ magis idonea mihi videtur. Redeat ergo memoria ad ea, quæ suprà in præfationibus quarti, ac sexti Epithalamij diximus, vbi seriò probaui sponsam tertia & quarta nuptiarum die, iuxta ritum patriæ solennem, ab ædibus syluanis in vrbem procedere solitam; altera quidem die ferculo vectam, & subtili flammeo velatam; altera verò, flammeo, seu pallio spoliatam, ac pedibus incedentem suis. Vide plura in dictis præfationibus, & in his, quę illis subiiciuntur, versibus. Sed tum maximè *cap. 3. vers. 7. & 9. & cap. 5. vers. 3. & 4. & cap. 7. vers. 1.* nam in his locis rationem huius diuersæ, ac dissimilis pompæ non perfunctoriè tradidi, quæ nimirum eò spectabat, vt reuelatio sponsæ, non subitò, sed paulatim ac per dies aliquot fieret.

Cogita ergo sponsam iam nunc decursis aliis nuptialibus diebus quinta & extrema die manè primo ex syluis ac syluanis ædibus redeuntem, vrbem ingredi. sic enim habes; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto*, &c. Vnde ascendit? ab hortis certè, ac nemoribus, quæ deserti nomen ferunt. Quò ascendit? in vrbem Hierosolymam, atque in ædes, seu palatium sponsi, vt peractis nuptiis ibi permaneat; sed quomodo & qua pompa ascendit? pedes ne, an ferculo sublata? addunt puellæ cantatrices; *innixa super dilectum suum.* Quarta die ideò peditem ingredi sponsam oportuit, quia eo die talarem vestem, quam virginibus ante nuptias gestare solenne erat, in aliam breuiorem commutare solebant nouæ nuptæ, quæ nimirum surarum tenus pedes apertos & reuelatos dimittebat, vt locis citatis animaduerti, vbi non perfunctoriè probaui, hoc ad pudorem pertinuisse: id autem facile demonstrat vltima descriptio mulierum Solymitarum, quæ tunc primum conspectos pedes & sura aptissimè descripserunt. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* & infrà: *Iunctura fœminum tuorum*, &c.

Hinc autem colligo, Sulamitem in hoc tertio processu, non peditem, sed ferculo euectam ex syluis ad vrbem perlatam describi. Nam, vt Lipsius tradit *Electorum lib. 2.* ferculi, aut sellæ gestatoriæ forma talis erat apud veteres, vt vecti non aliter in ipsa decumberent, quàm conuiuæ in lectis tricliniaribus iacebant. Huc spectare videntur illa verba, quæ in descriptione Salomonici ferculi leguntur. *Reclinatorium aureum accen-*

sum

ſum purpureum. Quæ non obſcurè declarant eos, quibus eiuſmodi lecticam inſcendere opus erat, non erectos, ſed reclinatos & cubitis innixos decumbere. Ita igitur comminiſci fas eſt duos ſponſos ferculo impoſitos, & in ipſo ſic recumbentes, ſicut nuper in cœna nuptiali (de qua dictum eſt: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me:*) vrbem Hieroſolymam pompicè ingredientes à choro deſcribi. Ideò autem de ſponſa dicit: *delitijs affluẽs*, id eſt, veſtibus delicatis ac pretioſis amicta, vel vnguentis ſuauiſſimis delibuta (nam vtrumque ſenſum capiunt iſta verba) *& innixa ſuper dilectum ſuum.* hoc eſt, ſi decumbens in feretro nuptiali, ſicut in cœnâ; caput videlicet ſuum in pectus ſponſi, honeſtiſſimè ac decentiſſimè deponens. Picturam verò, ac deſcriptionem ferculi hîc addere, eſſet fatua, aut otioſa repetitio, ideò illam omittere operæ pretium fuit.

Septuaginta, illa verba, *quæ aſcendit de deſerto*, ſic extulerunt. *Quæ aſcendit dealbata.* quæ de veſtibus albis & regiis accipi poſſunt. Nam cùm ſuprà *cap.* 5. *verſ.* 10. non leuibus coniecturis oſtenderim, veſtem Regis interiorem apud Hebræos fuiſſe candidam ſub chlamyde purpureo, id ipſum de Reginę veſte nunc pronuncio, eam ſimiliter albam fuiſſe auro intextam, ita ſuadent verba illa Pſalmi 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* quibus ſponſam Regiis veſtibus amictam notari, non ſemel aliàs animaduerti: ſponſam, inquam, quæ ex humili conditione, & ruſticana vita, ad regias nuptias aſcita fuerat; nam de ſponſa ac ſponſo, de Rege ac Regina, in ſuperiori verſu ſic Vates: *Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Quam *columbam deargentatam in pallore auri*, propterea appellat, quia veſte nuptiali candida auro texta induta eo ſchemate proponitur. Itaque ſenſus erit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata*, id eſt, qualis ac quanta eſt iſthæc fœmina, quæ regiis albis & nuptialibus indumentis ornata, Regique inhærens, vrbem ingreditur, ad ſtuporem intuentium. Vel, ſi mauis, tempus præſens comparatur cum illo, de quo ipſa ſuprà *cap.* 1. dixerat: *Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem.* Nam quæ olim nigra fuerat, iam nunc poſtquam ad nuptias regias præparata & exculta fuerat vnguentis, ac pigmentis, nigredinem deterſerat, & ad candorem ſummum adducta fuerat, ita ſcilicet, vt quæ olim è deſerto, hoc eſt, ex vita ruſtica, ſole aduſta nigra & decolor aſſumpta fuit, iam nunc pura & candida ex eodem deſerto ad vrbem aſcendat. Mitto alia.

Sub arbore malo excitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

Locum iſtum corrupit Rabinorum veteratoria calliditas, & commutatione quadam punctorum ex fœmineis in maſculina migrare fecerunt affixa pronomina, vt ſi poſſent ad verba iſta de ſponſo, non de ſponſa intelligenda, interpretes adigerent, & Patrum ſententiæ, de Synagogæ lapſu interpretantium illuderent. Deluſit autem hæc Rabinorum fraus Nanium Genebrardum, & alios Maſoritarum diſpunctionibus plus æquo fidentes.

Communis autem Patrum conſpiratio verba iſthæc de ſponſa capienda eſſe, ſuadet Theodoreti & trium Patrum Philonis, Iuſti & Aponij, Gregor. Bedæ, Anſelmi, Ruperti ac D. Thomæ cum reliqua interpretum turba.

Septuaginta conuertunt paulo aliter: *Sub arbore malo exſuſcitaui te, ibi peperit te mater tua, ibi peperit te quæ genuit te.* qui vim Hebraici verbi mirificè expreſſerunt. eſt enim חבלתך *hibelatheca*, id eſt, *cum doloribus enixa eſt*, & ſecundo loco ולדתך *ildatheca*, hoc eſt, *ſoluit vterum*, itaque perſpicua eſt ſynonymia, ſi verba pendantur.

Circa difficilem huius loci ſententiam, non eadem interpretum mens. Legionenſis exiſtimat his verbis ſponſum recolere ſui amoris auſpicia, quod ſolet eſſe iucundiſſimum amantibus. Perinde ac ſi dicat: *ſub arbore malo*, quæ amoribus eſt dicata, tunc eras, cùm prima iniuimus amoris fœdera; cùm te ſcilicet ex humili illa conditione ad hanc fortunam euexi: *ſub arbore*, inquam, illa, quæ matri tuæ cum te enixa eſt, vmbram præbuit, &c. Legionenſem comes, vt ſolet, inſequitur del Rius.

Rabbi Anonymus aliquid leporis huic interpretationi adiecit: *ſub arbore*, inquit, *malo inueni te*, à principio cùm amor noſter cœpit vbi mater tua te peperit, quæ nimirum quaſi in ſydere amoris mei te enixa eſt; quaſi dicat. Neſcio quod me tibi temperat aſtrum, ſub quo tu nata videris, vt te amem, & me ames. Quod non ita accipien-

dum, quasi astra inferant vim voluntati, sed quia propensiones vtrinque temperent. hæc tamen solida non sunt, ad grauiora contendo.

Præmittere autem oportet id, quod aliàs non semel dixi, & ex totius operis contextu constat, scilicet sponsam ex humili conditione, & abiecta viuendi ratione, ad regias nuptias assumptam fuisse. Adde etiam ea, quæ nuper dicebam ad illa verba: *ibi me docebis*, quæ in hunc locum transferri debent commonendi & formandi mores sponsæ optimum tempus censeri nuptiales dies, vt ex Chrysostomo ibidem notauimus. His verò quæ ibi diximus, aliquid nunc attexere operæ pretium est; nimirum in extrema die nuptiarum, cùm sponsa in domum sponsi, peracta nuptiali celebritate, tandem aliquando transferebatur (nisi fallor) ritu solenni, monita salubria nouæ nuptæ dari solita, ad componendos illius mores; atque in his monitis illud præcipuum esse, vt ad familiam sponsi traducta, atque in eiusdem honores, iura & opes translata, non amplius recordaretur propriæ familiæ, sed patrem, matremque suam obliuioni committeret. Huc spectant verba *Psalm.* 44. vbi sponsam sponsus, ad hunc modum seueriſſimè monet. *Audi filia, & vide, & inclina ad me aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum matris tuæ.* Atqui nemo nescit, apud Hebræos vxores in maritorum suorum familias nomina, iura, & opes sic transferri solitas, vt ad illas omnino pertinerent, & de illis omnino censerentur.

Rursus notandum est, olim scorta in littoribus fluminum degere, & sub arbore aliqua opaca rem meritoriam peragere solita. Adnotauit hoc Iuretus in Prudentium, firmatque autoritate Quintiliani declamatione 340. *Fortasse etiam natus est ingenuus, fortasse rapto ex aliquo littore prætextam fortuna reddidit.* & Senecæ lib. 1. controuers. 2. *Notam se putat, quia meretrix & nuda in littore stetit ad fastidium emptoris.* Adde Tullium in Verrem, *Tametsi*, inquit, *inacta cum mulieribus iacebat ebrius.* sic enim est restituendus locus illius, mitto plura. His verò adiicio locum *Hierem. cap.* 2. qui rem euincit: *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Ad hæc meretricio concubitu susceptos filios ad ripas, sub arboribus enascito solitos vbique video. Pindarus *in Olympia Ode* 6. de Ariadne, quam Apollo compressérat, sic; *ipsa verò punicea trama intextam zonam deponens, vrnamque argenteam, dumos inter opacos peperit puellam.* de partu etiam Æneæ ex Venere meretrice, sic lusit Virgilius,

Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchisi
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndas.

Possem item plures alias procreationes liberorum nothas circa ripas fluminum peractas recensere. Adi nostrum Luisium de la Cerda, plura testimonia ad præfata Maronis carmina in centum cogentem.

His ergo prælibatis, primam huius loci interpretationem sic instituo? sponsus statim atque suam Sulamitem in domum transtulit, mores illius formare, & optimæ vxoris officia illi proponere aggreditur; atque vt illam in maximam suæ familiæ & parentum obliuionem adducat, patris quidem non meminit, significans illum propterea ignotum, quia ex meretrice suscepta fuerat; de matre verò sic fatur: *Sub arbore malo excitaui te.* quasi dicat: Ab eo statu eripui te, in quo opus erat tibi ad vitam ducendam sub aliqua arbore mereri scorti ad instar; ad eum modum, quo mater tua meretriciam olim egit: *ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*; sub arbore scilicet malo pellicem agens parens tua, alieno & minimè cognito concubitu te suscepit, & partu ignobili te edidit in hanc lucem; vt propterea illius meritò obliuiſci debeas, postquam ad tantam gloriam euecta es, vt Regis coniux esse ac dici meritò possis.

Noster Sanctius secundam interpretationem accommodat, quam refero simul & illustro ad hunc modum: Peruetus gentium mos ita certè ferebat, vt liberos, quos alere nolebant parentes, vel quia census non suppeteret, vel quia nati forma displiceret, eodem quo iacuissent loco recèns natos, in ipsa materni sanguinis face morituros demitterent, qua super re multa Lipsius *in Tacitum*, qui Iudæos plurimum commendat, quòd omnes liberos tollerent, hoc est, nullum filium iacentem dimitterent. Et, vt tradit Augustinus *lib.* 4. *de ciuitate cap.* 21. pro filiis, quorum vitam seruatam vellent. Dea quædam destinata erat apud Gentiles, quæ à leuandis infantibus dicebatur Tebana. Et quidem ad id spectat illud Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, & quando nata est in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aquâ non est lota, in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his, misertus tui, sed proiecta es super faciem terræ, in abiectione animæ tuæ.*

Transiens

Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sanguine tuo viue; dixi, inquam, tibi in sanguine tuo viue. Consule super hoc loco, nostrum Hieronymum de Prado, veterem illum iacentes infantulos leuandi, seu tollendi morem huic loco aptissimè accommodantem; Sanctius ergo, vt iuxta præfatam consuetudinem hæc Salomonis verba exponat, quia, vt Tacitus *lib.* 2. auctor est: *Iudæi omnes tollebant infantes*, sponsam alienigenam fuisse contendit. Quæ nimirum iuxta morem patriæ à matre sua sub eadem arbore, vbi eam enixa fuerat, inter feces puerperij derelicta fuit. Cæterùm, nisi fallor, Taciti mens alia est. Non enim negat hic auctor apud Hebræos fuisse etiam exposititios natos, sicut apud alias gentes, sed asserit horum neminem interire, nam eos, quos matres fortè dimiserant, alij leuabant, tollebantque, sicut accidit hodie inter fideles.

Ergo iuxta præmissum ritum leuandi infantes, sic verba Salomonis edisserenda sunt: *Sub arbore malo excitaui te, ibi corrupta est mater tua*, &c. Quasi dicat: Vide, obsecro, & contemplare qualis fuerit olim tua fortuna, qualis olim matris tuæ census, & qualis amor erga te. Parens equidem tua syluana & rustica mulier, sub arbore malo edidit te in hanc lucem; & quia census illi nullus, vel (quod verius est) quia te exosam habuit, in fecibus iacentem dimisit; ego autem leuaui, excitaui & educaui te. Parum ergo est eiusmodi matrem obliuione perpetua sepelire, atque familiam meam sequi, cui iure connubiali aggressa es.

Sed licèt posterior ista expositio absona non sit, tamen priorem ego libentiùs amplector, quia cum reliquo carmine meliùs concinit. Istam enim cum his, quæ *cap.* 1. dicuntur de sponsæ nuptiis & traductione in concordiam adducere non ita procliue est. Quamuis non ignorem locum istum cum illa posse conferri, quam nuper ex Ezechiele citaui. Vbi Propheta Synagogam, aut Hierosolymam, (quam ibi sub figura ac typo fœminæ ad nuptias maturæ per prosopopœiam inducit.) Ita Deo tanquam sponso copulatam dicit, vt longè antequam idonea & habilis esset, ad nuptias eam sibi delegerit: ipsam nimirum ex fecibus, aut sordibus primi puerperij, tollens ac leuans, eo tempore, quo mater sæuior illam breui perituram reliquerat, quam deinde educauit vsque ad annos pubertatis, & ad coniugium iam maturam excoluit, ornauit & propriam dicauit sibi. vide ibi plura. Id ipsum hîc ab sponso de sponsa sua pronunciatum fas est dicere, vt recoleret primordia sui amoris erga Sulamitem, illamque in obliuionem familiæ suæ adduceret, atque sibi ampliùs deuinciret.

Vers. 6. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis atque flammarum.

SONVS ALLEGORIÆ.

Signaculum. Hebr. חותם *chotem*, *annulum* sonat, *sigillum*, vel sigilli impressionem.

Infernus, alij *orcum*, alij *sepulchrum*, nonnulli item cum morte confundunt, sed non audiendi.

Æmulatio, id est, *zelotypia*, dolor nimirum de violati fori iniuria, aut suspicio, quæ cor exedit. Vsurpatur etiam pro amore ardentissimo 2. Corinth. 7. *Vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me.* & cap. 9. *vestra æmulatio prouocauit multos.*

Lampades. Hebr. רשפי *rispe*, *prunas lucentes* signat. Septuaginta, *Alæ eius, alæ ignis* de flammis tremulis, alas quodammodo auium imitantibus accipere licet. Symmachus ad impetum retulit flammarum. In fonte *flamma Dei*, vel *Domini*, Hebraismus est notus, id est, magna, aut vehemens flamma.

Lis agitur inter expositores, vtrùm verba ista tribuenda sint sponso, an donanda sint sponsæ? Hebræi plus æquo tribuentes punctis, sponsæ accommodant, propter articulum, quod subest prononimi *tuum*, & est generis masculini, quos sequitur haud exigua manus interpretum. Nec absurda euadit sententia, vt paulò pòst dicam, sed tamen verius puto, verba isthæc sponsi esse; qui institutam, cœptámque legum ac præceptorum connubialium summam prosequitur, ea sponsæ suæ dictans documenta, quæ ipsam toto initi coniugij tempore exequi & obseruare volebat.

Prima interpretatio est Legionensis, & Martini del Rio, quibus hæret Sanctius noster

ster asserentium contineri in hoc loco veterem morem in annulorum palis, vel in bullis insculpendi, aut exarandi nomina amatorum, aut imprimendi eorum imagines. Atque, vt missa faciam prophana, id fuisse in vsu apud Hebræos, multa suadent. Hierem. 22. *Si fuerit Iechonias quasi annulus in dextera mea, inde euellam illum*, id est, si eum descriptum in annulo attulero, quod summæ beneuolentiæ documentum est. Isaiæ 49. *in manibus meis descripsi te*, id est, in annulis, quos digitis insertos gesto. Ad hunc sensum etiam licet allicere verba Psalmi 136. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea*; dextera, (inquam) in qua annulis incisam te fero. Prouerb. 7. *Fili mi, serua mandata mea, & viues, liga eam in digitis tuis, & scribe eam in tabulis cordis tui.* In annulis nimirum insculpe, qui digitis ligantur, & in bullis incide, quæ supra cor appenduntur. Et subdit: *Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea*, &c. Vbi sapientiam & legem amicæ ac sororis loco, ponere iubet Salomon, scortis à longè salutatis. Quod perinde est, ac si dicat, legem ac sapientiam loco sponsæ habendam esse, atque adeò hanc in annulis bullisque ferri debere, hoc enim postulat amoris coniugalis significatio. Item cap. 3. *Misericordia & veritas non deserant te, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui.* Vbi tabulas cordis appellat bullas, aut patellas supra cor pendentes. Lege plura in nostris commentariis ad præmissa loca Prouerbiorum.

Ex his liquet dictam amoris significationem vtrique coniugi communem esse, nam mariti vxores, & vxores vicissim maritos suos in annulis ac bullis afferre selenne erat, atque adeò priora illa verba: *Pone me vt signaculum super cor tuum*, tam sponso, quàm sponsæ, idonea significatione adscribi possunt, ita nimirum, vt sponsa id sponso suadeat, vti ipsius nomen ac formam in bullis à torque supra cor pendentibus, & in annulis, qui manibus inseruntur, impressam afferat, iuxta illud: *liga illam in digitis tuis, & describe in tabulis cordis tui*, &c. vel quod satius est, & cum reliquo textu cohærentius, sponsus eo documento sponsam suam mores informet, illi persuadens, vt non tantùm parentum, ac familiæ suæ penitus obliuisci velit, sed etiam omnes alios amatores suos excludat, ipsum tantumodo ardentissimè amans, nomenque illius, vel imaginem in annulis & bullis impressam ferens.

Cum hac interpretatione concinit sententia verborum sequentium ad hunc modum, *quia fortis est, vt mors, dilectio, & dura sicut infernus æmulatio.* Quasi dicat: ideò tibi hanc legem indico, vt me vnum ames, & omnes alios amatores longiùs amoliri velis, qui mariti amor impensus facile in zelotypiam discedit. Hæc verò vbi animum stimulare ac pungere incipit, æquales morti cruciatus viris adducit: vel, si placet, viui hominis sepultura est. Quid plura? *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* id est, zelotypia vrit animum, ardentesque faces illi immittit, quod summam anxieratem significat. Potest etiam inferiùs accipi pro Gehenna, ita vt sensus sit, zelus de iniuria coniugis susceptus ad instar obtinet Gehennæ, quia sicut ignis gehennalis, non corpora tantùm, sed animas etiam vrit, sic etiam zelotypia, nec animis, neque corporibus parcit, & sicut ignis ille damnatos quidem vrit, sed non illuminat, ad eumdem modum zelus eos, quos adurit & inflammat, non illuminat, sed magis obscurat & excæcat. In primitiuis est, *flamma eius flamma Dei*; exaggeratio est huius incendij iuxta familiarem Scripturæ phrasim, ad quam fortasse respexit Paulus, cùm dixit: *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, &c.

Alio etiam sensu donari possunt præmissa verba, & cum superiori sententia connecti, ad hunc modum: *Pone me vt signaculum*, &c. id est, postqua mihi traditam es, vnum ac solum me amare, atque omnes procos ac riuales meos respuere debes; *quia fortis est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio.* Comminatio quædam est seueriſſima, quasi dicat: si aliter feceris, si alium, vel alios præter me adamaueris, hoc tibi persuasum velim, zelotypiam & æmulationem, nec morti, nec sepulturæ extremis funeribus parcere; ita enim oportet, vt sic me ames, placidum & gratum amatorem, vt etiam metuas iratum, atque seuerum vltorem iniuriarum. Huic sententiæ similis est alia eiusdem Salomonis Prouerb. 6. *Quia zelus & furor viri, non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* quæ sequentibus etiam carminibus facem præfert, vt ibi dicemus. Redeo ad priora verba.

Pone me vt signaculum, &c. Alij interpretes signaculi nomine stigma aliquod, vel signum impressum, vel inustum accipiunt, ad eum modum, quo mancipia inuri consueuerunt, quasi sponsus obedientiam, obsequiúmque postulet à sponsa ei simile quod

ancillæ

ancillæ ſtigmatibus notatæ & inuſtæ dominis ſuis exhibere ſolent ; nam eo nomine ac munere inſigniri gaudent vxores ingenuæ, benemoratæ, & de maritis ſuis optimè meritæ, quod ſummæ gloriæ tribuit Petrus 1. *Can. cap.* 7. Saræ vxori Abraham, cùm ait: *ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*, &c.

Sed licèt præmiſſæ interpretationes ſatis idoneæ ſint, aliam tamen & aliam ſubiiciam, quæ mihi magis accommodatæ videntur.

Prior eſt ad hunc modum: olim cùm aliquid ab alio coëmptum in ſuam quis traducebat poteſtatem, in acceptæ poſſeſſionis argumentum, ſigillo obſignabat ſuo. *Apocalyp.* 14. Ioannes teſtatur centum quadraginta quatuor millia hominum ſe vidiſſe, qui obſignati erant nomine agni & parentis eius, id eſt, ſigillo vtriuſque, nam olim ſigillis nomina ſua incidere mos ferebat. & ſtatim addit: *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra*; ac ſi dicat: Ideò obſignati, & ſigillati, quia empti. Ad id ſpectat etiam locus ad Epheſios 2. *in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus ſalutis noſtræ in redemptionem acquiſitionis*, &c. id eſt, obſignati Spiritu ſancto, velut ſigillo habemus pignus, id eſt, certiſſimè nouimus nos redemptos & adquiſitos, vel, vt ita dicam, emptos pretio ſanguinis Chriſti. Mitto alia ſacra & humana teſtimonia, quibus res adeò perſpicua minimè indiget. Addo autem aliquid obſeruatione dignum, nimirum non apud gentes tantùm, ſed etiam apud Hebræos coniugia peragi emptione. Maritus enim vxorem oblato pretio coëmebat, vt in ſuam poteſtatem & familiam transferret. de hac re infrà *verſ. ſeq. & verſ.* 11. latiùs dicemus.

His poſitis, verba illa hunc ſenſum recipiunt: *Pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* hoc eſt, cùm ego te coëmerim, & oblato pretio in coniugem aſciuerim è proſtibulo eripiens, cui ſors tua te miſeram tandem addiceret, reliquum eſt, vt meum ſignaculum, vel ſigillum recipias in corde, videlicet ne præter me alium adames in brachio, ne alteri manum porrigas, vt vel ſic ex ſigillo conſtet, te in meam poteſtatem tranſlatam fuiſſe; id verò propterea contendo, & ſuadeo, non tantùm vt ſcias procos & amatores alios à te arcendos eſſe, ſed etiam parentes à te oblitum iri oportere; cùm enim coëmptione facta in familiam meam aſcita fueris, veterem obliuione ſepelire debes. reliqua verò de zelotypia interpretari procliue eſt. At hæc de amore coniugali poſſunt intelligi, ſi tamen inferni nomine ſepulchrum, aut tumulum accipias: ſenſus autem erit luculentior ad hunc modum. *æmulationis* nomine, non ſuſpicionem, non dolorem aliquem de toro violato, ſed ardentiſſimum amorem intelligo, qui coniugatorum animos adſtringunt, à quo zelotypia proficiſci ſolet, ſumpto nimirum affectu pro ſua cauſa, vt fieri aliàs ſuprà docui, vocis iſtius vim expendēs. Ait ergo ſponſus, id à te exigo meo iure, ô ſponſa, vt in nouam tranſlata familiam antiquam obliuiſcaris: *quia fortis eſt vt mors dilectio*, &c. Coniugalis enim amor, ille ſcilicet ardentior, & qui æmulationis & zelotypiæ radix exiſtit, mortis, ſepulchri & funeris extremi ad inſtar obtinet. Itaque ſi me amas, vt coniugem decet, parentum veteriſque familiæ non aliter obliuiſci debes, quàm ſi extremum diem iam obiiſſes, & tumulo fuiſſes incluſa.

Hæc expoſitio, quæ mihi in primis arridet, aliam ſuppeditat, quæ in primum illud hemiſtichium, *Pone me vt ſignaculum*, &c. optimè quadrat. Prænotare autem oportet, olim in vſu fuiſſe, vt in ſepulchris vxorum maritorum nomina inſculperentur. Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 12. de Cornelia, quæ mortem obierat,

Iungor Paule tuo ſic diſceſſura cubili
In lapide hoc, vni nupta fuiſſe legar.

Item Martial. apud Lucanum,

Liceat tumulo ſcripſiſſe Catonis.

Huc ſpectat etiam illud Iuuenal. Satyr. 6.

Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti.
Quinque per autumnos titulo res digna ſepulchri.

Adde Martialem, & alios, quorum teſtimonia miſſa facio: dummodo tibi perſuaſum ſit, morem iſtum nomina maritorum in ſepulchris deſcribendi viguiſſe quoque apud Hebræos. nam cùm vxores apud illos à die copulati coniugij de virorum nomine dicerentur, vt *cap.* 2. *verſ.* 2. multis teſtimoniis firmaui, credibile, imò exploratum eſt, id nomen epitaphiis addi ſolitum, quo ante mortem cenſebantur.

Iam intelligis quò tendam: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium*

brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, &c. Nomen meum inscribe super te, quasi in titulum sepulchri, quia per copulationem coniugij & amoris quodammodo mortem appetiisti, & quodammodo etiam humata & sepulta es; atque adeò, si sapis, & coniugij iam initi leges seruare cupis, iam amplius familia vetus memoriæ non succurrat. Nam sicut inscriptio sepulturæ mulieris vxoratæ talis esse solet, *Aqui iace la de Caton, o la de Antonio*, simile nomen obtinet fœmina à die coniugij de mariti sui nomine dicta, id est, *la de Antonio, y la de Caton*, vt vel ex ea constet, ista duo, matrimonium & sepultura vxoris, perquam similia esse. Et quidem hunc sensum sequentia verba allicere æquum est: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum*, ad hunc modum,

Exploratum est: *Lampades*, vel faces nuptiis simul atque funeribus adhiberi solitas; ex quo factum, vt vtrisque inter se comparatis, luculentas sententias veteres adinuenerint. Proper. *lib.* 4. *Eleg. vltima*,

Viximus insignes inter vtramque facem.

toto scilicet tempore coniugij, vsque ad mortem.

Ouidius:

Et face pro thalami fas mihi mortis adest.

Apuleius *lib.* 2. *floridum*, de Philemone ait, *Comœdiam eius prius ad funebrem faciem, quàm ad nuptialem peruenisse*. D. Ambrosius de viduitate: *vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quàm thalamum præparari.* quibus verbis traditam à nobis suprà sententiam, penè exprimit Ambrosius; quasi dicat: Mulier si sapit, cum accensis facibus & lampadibus in domum coniugis perducitur, non tam se in thalamum, quàm in tumulum induci credit, quia nimirum per coniugium quodammodo emoritur. Adde Silium Italum *lib.* 11.

—— *Ficta pro morte loquacem*
Affecit letho, tædaque ad funera versæ.

Ergo sponsus cœptam mortis cum coniugio & amore coniugali comparationem, vlteriùs vrgens, ita subtexuit: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum*; hoc est, lampades quæ solent nuptiis adhiberi, nihil differunt ab his, quæ in funeribus præferuntur, cùm cadauer in tumulum deportatur. Et quidem de funeriis hisce facibus, vel funalibus intelligo illa verba Eliphaz apud Iob, non parum obscura, cap. 5. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum.* Quæ ex fonte translata sic se habent, *Homo natus ad laborem, donec lampades, vel flammæ euolent.* inuenitur enim ibi רשפי *risphe*, eadem scilicet vox, quam in hoc vulgatus interpres *lampades* conuertit. Itaque sententia Eliphaz est eiusmodi: Homo cùm nascitur, laboribus perpetuis addicitur, quos non intermittit vsque ad extremas faces, vel funalia: nimirum vsque ad funus extremum.

Vers. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

SONVS ALLEGORIÆ.

OMnem *substantiam*. Septuaginta *vitam. despiciet eam*. Symmach. *contemptu contemnetur*. Septuag. *contemnent eum*, scilicet hominem offerentem munera. Iterum redit superior lis, an scilicet ista verba sponso donari debeant, an sponsæ. Aliqui existimant sponsam his verbis sponso suo iura & leges connubiales sibi dictanti & præscribenti occurrere. Alij rursus docent sponsum cœptam coniugalium præceptorum indictionem persequi, & hinc dissimiles interpretationes obortæ.

Ergo qui locum istum sponsæ dedunt, sic illum ediserunt: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, &c. duo sunt, quæ fœminæ imbellem & debilem naturam labefactare consueuerunt, minæ, scilicet, atque munera. sponsa ergo occurrens sponso suo nec metu, nec minis se ab eius amore minimè abducendam, vel deterrendam esse affirmat: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* hoc est, Eum amorem, quem nuper ignitis facibus contulisti, nulla vis laborum, aut ærumnarum hactenus restinguere potuit. Quibus verbis non obscurè innuit, iam se aliquos sponsi gratia labores hausisse, tunc videlicet, cùm ab excubitoribus

ribus impetita, vulneribus acceptis concidit, cap. 5. *Nec flumina obruent illam.* Deinceps verò, etsi flumina exundent, & plenis alueis in me ferantur, etsi omnes in me calamitatum, laborumque procellæ incurrant, ignitam illam amoris vim obruere, aut suffocare non poterunt. Huc spectat illud Philostrati in Epistol. ad delicias suas, *Quoniam quæ flammam istam restinguat aqua, reperire omnino non possint, siue quis afferat ex fonte, siue quis ex fluuio sumat.* nam ab amore ipsa quoque aqua sentit incendium. Ille etiam alius in Græcis Epigrammatis lusit in hunc modum,

Fluminis ad fontes puerum qui finxit amorem,
Hanc flammam extingui fortè putabat aquis.

minimè verò, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* id est, quod spectat ad munera, quæ fœminas etiam de sua stabilitate deiicere solent; sic addo. Quòd licèt quisquam ditissimus homo oblata domus suæ integra substantia, & quidquid rei & facultatum possidet, beneuolentiam meam promereri velit, impensus iste meus in te amor pretium omne pro nihilo ducet. *Vel despiciet eam,* id est, illum ipsum ditissimum ac locupletissimum hominem nihili faciet, non tantùm vilitatem pretij contemnens, sed abiectam & degenerem hominis talia sibi offerentis conditionem subsannans.

Quotquot autem præmissa verba sponso tribuunt, non vno modo interpretantur: alij quidem aiunt, sponsum in exaggeranda zelotypiæ vi, maximè persistere, vt cum aliis amoris significationibus minæ coniunctæ sponsæ fidem ampliùs obstringant; & quidem conferendus est locus iste cum illo alio suprà laudato Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parua in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*; huic enim sententiæ aliam adsimilem continent verba præmissa: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, id est, zelotypia vbi animum inflammauit, ignis est validissimus, cuius ardorem nulla vis aquarum è cælo depluentium, nullus vel impetus fluminum exundantium opprimit, aut restinguit, imò potiùs ipsa confluentium aquarum copia magis, ac magis accenditur. Quasi dicat: Zelus & dolor de violato coniugio, nullis remediis, siue auxiliis cedit. Nam liceat sic dicere: Si auxilia & remedia cælitus eueniant, illis obsistit; si verò humana & terrena, ab ipsis quodammodo incitatur & inflammatur. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione*, &c. quæ verba concinunt planè cum illis: *Nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Nam zelus eorum & insanus furor talis est, vt nullis siue precibus, siue donis ad mansuetudinem adduci queat; nam preces omnes respuit, & dona, quantumuis maxima, contemnit.

Alij putant his verbis non zelotypiam, sed ardentissimum amorem, quo sponsus suam Sulamitem olim, nunc & deinceps complectebatur, describi; nam cùm in superiori versu præmiserit ipsius amorem erga sponsam, ab ipso natiuitatis exordio auspicatum fuisse, cùm mater illam inter feces puerperij sub arbore malo paulò pòst morituram reliquit, & ipse illam leuandam & tollendam duxit; iam tunc attexit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, &c. id est, antiquam amoris mei flammam nullus succedentium rerum occursus, nulli scilicet diuersi, vel aduersi casus, hactenus restinguere potuerunt, nec deinceps restinguent. Vbi nomine *aquæ multæ*, & fluminum exundantium, illa omnia complexus est, quæ amori contraria sunt. Quasi dicat: Amoris mei ardor, qui tam longo tempore accensus fuit, nullis cessit hactenus, neque deinceps cedet contrariis. Cum hac interpretatione connecti possunt verba sequentia ad hunc modum: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quibus significat sponsus numquam se commissurum, vt repudiata ea vxore quam duxit, aliam vel adamet, vel admittat. Et sensus est: Etiamsi homo quispiam opulentissimus filiam nuptui tradat, & cum illa cunctam domus suæ substantiam, ingentes videlicet copias & facultates dotis nomine mihi offerat, has nihili faciam, flocci ducam.

Possunt etiam verba huius carminis inter sponsum ac sponsam haud ineptè partiri, hoc modo: *Aquæ multæ*, &c. Hæc sponsus, quibus significat amoris sui flammam erga Sulamitem nulla contrariorum vi opprimendam iri, sensu iam dicto. Cui sponsa sic recurrit. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ*, &c. Sunt qui hîc dilectionis nomine ipsammet sponsam intelligendam esse affirmant, vt aliàs non semel in hoc Cantico charitatis vocabulo insigniri solet. Sumpta videlicet abstracta forma pro concre-

to, dilectione videlicet, pro dilecta. Oportet autem in memoriam vocare id, quod interpretes cuncti tradunt super illis Oseæ verbis cap. 3. *fodi eam mihi, quod decem argenteis*, id est, coëmi, nuptias scilicet apud veteres per coëmptionem peragi solitas, quam nemo, humanis vel modicè tinctus litteris, ignorat. Meminit illius Cicero *in topicis*, & *pro Murena*, & *pro Lucio Flacco*. Arnob. *lib. aduersùs gentes*. Boëtius *in topica*, D. Isidorus *lib. 5. Etym. cap. 24.* & alij plures. Hinc fluxit illud Poëtarum Principis *Georg. 1.*

Teque sibi generum Thetis emat omnibus vndis.

Ad quem locum ita Seruius. *Ad antiquum pertinet nuptiarum ritum, quo se maritus & vxor inuicem emebant.* Hæc & plura alia congerit Brissonius *in libello de ritu nuptiarum.* Et quidem morem istum viguisse inter Hebræos, multa suadent. *Genes. 2.* Iacob filias duas à parente Labano coëmit, seruiens illi duodecim annis. 2. Regum 3. *Rex*, inquit Dauid, *vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputijs Philisthinorum.* id est, quæ stetit mihi illo pretio. Vide plura apud Riberam nostrum super *cap. 3. Oseæ*, & his quæ ipse cogit testimoniis. vnum adde ex *cap. 4. Geneseos*, vbi Eua edito in lucem Cain, exclamasse fertur: *Possedi hominem per Deum*, in fonte, *emi hominem per Deum*, vel Deo auspice. dum audis *hominem*, non puerum recens natum intellige, sed virum ipsum, seu maritum Adam. Nam in originibus pro *homine* est אישׁ *ise*, quod non sexum solùm, sed statum etiam coniugij significare solet, quem se coëmisse dicit Eua, postquam filium edidit, hoc est, pignore illo nouo, quasi denuò illi nupsisse.

Iam intelliges, quò mea me ducat suspicio. Sponsa quæ nuper acceperat ab sponso illa verba: *Pone me vt signaculum*, &c. quibus à se coëmptam, inque suam potestatem translatam, ipsamet, vel chorus puellarum eius nomine sic occurrit: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione*, &c. Licèt me dilectam tibi sponsam, cunctam substantiam suam spondens, quisquam alius ex proceribus coëmere sibi vellet ad nuptias, pretium hoc, quantumuis magnum & ingens, pro nihilo haberem, talis ac tantus est amor meus erga te. De hac probatione amoris sponsæ erga sponsum forsan intelligi debent verba Psal. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, quibus commendatur eximia fides sponsæ, quæ diuitibus & opulentis, ipsius nuptias deprecantibus, non acquieuit, sponsum suum omnibus ante ponens, & præ illo reliquos nihilo æstimans.

Addo etiam in hoc posteriori hemistichio, iuxta solennem loquendi modum sacræ Scripturæ, accipi posse futurum pro præterito, itavt hæc verba, *quasi nihil despiciet eam*, sic efferri possint, *quasi nihil despexit eam*, itavt cum illis *non potuerunt extinguere charitatem*, modo ac tempore concordent. Ita enim ipse contextus postulare videtur, & sententia euadit luculentior. Nam cùm sponsus suam charitatem erga sponsam commendans ante initas nuptias, priora verba pronunciasset, quæ ad tempus præteritum spectant, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, &c. sponsa eidem sponso satis appositè occurrit, dicens hanc gratiam illi ab ipsa omnino relatam & demensam fuisse, quia cùm alius aliquis homo prædiues omnem domus suæ substantiam illi obtulisset, vt amorem ipsius ac nuptias promereretur, illa quidem tam eum, quàm copias & facultates ab ipso oblatas pro nihilo duxit, dilecti sui connubia præferens. Et sanè nomine vnius hominis plures intelligere integrum est, qui illius nuptias olim ambierant. & sic locus iste congruit planè cum illo: *in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* vbi etiam futurum pro præterito vsurpatum fas est dicere. Pergo ad sequentia.

Vers. 8. Soror mea parua est, & vbera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

SONVS ALLEGORIÆ.

PAruula *est*, Hebr. קטנה *ketanah*. Parua, aut minima accipitur etiam pro *inexperta*, vel *inscia*. Prouerb. 1. *videtur paruulis astutia*, id est, ignaris.

Soror nostra, nomen est amatorium, & amicam sonat. quid certius? Vide Lipsium *lib. 1. Electorum.*

Vbera non habet; hoc, inquit Ambrosius, *solet signum omnibus virginibus esse nupturis, vt cùm vbera cœperint emineri, tunc habiles coniugio censeantur.* Ezechiel. 16. de Hierusalem, quam virginis nomine affatur Deus, vt habilem ad nuptias esse ostenderet.

Ingres

Ingreſſa es, inquit, *mundum muliebrem, & vbera tua intumuerunt*, &c.

In die quo alloquenda es. Septuag. valde conſentaneè textui Hebraico, *in die qua loquetur in ea*, Hebraicè בה *bah.* verti poteſt *contra eam*, vel *in eam*, nam ב præpoſitio aliquando eſt idem quod *contra.* Geneſ. 26. *manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* In Hebræo eſt בו *bu.* Legi ergo poteſt: *quando loquetur contra eam*, quod vidit hîc, & obſeruauit acutè neotericus quidam.

Locus iſte difficiles habet explicatus, quia non ſatis conſtat cui potiſſimum verba iſthæc donari debeant; alij enim ſponſæ, alij ſponſo dedunt: alij verò puellis pediſſequis Epithalamium canentibus potiſſimum tribui debere affirmant, & ab illis omnibus me diſſidere fateor, vt paulo pòſt dicam.

Qui dicta verba ſponſæ propria eſſe aſſeuerant, aiunt quidem illam, vbi nupſit viro ſuo (vt fœminis gnaris & prudentibus euenire ſolet) de ſorore quadam ſua, quæ necdum ad pubertatem peruenerat, & ad nubendum matura erat, ſolicitam hæc profari: *Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet; quid faciemus ſorori noſtræ in die, qua alloquenda eſt?* ſic Patres Græci, Ambroſius, & alij, & ſenſus eſt. Cùm mihi ſoror parua, & necdum ad nuptias matura, ſuppetat (ô ſponſe amantiſſime) qua tandem ratione id aſſequemur, vt illam ad futura connubia præparemus, & excolamus? Cui ſponſus reſpondit. *ſi murus eſt*, &c. Sed tamen adduci non poſſum, vt expoſitionem iſtam omnino probem. Primò, quia Propheticis, & ſpiritualibus ſenſibus minimè inſerit. Qui enim ſponſæ ſororem iſtam tribuunt, conſequenter aiunt eo nomine appellari Eccleſiam ex gentibus collectam, atque adeò fateri debent. præcipuam ſponſam eſſe Synagogam, quod à noſtra mente longiſſimè abeſt, vt in Iſagoge copiosè probauimus. Secundò, quia cum reliquo textu minimè cohæret. Nam cùm extrema huius Epithalamij ſcena contineat leges, ac præcepta connubialia, vt ſuprà dicebam; parum aptè inſeritur hæc commemoratio ſororis.

Longè meliùs & cum reliquo textu cohærentiùs ſentiunt qui hæc verba ſponſo tribuunt, qui ſororis nomine ſponſam ipſam compellat, & prima ſui amoris erga ſponſam auſpicia recolit, ac commemorat. Nam cùm ſuprà dixerit verſ. 4. *ſub arbore malo excitaui te*, &c. oſtendens, qua ratione illam ab ipſo natiuitatis ſuæ primordio adamauit, ex ſordibus puerperij, in quibus à matre ſua relicta fuerat, leuans ac tollens; & ſubinde alia dixerit, quibus amoris ſui antiquitatem commendat: alia quæ ſibi ante nuptias acciderant, (vt eiuſdem amoris certiorem fidem faciat) recolit his verbis: *Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet*, &c. Quaſi dicat: olim cùm ſponſæ meæ nuptias ambirem, & ſponſa ad nuptias matura non erat, talia mecum ipſe verſabam & decernebam. Sponſa mea, quam ideo ſororem voco, vt amoris maximam neceſſitudinem ſignificem, *parua eſt*, id eſt, annos pubertatis nondum attigit; quando ingraueſcens vberum tumor, maturitatem ad nuptias denotat. *Quid faciemus ſorori noſtræ, in die, qua alloquenda eſt?* Quaſi dicat: nihil non faciemus. Nihil etiam promerendæ illius gratiæ cauſa non exequemur, hæc ſponſus deliberans apud ſe. Poſt deliberationem verò ſubnectit: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*, quæ de ornamentis, quibus Sulamitem ſponſus condecorauit, & excoluit, ad nuptias accipi debere aſſeuerant, vt infrà verſ. ſequenti dicemus. Sed tamen, vt dicam quod ſentiam, hæc interpretatio ideo non placet, quia non paruam vim affert verbis.

Neque etiam probatur mihi alia expoſitio, quæ dictam orationem tradit virginibus pediſſequis, ſenſu haud diſſimili: *ſoror noſtra paruula eſt*, &c. Certè ſororem appellant, quia coæua & Nympha erat. Et quidem ſupradictæ virgines quaſi fides ſororculæ ad ipſas pertineret, de illius conſtantia ſolicitæ, ne fortè pro eorum vi, atque blanditiis labefactaretur, ſic aiunt: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, qua alloquenda eſt?* id eſt, qua ratione eius imbecillitatem roborabimus, quibus armis ætatem eius teneram, & nec dum maturam ad pugnam inſtruemus; ne vi & inſidiis amaſiorum, eius fides ac firmitas euertatur. Ac poſt deliberationem ſubiiciunt: *ſi murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea.* de quibus infrà. Sed in hac interpretatione non aſſequor rationem, ob quam hæc ſolicitudo & cura de ſororis conſtantia puellis pediſſequis, potiſſimum tribui debeat, niſi dicas fœminas ſuaptè natura & ingenio ob communionem ſexus aliarum fœminarum ruinis potiſſimum angi ſolitas. Rurſus, argentea propugnacula & tabulæ cedrinæ ad decorem magis, quàm ad robur ſpectare videntur.

His adductus rationibus, in eam ſententiam diſcedo, vt exiſtimem in hoc loco Sulamitis amaſios & riuales ſponſi induci, fidem & conſtantiam ſponſæ tentantes, ſi

quo modo possint eius imbelles & inermes annos muneribus ac donis labefactare, & ad suæ prauitatis consensum adducere. Et quidem sororem ideò appellant, quia hoc solet esse amicarum nomen in Scriptura, Prouerb. 7. *Dic sapientiæ, soror mea es, & sapientiam voca amicam tuam.* Rursus verbum *loqui*, vel *alloqui*, in eadem Scriptura de procis enunciatur Danielis 13. *Sic faciebatis filijs Israël, at illæ timentes loquebantur vobis*, id est, in vestræ libidinis consensionem inducebantur. Ergo prædicti riuales sponsi, vt sponsæ fidem & firmitatem experiri possent, sic apud se deliberasse ferantur. *Soror nostra*, illa scilicet, cuius nos amicitiam ambimus, cuius amore hactenus arsimus: *paruula est, & ubera non habet.* nondum adoleuit, nondum puellares euasit annos, atque adeò imbellis est, & ad flectendum facilis, erit ignara item & experta, vt propterea decipi, ac deludi possit. *Et ubera non habet.* Possunt etiam hęc verba de robore accipi, quod solet nomine *uberum* notari, imò ita accipienda esse suadent illa, quę sequuntur. *Et ubera tua sicut turris*, vbi non similitudinis, sed roboris, ac virium ad resistendum expressio est, (vt ibidem dicemus.) Adde etiam vulgari sermone de imbecilli & infirmo homine, sic pronunciamus, *Notiene pecho.* Sed tamen verius est accipi hoc signum pro re significata, hoc est, uberum necdum tumentium defectus pro virium ætatisque infirmitate, cui confisi sponsæ animum à se flectendum sperabant proci: qui subinde attexunt.

Quid faciemus sorori nostræ, in die, qua alloquenda est? Quid (inquiunt) tunc præstabimus magis è re nostra, cùm ipsam affari, & animum eius tentare blanditiis aggrediemur, tunc videlicet, cùm contra ipsam verborum omnes machinas moliri curabimus ad euertendum eius animum, & in nostram sententiam inducendum. Quid verò consilij ceperint, statim produnt.

Et sanè parum abest vt putem, modum istum periclitandi, & discendi fidem sponsæ immissis riualibus & procis, qui illius amorem oblatis donis promereri contenderent, olim apud Hebræos fuisse ritum nuptialem, quo explorabatur voluntarius sponsæ consensus ad nuptias. Hæc coniectura suadetur ex illis verbis *Psalm.* 44. suprà citatis, vbi post descriptionem nuptialis contractus, quo Regina Regi copulata dicitur, sub finem huius descriptionis sic Vates attexit: *In muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Quasi dicat, hæc coniugia tunc demum firmabuntur, ac stabilientur, cùm fides & consensus Reginæ repudiatis ditissimorum amatorum donis ac muneribus, quibus eius gratiam & amorem emereri contenderant, perspecta, & explorata fuerit. Aliquid etiam ad eiusmodi ritum spectans, videre est apud Ezechielem *cap.* 16. vbi Hierusalem, quæ ibi sponsæ ac Reginæ nomine ac titulo decoratur, à fide & constantia, qua Deo sponso suo debebat, amatorum, ac procorum precibus & donis euecta defecisse perhibetur: *& exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.* Siue autem hæc exploratio fidei sponsæ sit ritus nuptialis, siue non, (id enim non valde curo) non euariatur sententia, cui propterea multum tribuo, quia cum reliquo contextu cohærentiam habet.

Vers. 9. Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

SONVS ALLEGORIÆ.

SVper eam. Hebr. עליה *halchah*, vbi obserua verti etiam posse *contra eum*, nam præpositio illa על millies sumitur pro *contra*, vt *cap.* 2. *vers.* 4. adnotaui Iudicum 12. *Philisthim super te Sanson*, id est, contra te. Zach. 2. *Iratus est Dominus super Patres*, id est, contra Patres, & alia passim.

Propugnacula, Hebr. טירת *tirath*, de singulari, id est, *propugnaculum*, nec alicubi inuenio vocem istam significare pinnas murorum, aut mœniana, sed palatium, castrum, seu castellum.

Compingamus illud. Septuaginta διαγράψομεν ἐπ' αὐτῆ, id est, *describamus, vel insculpamus super ipsam tabulas cedrinas.* quo verbo non tam fores claudendas, quàm exornandas significat Vates. Et quidem si huic ostio claustra addēda esse diceret, non speciem, & ornatum, nequaquam cedrinis, sed ferreis, aut æneis foribus ostium obserandum esse affirmaret. In eo sensu accipio illud verbum *compingamus*, id est, tabulis cedrinis exornemus. At, inquies, in fonte esse נצור *nathur*, à radice *hur*, id est, clausit, vel obsedit

ſedit. Non inficior, ſed ſignificat etiam formare, cælare, aut figurare. 2. *Regum* 12. *num.* 10. 1. *Regum* 7. *num.* 15. *Exod.* 32. *num.* 4. Symmach. περιφράξωμεν, id eſt, *roboremus, muniamus.*

Hæc verba diuerſas interpretationes recipiunt, pro diuerſitate perſonarum, quibus traduntur. Nam qui ſuperiorem verſum ſponſæ tribuunt, de alia quadam ſororcula ſermonem facienti, ſic iſtum ediſſerunt; vt ſponſus ſuam operam illi polliceatur, ne huic ſorori neceſſaria ad nubendum deſint, imò abundantiſſimè ſuppetant, ſic enim ait: *Si murus eſt, ædificemus ſuper illam propugnacula argentea.* Quaſi dicat: ſi hæc tua ſoror muri ad inſtar fortis, ac conſtans euaſerit, vt proinde eam in matrimonium collocare poſſimus; *propugnacula argentea*, hoc eſt, dotem congruentem illi addere, non erit arduum. Sin verò *oſtium eſt*, ſi videlicet facilis ac leuis euadit, itavt aditus ad illam non ſit difficilis, oportebat ſeueram illi cuſtodiam adhibere; ſeras nimirum ac portas cedrinas, quæ corruptionem non admittunt, vt ab iniuria libidinoſorum hominum tuta ſit, atque ad nuptias integra veniat. Poſſunt etiam hæc verba ipſimet ſponſæ tribui eodem ſenſu, quaſi illa hoc ipſum ſuadeat ſponſo, vt vnà ſecum hæc officia ſorori præſtet.

Sed heu quantum à vera ſententia huius carminis diſtant qui exiſtimant, hanc ſponſæ de ſorore ſua ſolicitudinem eò ſpectare, vt illam ſponſo ſuo ſimili coniugio iungat, polygamiam in hoc Canticum inducentes, contra veram & germanam ſignificationem nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ, quæ hîc allegoricè deſcribitur, cui polygamia omnino reſiſtit, vt ſuprà in Iſagoge huius commentarij copiosè diximus.

Qui verò prædicta verba ſponſo tradi debere putant, qui ſcilicet ſororis nomine, paſſim aliàs in hoc Cantico ſponſam ſuam appellare ſolet, non vnam interpretationem comminiſcuntur. Altera ſic habet: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*, ſi videlicet Sulamitis meæ amor ac fides, muri ad inſtar, fortis & impenetrabilis fuerit contra procos & amaſios, accipiet à me, loco præmij, dona & ornamenta plurima, quæ ipſam non ſolùm condecorent, ſed etiam muniant. Abenezrha ſic paraphraſticè extulit: *Comparabimus illi monilia argentea, aurea, & torques, ſponſâ digna.* Ita enim fieri conſueuit, vt vxores, quibus mariti neceſſaria ornamenta ſuppeditant, robuſtiores fiant aduersùs procos. Addit, *ſi oſtium eſt*, &c. id eſt, ſi facilis ac leuis eſt, & his qui eius amores ambiunt, aditum præſtat, illam certè additis ſeris ac vectibus claudere & obſtruere oportebit, ne foras exeat, ac ne venientes de foris amatores admittat. Itaque hæc verba iuxta interpretationem præmiſſam, aliam legem connubialem continent, quam ſponſus induit ſponſæ, illi ſuadens, vt domi clauſa maneat, ſi ipſum liberalem & munificum experiri vult, & ne foras exeat, alioqui ipſam clauſtris aditis coërcere opus erit. In primitiuis eſt, *arctabimus ſuper eam.* ianuam arctè præcludemus.

Alia interpretatio, *Murum & ianuam* in laude ponit ad hunc modum. Cogita ſponſum, in ipſo aditu domus ſuæ, in quam Sulamitem traducebat, vt ſæpiùs animaduerti, id quod maximè proprium eſt vxoris, ei demandare, vt nimirum rem domeſticam cuſtodiat & adminiſtret, itavt neceſſaria aſſeruet, & ſuperflua promat, atque diuendat; eos quoque, qui domum vel ingrediuntur, vel egrediuntur, exploret, ac cuncta domeſtica ſic gerat, vt bonæ atque induſtriæ vxoris officia expleat. Ergo ait, *ſi murus eſt, ædificemus ſuper eam*, &c. id eſt, ſi murum imitatur, omnia quæ domi ſunt, aut pretioſa, aut maximè vtilia tutò ſeruans, (hæc enim eſt muri maxima vis & poteſtas) *ædificabo ſuper eum propugnacula argentea*; id eſt, omnes opes, & facultates meas illi tradam, & illius fidei committam. Nonne de prima muliere dictum eſt illud, *ædificauit illam in mulierem*, quia, vt tradit Ambroſius, domus & domeſticæ ſupellectilis cura, illi conueniebat. Idipſum de Sulamite ſponſus affirmat, eam ſcilicet à ſe domui ac domeſticis rebus præficiendam. nam ſi muri ad inſtar, omnem pretioſam ſupellectilem ſibi traditam cuſtodit, & propugnat, plura & pretioſiora indies ſeruanda, ac propugnanda accipiet. *Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Vxoris partes ſunt, non tantùm ſeruare fideliter res domeſticas, ſed etiam prudenter promere ac diſtribuere. Huc ſpectat illud Pſalmi 67. *& ſpeciei domus diuidere ſpolia*, vt alibi notaui. Itaque sẽſus eſt. Si oſtium exiſtit, per quod ea, quæ domi ſunt, cum prudentia & moderatione promantur, addemus illi ſeras ex cedro affabrè elaboratas, vt eas claudere, & reſerare poſſit cùm velit, vt ſcilicet omni domeſtica re vti arbitrio ſuo poſſit & domeſticis exeundi & intrandi copiam facere: in his enim bona domus adminiſtratio conſiſtit.

Cæterùm neque huic interpretationi multum tribuo, quia in sequenti versu sponsa muri nomen & munus tanquam commendatione dignum acceptat, & boni consulit, cùm dixit: *Ego murus*, &c. ostij verò officium, tanquam *vituperabile* recusare ac refutare videtur, illud omittens.

Sunt qui præmissa verba à choro puellarum Epithalamia occinentium vsurpata fuisse affirmant. In his Theodoretus, & tres Patres, qui volunt hîc vxoris præcipuas partes demonstrari, nempe vt murus sit, quæ in domo sunt, asseruans, & sarta tectaque custodiens. tum etiam, vt ostium sit ad ea recipienda, quæ foris aduehuntur, vel ad ea promenda, quæ intus sunt, cùm ita opus erit; ac propterea argenteis propugnaculis & tabulis cedrinis à sponso exornandam esse affirmant, vt nuper dicebam; hanc enim atque superiorem interpretationem, sola personarum differentia euariat.

Quapropter aliis omissis, in eam sententiam libentiùs discedo, quam in superiori versu reliquis præferendam duxi, nimirum verba ista esse procorum, Sulamitis amicitiam ambientium, quibus in ea turpi petitione & inuasione amoris & fidei illius, quid sibi præstandum sit ad eius mentem constantem labefactandam deliberant. *Si murus* (inquiunt) *est*, munitus vndique, si videlicet nullum admittit, omnes arcet: *ædificemus super illum propugnacula argentea*, id est, constituamus aduersùs illum propugnacula ex auro, vel argento, eius nempe robur argenteis muneribus expugnemus, deiiciamus, prærumpamus. est enim mira argenti & auri vis ad debellendam pudicitiam. Hinc illud Silentiarij Epigramma, quod Natalis *lib.* 7. *Myth.* ad hunc modum conuertit,

Aureus in cæcas peretrauit denique rimas,
Et Danais duros Iuppiter in thalamos.
Fabula, sic inquit, me iudice, ferrea claustra,
Aurum prærumpit, duraque vincla domat.
Aurum omnes vectes infregit, & arguit artem
Clauis, & infregit omnia supercilia.

Ad hæc Apollo consulenti Philippo, quomodo aduersarios subiugaret, fertur sic respondisse: *Argenteis pugna telis, atque omnia vinces*, & alia passim. *Quòd si ostium est*, aditum videlicet nobis præbet, & copiam sui facit: *Compingamus eam tabulis cedrinis*, id est, non sine donariis illam dimittamus; quin potiùs oblatis muneribus illi referamus gratiam. id est, sicut ostium tabulis cedrinis cælatis & affabrè elaboratis ornari solet, sic nos oblatis donis & munusculis Sulamitis ornatum amplificemus. Forsasse etiam alluſit Salomon ad veterem morem, quo amatores puellarum, quas ardebant, postes mille modis exornare & decorare consueuerunt. Alij enim vnguento suauissimo imbuebant, alij vestiebant floribus & sertis, eôque profusionis deuentum est, vt quidam etiam aurum foribus amicarum affixerint, cuius rei testimonia aliqua suprà exhibuimus *cap.* 5. *vers.* 5. Legendus est Lipsius *Electorum lib.* 1. *cap.* 1. vbi plura testimonia profert ex Tertulliano, atque aliis. Itaque, *si ostium* (inquit) *est*, si videlicet ad instar ostij sese pandit, sicut portas, seu fores amicarum, solent amatores decorare; pari ratione ipsi nos additis ornamentis decorem illi conciliabimus.

Vers. 10. Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

SONVS ALLEGORIÆ.

SEptuaginta paulo aliter: *Ego murus, & vbera mea sicut turres, ego eram in oculis eorum tanquam inueniens pacem.*

Facta sum coram eo. Philo *sedebam*, nullo auctore, & nulla origine, *quasi pacem reperiens.* Hebr. מוצאת שלום *mutseeth Salom.* Itaque est perspicua alluſio ad nomen Salomonis, quo sponsum censeri sæpe dixi, à quo sponsa Sulamitis nomen traxit, dicta scilicet de viri sui nomine, quod apud Hebræos in more positum fuisse, latè docui *cap.* 2, *vers.* 2.

Hæc verba cum superioribus conferenda sunt, atque adeò iuxta dissimiles eorum interpretationes, dissimiles quoque sensus reddunt. nam si de alia quapiam sorore Sulamitis, decuius ipsa nuptiis cum sponso deliberabat, intelligi debent; consequenter dicendum, hanc sororem, cui hoc insimulatum fuerat ab sponsa quòd parua & imbellis

bellis esset, & mammis careret, atque adeò ad nuptias, nec dum habilis existeret, de qua etiam post multam deliberationem sic ab sponsis statutum & decretum, vt si quidem muri ad instar, fortis & robusta esset, ad resistendum amatoribus, addita dote illam in matrimonium collocarent; vel si ianuæ in modum facilis ac leuis esset ad excipiendos procos, applicatis seris ac vectibus, illam occluderent, cùm sponsos hæc inter se colloquia conferentes audiret, eiusmodi responsum dedisse. *Ego murus, & vbera mea sicut turres.* Fingit, scilicet, nouella soror, (sic Legionensis) ea, quæ ex deliberatione duorum coniugum circa ipsam decreta fuerant, iam inde peracta, vt nimirum ætas adoleuerit, & vbera etiam tumorem receperint, quo testarentur, illam ad nuptias maturam esse, atque adeò sic fatur: Ego quidem murus sum; id est, robur & firmitatem sortita sum muris æqualem ad resistendum. Et vbera mea non secus excreuerunt, quàm turris aliqua ex muro extans, vt propterea nemo possit meam vel constantiam, vel fidem euertere, atque adeò ad iungendas nuptias nihil mihi deesse videtur.

Si verò priora illa verba sponso, aut puellis Epithalamia pangentibus, tribui debeant: itavt de sponsa & præceptis connubialibus ad ipsius mores formandos spectantibus sermo sit, vnum, aut alterum sensum reddere possunt. Prior est: Ego murus, & vbera mea sicut turris, vel, vt in originibus est, *sicut turres*, id est, dictam mihi ab sponso legem recipio, & illi per omnia conformis, murum cæcum & impenetrabilem me esse, ac fore certissimè obtestor; murum (inquam) turribus offirmatum & instructum ad eorum, qui pudori meo insidiari possunt, vim propulsandam satis munitum; vel *murus sum*, ad seruandam omnem pretiosam supellectilem, omniaque vtensilia custodienda satis instructum, vt propterea nihil non tutò mihi committi possit. *Ex quo facta sum coram ipso*, &c.

Si verò procis & riualibus sponsam ad suæ turpitudinis consensum flectere volentibus, præcedentia verba adscribantur, facilior ac lenior sententia euadit. Cogita ergo Sulamitem verba procorum accepisse, qui paulo antè dixerant, nihil non tentaturos, vt illius firmitatem euerterent. Atque his auditis, vt eorum conatus eluderet, sic occurrisse. *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* id est, sic habeto te, non ostium aliquod patens, vel cuiquam adeundi copiam præbens me esse, sed murum munitissimum ad vim vestram repellendam. Addo etiam: *vbera*, quibus me carere dixistis, validissimarum ad instar turrium obtinere, quas nullis tormentis, aut machinis prærumpetis. Obiter autem notandum est, vbera alicuius puellę rumpere, aut confringere, familiari Scripturæ phrase, idem esse quod eam constuprare, Ezechiel. cap. 24. *Nam & illi dormierunt cum ea, in adolescentia eius, & illi confregerunt vbera pubertatis eius.* & breui verborum interstitio, *quando subacta sunt in Ægypto vbera tua, & confractæ sunt mammæ tuæ*; id verò fortasse pertinet ad fasciam pectoralem, quam soluebat ille, qui primò virginem comprimebat. Ait ergo Sulamites: *vbera mea turris* ad instar fortissimæ sunt, atque à nullo rumpenda, violanda, aut confringenda, inueniens videlicet, pudoris sui florem à nemine vnquam lædendum iri.

Ex quo facta sum coram ipso quasi pacem reperiens. Nimirum postquam sponso meo Salomoni, maritali vinculo copulata, de illius nomine appellari cœpi, hoc est, à *Salomone Sulamitis*, à pacifico, scilicet pacifica. Sin verò teneamus lectionem Septuaginta: *Ego eram in oculis eorum pacem inueniens.* de procacibus illis ac lasciuis iuuenibus Sulamiti insidias parãtibus, sic interpretari licebit: quando scilicet ipsis spectantibus, atque etiam inuidentibus maritum nacta sum, à quo nomen & gloriam nomini eius æqualem sortita sum: atque adeò tantam pacem, quam sponsi mei germanum nomen, & quam meum acceptum ab ipso vocabulum præfert, ab his procacibus insidiatoribus violari non patiar.

Vel aliter: *Ego murus*, &c. Non quia Salomoni, id est, pacifico, tradita sum, atque adeò Sulamitis, id est, pacificæ ab eo nomen accepi, ideò quæ belli sunt propria, omnino deposui, vtraque enim in me concordant bellum, ac pax. nam etsi pacifico tradita sum, atque adeò pacem inueni coram ipso, & cum ipso; tamen ad bellandum comparata, & instructa sum. *Ego enim murus, & vbera mea pro turribus munitissimis*; murus, inquam, sum ad arcendos & propulsandos hostes meos, & insidiatores pudoris mei.

Vers. 11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Vers. 12. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

SONVS ALLEGORIÆ.

PAcifico, in fonte שלימוה *Selomoh*, id est, Salomoni, *in ea, quæ habet populos*. Septuag. retinuerunt vtramque vocem Hebraicam, *vinea fuit Salomoni in Beelamon*. Noster interpres notatione vsus est, & significatum expressit vocis originalis, quam licet sic germanè exprimere, *in Domino multitudinis*. Existimo autem pagum aliquem, aut telluris tractum fuisse, in quo speciosissimæ ac feraciſſimæ vineæ visebantur, cumque ager ille pinguissimo esset solo, quilibet de populo curabat, vt sibi in eo vinea, vel hortulus eueniret, *vir affert*, ille scilicet, cui vineæ cura commissa, vel cui elocata erat, vel latet Hebraismus *vir*, id est, *viri*.

Huius loci non vna facies, ac proinde obseruare oportet, primò tres diuersas vineas in hoc Cantico commemorari. Prima est illa, cuius sponsa ante nuptias custodiam suscepit fratribus ad id compellentibus, cap. 1. *Posuerunt me custodem in vineis, vinem meam non custodiui*. Secunda est illa, cum syluana domo coniuncta, in qua nuptiæ actæ & celebratæ sunt. de qua cap. 2. *tempus putationis aduenit, & vineæ florentes dederunt odorem suum*. & cap. 6. *vt inspicerem si floruisset vinea*, &c. Tertia est, *vinea dotalis*. de qua hîc vinea fuit pacifico. Prima vinea omnino diuersa est à reliquis, quia ipsamet sponsa fatetur non esse suam, sed alienam; cuius scilicet custos erat antequam nuberet; sic enim ait: *vineam meam non custodiui*. quasi dicat, custos vtique fui vineæ, sed non meæ. Secundam verò & tertiam vineam non agnouit, nisi post nuptias; hæ verò fortasse non distinguuntur inter se, fieri enim potuit, vt ea ipsa, quæ syluanæ domui coniuncta erat, & in qua nuptialis celebritas acta est, esset quoque vinea dotalis. Dotalem autem appello non eam, quam attulit ad nuptias, sed quam sponsus ipse dotis nomine donauit. id significant illa verba: *vinea fuit pacifico*, quam illico suam appellat: *vinea mea coram me est*, vt constaret eam, cuius ipse sponsus priùs dominus ac possessor erat, iure dotali in sponsæ dominium transiisse. Fuit etiam, me iudice, dotalis vinea, illa, quam Oseas *cap.* 2. commemorat, vbi de Synagoga, quam sponsæ Deo traditæ nomine exornauit, sic fatur: *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem* & paulo pòst, *& sponsabo te mihi in sempiternum*, &c. Habes hîc nuptias, vineam & vinitores; vt non dubites de vinea dotali sermonem esse, non de ea, quam sponsa ad coniugium attulit, sed quam ab sponso suo dotis nomine accepit. atque hæc vinea Oseæ omnino congruit cum vinea Salomonis, de qua hîc, *vinea fuit pacifico*, &c. quam scilicet Sulamiti in titulum dotis donauit.

Et sanè tres pagos in Scriptura inuenio vinearum vbertate cum primis nobiles, hic scilicet, quem Oseas, *vallem Achor* appellat, & duo alij, quorum mentio occurrit in hoc Cãtico. Alter dictus *Engaddi*, suprà cap. 1. *in vineis Engaddi*; alius verò in hoc versu, quem Septuaginta vocant *Baalamon*, cuius nominis etymologiam expressit Vulgatus: *in ea quæ habet populos*. Dubium autem excitari potest, an præmissi vnus, an plures pagi, vel saltus sint vineis feraciſſimis consiti? Noster Sanctius *in cap.* 2. *Oseæ* docet, vnum esse saltum, qui tribus nominibus appellatur, scilicet Engaddi, Achor, & Baalamon, idque eruditè ex Andricomico, Hegesippo, & aliis cõficit, qui asserunt dictum pagum, triginta stadiis distare ab Hierusalem. Additque in illo fuisse domum, seu palatium communem omnibus ciuibus Hierosolymitanis, vbi omnes tam popularium, quàm procerum nuptiæ agitabantur. Ego verò sic sentio, Engaddi & Achor vnum atque eundem pagum fuisse, vel vnam regionem, quæ duobus pagis aut saltibus constaret, & his nominibus appellarentur, quique longiùs ab Hierosolymis abessent. Baalhamon autem saltum fuisse ab his diuersum, qui vicinus esset vrbi, & forsan ab eo, qui saltus Libani appellabatur, minimè distinctus, vbi domus erat syluana, & regia ad Salomonis delitias constructa, quæ appellabatur, *domus saltus Libani*. & in qua verisimile est nuptias eiusdem Salomonis (à quibus hæc allegoria desumpta est) celebritas fuisse, hoc enim propius ad veritatem accedit, quàm domum aliquam communem, in sub-

urbiis

urbiis fuisse Hierosolymis vicinam, in qua omnes tam popularium, quàm magnatum agerentur nuptiæ.

Rursus notandum est id quod nuper dixi *vers.*7.huius capitis,vxores scilicet à suis maritis emi & dotari solitas apud Hebræos, vbi de hac thesi non pauca adscripsi. His verò locum perspicuum adnectam ex *Genes.cap.*34. vbi Regis hæres sic filios Iacob affatus est. *Inueniam gratiam coram vobis, & quæcumque statueritis dabo: augete dotem, & munera postulate,& libenter tribuam quod petieritis,tantùm date mihi puellam.* Quid moror,init perspicua? illud certè minus notum, scilicet maritos etiam ab vxoribus, quas suscipiebant, emi,& oblata dote cõparari solitos.In prophanis notissimũ est,huc spectat illud Maronis,

Teque sibi generum Thetis emat omnibus vndis.

Vbi Seruius sic comminiscitur. *Ad antiquum*(inquit)*pertinet ritum, quo se maritus & vxor inuicem emebant.* vbi numerat tres modos nubendi, antiquis solemnes, *vsum, confarreationem* & *coëmptionem*,& meminit Arnobius *lib.*4.*contra gentes*,his verbis, *vsu,farre,coëmptione* genialis lecti sacramenta condicuntur. Adde etiã Boëtium *in topicis*, vbi de coëmptione sic fatur: *Coëmptio certis solennitatibus peragebatur, & sese in coëmendo inuicem interrogabant.* subdit autem formulam verborum, qua dicta coëmptio perficiebatur. Hic autem ritus non alienus ab Hebræorum republica, in qua mariti dotabant quidem vxores suas, & hæ quoque si quas facultates iure hæreditario obtinuerant,maritos comparabant,vt proinde emptio & dotatio vtrinque fieret.

Ex his quæ hactenus posuimus, germanam huius loci interpretationem depromere integrum est,quæ tribus modis conformari potest.Primus est,sincerior,iuxta quem sponsa id quod vxoris proprium munus est, scilicet administrationem rei familiaris se susceptura pollicetur,affirmans,vineam optimam & feraciſſimam, quæ quotannis mille aureos pendebat, à se ita curandam, vt eius prouentus non imminuatur incuria, sed crescat industria.*Vinea fuit pacifica*,&c.& subinde:*vinea mea coram me est*,&c. id est,tãto studio & solicitudine,vt decet strenuam vxorem,curabo,vt mille aurei,quos hactenus pendere consueuit,sint omnino puri ac liquidi, deductis expensis, ducentos, plus minusve attingunt.hæc enim summa in colonos ac vinitores expendi solet.Et sanè inter alias vxorum curas & munera hortorum ac vinearum curas referri,locuples testis est Tiraquellus *in* 10.*legem connubialem num* 37.vbi sic ait: *vxores hortum non indiligenter colant,cuius non sit modicus ad rem familiarem prouentus, nam & hanc curam matribus familias demandauit antiquitas.*& subdit testimonium accommodatissimum Plinij *lib.*9.*Natur.Histor.cap.*4. vbi sic ait: *hinc primum agricolæ æstimabantur prisci,& sic statim faciebant iudicium,nequaquam esse matrem familias posset.(etenim hæc cura fœminis dicabat)vbi indiligens hortus esset.* Sponsa ergo vti se matrem familias industriam & operosam ostenderet, vineæ dotalis curam à se susceptam seriò affirmat. Atqui apud Hebræos, vi nearum nomine etiam horti censentur,quod Romanis familiarissimum est, qui omnes hortos & prædia rustica amœniora, vineas appellant.

Secundus modus interpretandi præmissa verba, sic conformari debet: sponsa quæ à lasciuis illis procis audierat,animi sui propositum & robur posse muneribus donisque expugnari,cùm dixerant:*ædificemus super eam propugnacula argentea*,&c.occurrit,dicens:his muneribus nequaquam sibi opus esse, cùm sponsus illam magna & feraci vinea dotauerit,quę quotannis mille argenteos pendat.*vinea*(inquit)*fuit pacifico*,id est,Salomoni,sponso meo.*in ea,quæ habet populos*,id est,in solo pinguissimo,in quo nullus ex populi primoribus,aliquam vel exiguam,sortem habere non cupit:*tradidit eam custodibus*,locauit, scilicet, vel conduxit: *vir affert pro ea mille argenteos*, pendit nimirum quotannis eam vim, quam liquidam, puramque percipere licet.*vinea mea coram me est.*hæc scilicet vinea,quæ olim fuit Salomonis, & ex qua ipse tam magnum percipiebat censum, iam mea est, quia videlicet illam mihi donauit dotis nomine,hæc,inquam,vinea *coram me est.*id est, in mea potestate,vt quidquid ex illa census prouenit,liberè in quaslibet res insumam.Nam aliquid esse *coram aliquo*,ex Scripturæ more idem est,quod vsum illius esse liberum.Isaiæ 40.*opus illius coram illo.*Genes.20.*terra coram vobis est.*& passim alia.

Tertia interpretandi ratio postulat,vt aliquid animaduersione dignum præmittamus. an scilicet, non vna tantùm vinea, sed duplex in hoc versu commemoretur?sic enim habes: *vinea fuit pacifico*,&c.& infrà: *vinea mea coram me est*,&c. Plures vnius vineæ mentionem fieri autumant,quam sponsus dotis nomine Sulamiti donauit,ac propterea,illam, suam appellat sponsa. Pauci duas vineas hîc adscribi, & referri putant; alteram quidem sponsi,quæ Sulamiti cessit in dotem,aliam verò quam ipsa Sulamites ad nuptias attulit,&

coniu

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

coniugi suo dedit quoque in titulum dotis. Quibus ego non inuitus assentior, quia *cap. 1. vers. 4.* ipsamet sponsa ait: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam non custodiui*, id est, quia alienæ vineæ custodia demandata est mihi, ideo propriam deserere coacta sum. Nec alienum erat à conditione sponsæ, vt vineam aliquam hæreditario iure à matre sua acceperit. Nam, vt dixi suprà ad illa verba, *sub arbore malo excitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*: Mater sponsæ meretrix fuisse dicitur; atqui meretrices ab amatoribus suis in præmium libidinis vineas accipere solitas, suadent verba Oseæ *cap. 2.* vbi scortum describens sic ait: *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: Mercedes meæ, hæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.*

His positis sensus huius loci, sic institui debet: *vinea fuit pacifico*, &c. id est, Salomon sponsus meus vineam habuit feracissimam in Baalamon consitam, qua dotauit, vel potiùs acquisiuit me vxorem sibi, ex qua mille aureos in singulos annos percipere mihi licet. *vinea mea coram me est*, &c. id est, talia quoque mihi vinea fuit hæreditaria, qua sponsum mihi quoque coëmi, & ex qua similis prouentus liquidus illi cedit. *mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructum eius.* Custodes fructuum appellantur vinitores, seu agricolæ, qui vineam non solùm asseruant, sed etiam excolunt. Quomodo autem hæc verba cum antecedentibus cohæreant, iam iam expono.

Pacificum, Hebraicè שלמה *Selomoh*. Itaque conuertere licet: *mille tui ô Salomon*. illud *tui*, pronominis vim habet, non possessiui. *tui pacifici*, tui nimirum, qui pacificus es, vel Salomon; ac si ego dicerem, *mei hominis est orare*, id est, mei qui homo sum.

Sensus ergo institui debet, ad hunc modum: sponsa quæ vineam illam in sua potestate esse dixerat, vt liberè censu illius vteretur, qui mille argenteos attingebat; vti se argenti despectricem ostentaret, atque adeò largitione & muneribus expugnari non posse. Ita subdit. *Mille tui pacifici*, id est, vel hi mille, quos ex vinea percipere integrum est, & quorum vsus liber mihi euenerat per te, tui sint ô sponse, illis vtere, *& ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* quasi dicat: hos mille cape, qui puri erunt, ac liquidi, deductis ducentis quos custodes, seu coloni mercedis nomine percipiunt. Ego enim his nequaquam egeo, atque adeò omnia munera despicio.

Aliter etiam sententiam huius hemistichij conformare licet: *vinea mea coram me est.* hæc scilicet vinea, quæ mihi dotis nomine obtigit, de cuius custodia olim sponsus meus mandabat aliis, atque adeò his partem aliquam census numerabat quotannis, ex quo fiebat, vt mille tantum argentei reliqui essent: *hæc*, inquam, *vinea coram me*, id est, eam ego asseruo & custodio, neque aliis asseruandã trado. Itaque ex ea percipio & mille argenteos, quos antea Salomon capiebat, & ducentos, qui custodibus mercedis nomine erogabantur. Verba autem nectenda sunt, ad hunc modum: *vinea mea coram me est. mille tui pacifici*, supple, sunt coram me; mille, inquam, illi argentei, quos tu antea capiebas, iam mihi cedunt, *& ducenti his, qui custodiunt.* ex fonte sic conuertere licet, *& ducenti custodientium fructus eius*; itaque supplendum aliquid est in nostra lectione, hoc modo: & ducenti, qui antea erogabantur custodibus, hi nimirum sunt etiam coram me, id est, ad me pertinent. Quapropter cùm mihi amplior census suppetat, muneribus, aut largitionibus nequaquam indigeo.

His addere possumus scorta olim, vt non obscurè innuit Philo Iudæus *in lib. de mercede meretricis non inducenda in ærarium*, tandiu mereri solita in prostibulis, quoad meritorio opere tantumdem pretij lucro turpi acquirerent, quantum ad vineam coëmendam opus esset, quæ deinceps ad viuendum satis amplum censum suppeditaret. Hinc manauit illud Oseæ suprà citatum: *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit, mercedes meæ, hæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Contrà verò de illa heroina & forti fœmina Prouerb. vlt. *Considerauit agrum, & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam.* magno consilio additum est illud, *de fructu manuum suarum*, vt scilicet opponatur mercenario lucro ex turpitudine quæsito. Ergo Sulamites, quam proci illi libidinosique amatores largitionibus corrumpere posse sperabant, vt illos à se arceat, his sibi opus non esse seriò affirmat; quia nimirum vineam talem ex dote sui coniugis sit adepta, quæ sibi ad victum mille argenteos, & his amplius annuis redditibus pendat, qui ad vitam sustinendam sat superque sunt. Quasi dicat: Largitiones illæ & munera, quibus turpitudinem exercentes fœminas ad vineas coëmendas vtuntur, mihi necessaria non sunt, cùm talem, tantamque vineam aliunde habeam ex liberali dotatione sponsi mei.

Has interpretationes recipiunt extrema isthæc verba, si vtrius tantùm vineæ commemoratio sit in hoc versu, tamen si duas vineas agnoscimus, quibus inuicem sponsus Sulamitem

mitem,& hæc ſponſam reddita dote coëmerunt,ſententia erit ea,quam nuper dedimus, & cæteris facilè præferendam cenſeo,non ſolùm, quia nuptias per coëmptionem celebratas egregiè adumbrat,ſed etiam,quia ſponſæ ad munera & dona procorum repudianda liberam voluntatem & facultatem exprimunt.

Verſ. 13. Quæ habitas in hortis,amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.

SONVS ALLEGORIÆ.

Quæ habitas in hortis. Septuag. *qui ſedes in hortis.* quaſi ſponſa ſponſum alloqueretur. Symmachus; *qui ſedetis in hortis.* Verumtamen præferenda eſt lectio noſtra, quæ magis conſentanea eſt Hebræis codicibus.

Amici. Hebraicè חברים *chabarim*, de qua voce multa dixi *cap.* 1. *verſ.* 7 ad illa verba: *ne vagari incipiam poſt greges ſodalium.* vbi non tam de ſponſi familiaribus, quàm de procis & riualibus accipiendam eſſe quibuſdam argumentis euincere conabar: quæ autem ibi dixi, hunc in locum transferenda ſunt. Noſter Sanctius differens nuptias in hunc locum, hîc tandem putat ſponſum Sulamitis conſenſum ad connubia paciſcenda requirere,amicos verò,velut teſtes induci,qui coniugiis adhiberi conſueuerunt;ſed in hanc nuptiarum dilationem ſæpe aliàs inuectus ſum. Quapropter duplicem ad ſenſum allici poſſe credo iſta verba. Si amicorum nomine procos & riuales intelligimus, euadet ſententia in hunc modum: *Quæ habitas in hortis.* Paraphraſis eſt puellæ ruſticæ & ſyluanæ, id eſt: O fœmina,quæ hortis gaudes, & vita ruſticana, amatores illi laſciui, qui tibi ac thalamo tuo,inſidias moliuntur,arrectis auribus intendunt his, quæ dicis: *Amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*; auge ſcilicet, intende vocem, vt verba, quibus fidem tuam, animi robur & contemptum donorum,ac largitionum profiteris,ipſi audientes omnem opem abiiciant te aliquando vincendi,aut lentandi. & quidem illud,*fac me audire*;ex modo dicendi Hebræorum,ad vocis intentionem pertinere videtur.

Huic verò expoſitioni plurimum tribuo,quia exprimit vim illius vocis *chabarim.* ſi verò amicorum nomine veros ſponſi familiares accipimus,placet expoſitio Delrij, quæ ſic habet: *Quæ habitas in hortis*,tu videlicet, quæ vita ruſtica delectaris,cui colere, aut conſerere hortos tantùm placet: age nunc, profer quid tibi à me opus ſit, quid à me poſcas, *fac me audire vocem tuam. Vocem* verò pro *oratione*, aut petitione accipi, dixi ſuprà, ſimilia verba expendens *cap.* 2. *verſ.* 14. Addit verò: *amici auſcultant.* quaſi dicat: non ego tantùm, ſed etiam amicitia mihi coniuncti cupiunt audire quid petas,vt mecum perficiant,& votis tuis obſequantur.

Aliam etiam interpretationem adſcribo, quæ ſic habet: Amici, ſeu familiares ſponſi, vt aliàs notaui, tandiu illi adhærebant comites indiuidui, quandiu tempus nuptiale perdurabat,eo autem præterito, abibant ſinguli in domos ſuas. Sponſus ergo hiſce verbis ſuam Sulamitem opportunè monet, vti eos iam diſcedentes valere iubeat,ad hunc modum, *Quæ habitas in hortis.* id eſt, quæ hortis vel colendis, vel ſeruandis delectaris: amici auſcultant, id eſt,familiares mei, qui mihi nuptias celebranti, hactenus adſtiterunt, vti gratulabundi diſcedant,hoc volunt,hoc expetunt,vt ſcilicet abs te aliquid audiant,antequam ſecedant: *fac me audire vocem tuam.* id eſt,me audiente & præſente ne moreris aliquid boni,aut iucundi ſermonis illis impertiri,quibus eos ſoluere iubeas,& vltimum vale illi dicas.

Nec omnino prætereunda eſt lectio Septuaginta, qui hæc verba de ſponſo ſic extulerunt. *Qui habitas in hortis amici auſcultant*,&c. Verba ſunt ſponſæ, quibus monet ſpõſum, vt abeuntibus amicis ac familiaribus ſuis vale dicat; vel, ſi placet, id poſtulat, vt eiſdem familiaribus præſentibus & teſtibus de ſuo erga illã amore ac fide,ipſam certiorem faciat.

Rurſus non alienum erit à contextu huius Cantici, ſi dicamus, non quidem pactum connubiale differri in extremam diem nuptialem, quod ſæpe aliàs inconſequentiæ incuſaui, ſed illius confirmationem, quæ adhibitis teſtibus fieri ſolebat. Et ſanè inter alios ritus,qui ad nuptiarum ſolennitatem ſpectabant,alter erat cõteſtatio,de quo Guilielmus Stuckius *antiquitatum nuptialium lib.* 1. *cap.* 25. vbi rationem reddens,propter quam amici ac familiares ſponſi quamplurimi ad nuptias & connubia nuptialia conuenire ſolebant, eam ex Suetonio,Tranquillo & Hecatæo Abderita refert; vt nimirum plures teſtes adſint connubialis pactionis, & ſubinde aſſerit alterum ex nuptialibus ritibus eſſe dictam conteſtationem,citatque Athenæum,huius aſſerti locupletiſſimum auctorem; veriſimi-

le

le autem est, eiusmodi contestationem sub finem nuptiarum fieri solitam, sponsis nimirum connubia ratificantibus, atque eorum familiaribus, tam de contractu, quàm de his, quæ ad solemnitatem eius spectabant, testimonium reddentibus, quòd fidem vbique facere posset. Siue igitur sponsa, siue sponsus hæc verba proferant, sensus non incongruus ex dictis elicitur, ad hunc modum: *Quæ habitas in hortis*; id est, quæ vita & conuersatione rusticana cum primis gaudes, *amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* id est, omnes familiares mei, qui tanquam testes interfuerunt nuptiis nostris, attentissimi auscultant extremam vocem tuam, qua coniugium nostrum ratum factura es, vt testes sint pacti, vel contractus à nobis initi, vt illud ampliùs retractare non possimus. quæ verò hîc sponsam ad canendum incunctari dicunt, me iudice, non audiendi.

Vers. 14 Fuge dilecti mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

SONVS ALLEGORIÆ.

FVge. Vim huius vocis optimè expressit Legionensis. id est, *festina*, ex proprietate sermonis Hebraici, de qua significatione dixi satis ad illa verba cap. 2. *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Vbi fons habet: & fugiant vmbræ, id est, maturent. Locus ergo iste nihil dissidet ab illo, quo *cap.* 2. absoluitur, *Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ*, &c.

Recole memoriâ ea, quæ in fine aliorum Epithalamiorum, quæ matutinis horis dicta sunt, non semel animaduerti, scilicet sponsum tanquam pastorem induci, qui nimirum oues suas manè ad pabulum ducat, & vespere ad caulas reducat, qui etiam profunda nocte eadem iterum ad pascua ferat, ac referat. vulgò dicemus, *al repasto.* Vide plura quæ in eum locum contulimus. hinc factum, vt sponsa sponsum suum manè abeuntem ad greges pascendos ante meridiem, sic ab sponsa sub finem cuiuslibet Epithalamij matutini, de vespertino reditu admoneat, quod sibi similis repetit his verbis, quibus hoc extremum Epithalamium absoluitur, & nuptialis celebritas clauditur. Itaque sensus est: *Fuge dilecte mi*, id est, festina, vt soles, ad greges tuos in montibus pascendos: sic tamen abi à me discedens, vt peragratis & emensis collibus & iugis ea velocitate, qua caprea, vel hinnulus amore stimulante ad me reuisendam domum succedas. Annuit sponsus.

Potest etiam illud *fuge* de celeri reditu exponi, sic ad me redi velociùs, vt montes ac colles fugere videaris; vel ea celebritate ad me contende, qua solet hinnulus & caprea currere cùm fugiunt, tunc enim ocyùs feruntur.

Super montes aromatum, id est, montes odoriferos, qui nimirum herbas & gramina suauem odorem grate exhalantia progerminant; tales enim solent esse montes pascui, de quibus suprà dixerat, *qui pascitur inter lilia.*

Denique aliena est interpretatio Abenezrhæ, quam aliqui sequuntur, ait enim sponsam zelotypia tactam id suadere sponso suo, ne in turba & conuentu amicorum & puellarum suauiùs canat, vt solet, ne voce illius delinitæ aliæ fœminæ ipsum ardentiùs adament, sed magis fugiat in montes & colles, vbi ab ipsa sola in secessu audiri possit. O illepidum caput!

Hîc verò perficitur octauum & vltimum Epithalamium ex matutinis, quæ duorum separatione coniugum semper clauduntur, sponso nimirum ad rem suam curandam pergente, vt obseruare licet in aliis. Claudit autem extremum hoc Epithalamium præcipua coniugij præcepta, admonetur enim sponsa suæ conditionis & futuræ, parentum obliuisci iubetur, & nouam inire familiam, vnum coniugem diligere, procos arcere, nec minis terreri, nec donis, aut largitionibus adduci. hæc enim sunt quæ segetem Epithalamiis præbere solent, vt suprà in Isagoge præmisi.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Bazar in Lamia

No A 22-48